The Electronic *Manipulus florum* Project
(www.manipulusflorum.com)

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaeum*
J.P. Migne ed., PG 56, col.611-946

Prologus (col.611-12)

Sicut referunt, Matthaeum conscribere Evangelium causa compulit talis. Cum facta fuisset in Palaestina persequutio gravis, ut periclitarentur dispergi omnes, ut carentes forte doctoribus fidei, non carerent doctrina, petierunt Matthaeum, ut omnium verborum et operum Christi conscriberet eis historiam, ut ubicumque essent futuri, totius secum haberent fidei statum. Quod autem ab humana ejus coepit nativitate, et humanam ejus generationem exposuit, compulit impia impudentia Judaeorum, denegantium Jesum Christum de David semine ducere genus. Corpus autem narrationis suae ordinavit hoc modo: primum nativitatem, deinde baptismum, tertio tentationem, in quarto doctrinam, in quinto miracula, in sexto passionem, in septimo resurrectionem, et ascensionem ejus; non solum historiam de Christo exponere volens per haec, verum etiam evangelicae vitae statum docere: quoniam nihil est quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam et Spiritum sanctum renati fuerimus ex Deo, quoniam quod ex carne nascitur, caro est; quod autem de spiritu, spiritus est (*Joan.* 3. 5. 6). Post baptismum autem necesse est contra diabolum stare, quoniam ad hoc quisque ungitur. Et reaedificatur in baptismo, ut contra tyrannum suscipiat bellum. Post haec, quasi omni superata tentatione, factus idoneus ad docendum, si quidem sacerdos est, doceat: et quia miraculorum faciendorum non est semper necessitas, doctrinam suam bonae vitae, quasi miraculis, factis commendet. Si autem laicus est, operibus doceat fidem: operibus se et hominibus commendet, et Deo. Deinde quia non possumus aliter exire de mundo, nisi solutum fuerit corpus, per quod ingressi sumus in mundum, necesse est exire nos de hoc stadio mundi. Et quoniam omnis vita nostra tentatio fuit, restat ut tentationis victoriam resurrectionis merces sequatur et gloria. Matthaeus sanctorum quidem, praecipue tamen peccatorum evangelista, qui non solum sermone, sed etiam ipsa vitae suae correctione peccatoribus evangelium praedicavit. Numquam enim telonearius constitutus, qui consueverat pecunias colligere perituras, factus fuisset evangelista, ut sermones conscriberet in aeternum mansuros, nisi ut suo exemplo peccatores ad misericordiam poenitentiae invitaret: qui aliquando fuit cautus logotheta rationum terrenarum, nunc autem diligentissimus est dispensator spiritualium praeceptorum. Tunc multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles divites facit praedicando justitiam, ut magnificemus Dominum propter eum voce prophetica, dicentes: *Haec commutatio dexterae Excelsi* (*Psal.* 76. 11).

Commented [p1]: Col.612

Homilia prima ex capite primo (col.612-36)

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Liber est quasi apotheca gratiarum. Sicut enim in apotheca divitis alicujus omnis homo quod desiderat invenit: sic et in isto libro omnis anima quod necessarium habet invenit. Quid est quod ait, *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abrahae?* Et quomodo dicit Isaias propheta, *Et generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* 53. 8)? Sed ille divinam

generationem ejus inenarrabilem esse pronuntiat, iste autem carnalem exponit. Propterea non dixit, Jesu Christi filii Dei: sed *Filii David, filii Abraham.* Et quare Joannes statim in principio Evangelii sui divinitatis ejus monstravit naturam dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* 1. 1)? Quoniam Joannes, inter gentes in exsilio constitutus, Graeco sermone Evangelium causa gentium scripsit, quae non cognoscebant si Deus Filium habet, aut quomodo genitum habet: idcirco superfluum erat primum incarnationis ejus mysterium gentibus demonstrare, cum illum ipsi quis esset nescirent: ideo necessarium fuit primum illis ostendere, quia est Filius Dei Deus: deinde in sequentibus, quia carnem suscepit, dicens: Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Ibid.* 1. 14). Matthaeus autem Evangelium Judaeis Hebraico sermone conscripsit, sicut jam diximus supra, ut Judaei legentes aedificarentur in fide. Judaei enim semper cognoscebant, quia est Filius Dei, et quomodo est Filius Dei. Superfluum ergo erat exponere eis divinitatis ejus naturam, quam ipsi optime cognoscebant; necessarium autem fuit mysterium incarnationis ejus ipsis ostendere. Quare autem non illi suffecit dicere illum filium Abrahae solius, aut David solius? Quia ad ambos de Christo nascituro ex eis, promissio fuerit facta. Ad Abraham quidem sic: *Et in semine tuo benedicentur omnes tribus terrae (Gen.* 22.18): quod intelligi non potest nisi in Christo, quoniam inter caeteros Judaeos et gentes numquam amicitia stabilis fuit. Ad David autem ita dicit: *Juravit autem Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal.* 131. 11). Ideo ergo utriusque filium dicit, ut utriusque promissiones in Christo impletas ostenderet. Deinde quia Christus tres dignitates fuerat habiturus, rex, propheta, sacerdos; Abraham autem habuit duos filios, et duas dignitates: propheta enim fuit, et sacerdos, sicut Deus ad illum dicit in Genesi: *Accipe vaccam triennem* (*Gen.* 15. 9), etc., propheta autem, sicut ait Dominus ad Abimelech de illo: *Quoniam propheta est et orabit pro te, et salvus eris tu, et domus tua (Ibid.* 20. 7); ideo ergo dictus est filius Abrahae et David, ut propheta quidem intelligatur et sacerdos ex Abraham, rex autem ex David. Item ideo non dictus est tantummodo David filius, quia David rex fuit et propheta, sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus est, ut utriusque patris triplex dignitas originali jure cognosceretur in Christo. Sed quare prius David nominavit, cum Abraham praecedat in tempore? Prima ratio et simplex haec est: cum propositum esset evangelistae ex Abraham generationes Domini numerare, si prius dixisset eum filium Abrahae, postea autem David: necesse habebat iterum reverti ad Abraham, et in ipso loco bis eum numerare. Altera autem ratio est, quia regni dignitas major est quam naturae. Nam etsi Abraham praecedebat in tempore, David tamen praecedebat in dignitate. Et quomodo major fuit David, quam Abraham, cum quandoque David reprehensus est in peccato? Sed audi, quoniam David de nimia justitia sua confidens dicebat: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis (Psal.* 7. 4). Item, *Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiet Deus (Psal.* 65. 18). Ergo dimissus est, ut circumveniretur a carne: non ut injustitia ostenderetur ejus, sed ut ejus jactantia compesceretur. Abraham pater fidelium, quem Deus voluit exemplum esse sanctorum, dicens ad eum: *Exi de terra tua, et de cognatione tua: et veni in terram, quam tibi demonstrabo* (*Gen.* 12. 1); ut sciant omnes homines, quicumque voluerint esse filii Abrahae, et terram illam vivam promissionis accipere, de qua scriptum est: *Credo videre bona Domini in terra viventium (Psal.* 26. 13): quoniam bona sua debent contemnere, sicut Abraham terram suam contempsit, et parentes suos carnales dimittere, sicut ille cognationem suam dimisit. Qui autem Abraham imitari noluerint, non possunt esse filii

Commented [p2]: Col.613

Abrahae. *Abraham autem genuit Isaac,* qui interpretatur risus. Risus autem sanctorum est, non stulta cachinnatio labiorum, sed rationabile gaudium cordis, qui fuit per omnia mysterium Christi. Sicut enim ille Isaac, desperantibus jam parentibus, in ultima senectute donatus est laetitia suis, ut cognoscatur, quia non erat filius naturae, sed gratiae: sic et noster Isaac in novissimo fine productus est a matre Judaea gaudium cunctis, sicut dicit angelus ad pastores: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni plebi (Luc.* 2. 10). Unde ait Apostolus: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, natum sub lege (Gal.* 4. 4). Sed iste per virginem, ille de anu, ambo extra spem naturae. Ille postquam mater ejus parere posse cessaverat, iste priusquam mater ejus parere posse inciperet. Sed ille de anicula ideo jam deficiente, iste autem de virgine incorrupta: quia ille Isaac filios fuerat generaturus in lege corrumpenda, iste autem in gratia permansura. Sicut illum mater nescivit, quando ducebatur ad immolandum, sed postquam reversus est cognovit quia erat oblatos: sic istum synagoga non cognovit esse Filium Dei, cum duceretur ad mortem; sed postquam resurrexit a mortuis, tunc cognoverunt eum Judaei. Sicut ille ligna portavit, ubi fuerat incendendus: sic et iste lignum portavit, ubi fuerat crucifigendus. Sicut ille non restitit Abrahae, cum vellet eum occidere, sed dixit, Pater mi, liga mihi manus et pedes, nequando insurgam in impugnationem: sic et ille non contradixit Patri, sed paratus respondit, *Si possibile est, transeat a me calix iste: sed non sicut ego volo, sed sicut tu,* Pater *(Matth.* 26. 39). *Isaac autem genuit Esau et Jacob,* in figura duorum saeculorum. Esau a capite usque ad pedes totus pilosus, saeculum primum hoc significat, quod ab initio usque ad finem totum quasi asperrimis pilis iniquitatum repletum est. Jacob autem totus speciosus et nitidus, futurum saeculum significat, quod totum pietatis decore fulgebit, et non invenietur in illo aliqua asperitas aut nigredo peccati. Et quemadmodum cum de utero matris suae exiret Esau, tenuit plantam ejus Jacob: unde Hebraice Jacob appellatus est, id est, supplantator: mox enim ut illius pedes egressi sunt, istius caput apparuit: sic et in fine saeculi istius statim illius saeculi principium apparebit. Et quemadmodum Esau persequebatur Jacob, sic filii saeculi hujus persequuntur filios saeculi illius: et sicut ipse, ita et filii ejus, non resistendo sed fugiendo superant malos. Nam quemadmodum tunc mater adivit Jacob, dicens ei: *Fili, audi me et fuge in Mesopotamiam, donec quiescat ira fratris tui* (*Gen.* 27. 43. 44): sic et Ecclesia filios suos quotidie docet, cum persequutionem patiuntur, dicens: *Si vos persequuti fuerint in civitate ista, fugite in alteram (Matth.* 10. 23); et, *Date locum irae (Rom.* 12. 19). *Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.* Et noster Jacob genuit duodecim apostolos in spiritu, non in carne: verbo, non sanguine. Nam sicut ille cum suis duodecim descendit in Aegyptum, ut multiplicaretur: sic et Christus cum suis duodecim apostolis descendit in mundum, et multiplicatus est per totum mundum, sicut res ipsa testatur. Item sicut ille descendit, ut medullam Aegypti manducaret: sic et Christus cum suis apostolis intravit in istum mundum, ut medullam hujus mundi manducaret, id est, acquireret sibi. Medulla enim hujus mundi sunt homines sancti. Sicut enim medulla quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret; cum autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur: et sic quamdiu sunt fideles, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus Israelitis de Aegypto, exterminata est Aegyptus: sic et sancti cum de isto mundo defecerint, casurus est iste mundus. Judas autem interpretatur confessor, quoniam Christi erat imago, qui confessor Patris erat futurus, dicens: *Confiteor tibi. Pater, Domine caeli et terrae (Luc.* 10. 21). Quia sicut Judas meretrici conjunctus est, et dedit illi virgam et annulum; sic et Christus ecclesiae meretrici ex gentibus se conjunxit, et dedit illi pro

Commented [p3]: Col.614

mercede conjunctionis virgam crucis, et annulum Spiritus sancti per baptismum, quasi signaculum fidei praecedentis, quem etiam alibi lascivo filio revertenti dari praecepit pater benignus. Et ideo forsitan Thamar, uxor ejus, interpretatur immutata, vel exacerbatio: quia et in ipsa habet intellectum convenientem et in Ecclesia. In ipsa quidem, quia cum esset casta, in meretricem se immutavit, et facta est exacerbatio Judae in ira, sicut Genesis liber testatur. In Ecclesia autem, quia fuerat ecclesia meretrix, et exacerbatio Dei, postmodum autem immutata per fidem Christi facta est casta. *Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar.* In mysterie Judaici populi et gentilis. Zara enim primus ex utero egressus apparuit, obstetrix autem ligavit illi coccum ad manum, signans populum Judaicum rubricatum sanguine circumcisionis. Retracto autem Zara processit Phares: interclusa est enim caro in qua Zara erat inclusus; haec autem in qua Phares erat inclusus, adaperta est, ideo et processit primum *(Gen.* 38. 27-30). Sic Judaicus populus primus apparuit in luce fidei, quasi de vulva tenebrosa mundi procedens, et ideo signatus est cocco circumcisionis, putantibus omnibus, quia ipse populus Dei erat futurus primus. Sed quid? Posita est ante faciem ejus lex, quasi sepes, ut impediret justitiam ejus. Nam lex impedit fidem, non adjuvat, sicut scriptum est: *Priusquam veniret mandatum, peccatum quidem mortuum erat, ego autem vivebam: postquam venit mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum* (*Rom.* 7. 9. 10). Sic ergo impeditus est populus Judaicus per legem, ut non ad justitiae lucem veniret: sed subito temporibus Christi rupta est sepes legis, quae erat inter Judaeos et gentiles, sicut ait Apostolus, *Medium parietem maceriae solvens* (*Ephes.* 2. 14): sic factum est, ut ethnicus populus, qui primum, Judaico populo apparente, quasi in vulva tenebrosi mundi tenebatur inclusus: postquam rupta est lex per Christi mandata, excluso Judaico populo, iste primus processit ad fidem, et postea sequitur Judaicus populus, sicut ait Apostolus: *Ecce mysterium vobis dico. Ex parte coecitas in Israel contigit, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (1. *Cor.* 15. 51. *Rom.* 11. 25. 26). Sive autem Zaram quis dicat in figuram populi fuisse gentilis, qui primum per prophetas demonstratus apparuit, et ab eisdem prophetis dominici sanguinis cocco signatus est. Dum enim per Christi sanguinem regenerandus prophetizabatur, cocco dominici sanguinis signabatur: Phares autem in figura Judaici populi, qui saepe legis excluso populo gentili, primus processit, illo postea sequuturo: maceria legis sublata, non incongrue dicitur: propter quod et nominatus est ille Zaram, quod est oriens, vel nobilis. Iste autem Phares, quod est praecisio, quoniam populus Christianus semper oriens erat futurus, semper illustris: Judaicus autem interjectu legis praecisus ab eo. Et videtur quidem Judas ex incesto nurus suae Thamar conjugio filios suscepisse, revera autem neque ex meretrice. Meretrix enim non fuit, quia propter amorem seminis Israel finxit se meretricem, cum non esset. Nurus autem non fuit, quia nullus filiorum Judae habuit eam: nam primus filius Judae, cum Judas, suo ipsius experimento exterritus, noluisset ei accipere conjugem ex filiabus Chananaeorum, sed dedisset ei Thamar ex filiabus Aram, mater autem ejus, cum esset Chananaea, hortaretur eam accipere ex genere suo: ille consilio matris usus, non contigit eam, propter quod et percussit eum Dominus malignantem. Alter autem filius, audito quod fratri suo semen fuerat suscitatura, non sibi, semen suum effudit in terram, propter quod et ipse percussus est. Et sic factum est, ut Thamar virgo maneret. Haec autem ita de filiis suis gesta cum nesciens Judas diu lamentaretur, et plangeret, poenitens quia nefandum opprobrium cum nuru sua, ut putavit, fecisset in Israel, et diu precaretur Deum, nec luctus sui terminum faceret, adstitit ei angelus Domini, et haec omnia exposuit ei, sicut fuerant gesta, et

Commented [p4]: Col.615

consolatus est eum. Judas autem tantae fuit religionis, ut et postquam cognovit non eam fuisse uxorem filiorum suorum, non acquieverit ei appropinquare: quoniam etsi quantum ad Deum ipsa non erat nurus, tamen quantum ad scientiam hominum nurus videbatur. Providebat enim bonum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Phares autem genuit Esrom.* Quoniam quidem causa et ratione providentiaque Dei posita sunt haec nomina, credimus, maxime cum essent hi principes generis electorum: qua autem causa et ratione posita sunt, vere ipsi scierunt, qui posuerunt, et Deus, cujus providentia ponebantur. Nos vero quod intelligere possumus in nominibus ipsis, hoc loquimur, maxime cum nullam scripturam canonicam de istis personis habeamus. Esrom enim, sicut Hebraeorum sermonum nominum interpretes dicunt, interpretatur, jaculum videns. Jacula autem sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsecus diabolus jaculatur in animam, et omnes tentationes adversitatum, quae provenerint fidelibus extrinsecus jaculante diabolo. Omnes deinde homines iniqui, quos vel contra veritatem, id est Dei voluntatem, vel contra servos ejus excitat inimicus, jacula ejus sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: *Ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula maligni ignea exstinguere* (*Ephes.* 6. 16). Qui ergo videns est jaculum, vigilans est contra versutias inimici, et de longe prospicit jacula ejus, et cavet, aut scuto fidei suscepto retorquet ad Dominum. Vult ergo Dominus omnes servos suos videntes esse jacula super se venientia. Qui autem non videt ea super se venientia, quomodo ea declinet? Potest et aliter homo justus jaculum videns intelligi, ut sit ipse jaculum videns Christi, cum et ipse Christus dicatur jaculum Patris, Isaia dicente: *Qui posuit me sicut sagittam electam in pharetra sua* (*Isai.* 49. 2). Iste ergo vir fidelis, et jaculum Christi, et missus a Christo: et jaculum est, non irrationabile, sed rationabile: et videns, ut sciat ipse quae debet configere, et quae pertransire. *Esrom autem genuit Aram.* Aram interpretatur visio eorum, vel irritatio eorum, vel elatus, aut lux eorum. Sicut nominum istorum significatio dat intelligere: aestimo quod in tempore istius Aram, filii Israel in Aegypto valde erant multiplicati et elati, et refulgentes. Et multiplicatio eorum zelabilis facta erat in oculis Aegyptiorum, et irritatio erat facta ipsorum, secundum quod in Exodo scriptum est: *Ecce genus filiorum Israel multiplicatum est super nos; venite ergo, circumveniamus eos (Exod.* 1. 9. 10). Et in tempore ejus forsitan gementes eos sub depressione Aegyptiorum Dominus vidit, sicut scriptum est: *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Aeygpto, et gemitum ejus audivi* (*Exod.* 3. 7). Idcirco secundum providentiam Dei tale nomen ei impositum est, vel quia irritaverunt Aegyptios valde crescentes, atque elati; vel quia vidit eos Dominus ingemiscentes et laborantes. Et ex consideratione temporis ipsius credibilis res est. Nam tribus modis circumvenerunt filios Israel: primum in opere luti, deinde per obstetrices, tertia vice ut expositos facerent infantes suos, in quo tempore natus est Moses. Denique ipse Aram Aminadab filiam accepit uxorem, sororem Naason. Inter circumventionem ergo unam, et inter circumventionem alteram non nisi ut aliquot transacti sint anni. Et ita fit, ut recte multiplicatio filiorum Israel in tempore Aram zelabilis facta fuisse intelligatur, et afflictio ei supervenisse, et Dei visitatio eum perspexisse. Convenienter autem Aram, qui erat irritatio Aegyptiorum, vel visitatio ipsorum, vel lux eorum, genuit filium Aminadab, qui interpretatur, vel gens desiderata, vel populi mei voluntarii. Nec enim facta fuisset super eos visitatio Dei, nisi gens desiderata fuisset, et populus voluntarius. Neque fuisset irritatio Aegyptiorum, nisi desiderabiles et voluntarii Deo fuissent: et usque nunc qui desiderabiles sunt, et voluntarii Deo, illi sunt zelabiles, et irritant ad invidiam sui tenebrarum viros. Idipsum autem est

Commented [p5]: Col.616

voluntarium esse populum, et gentem esse desiderabilem. Qui enim voluntarius est Deo, et dicit, *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* 53. 8), ipse est et desiderabilis apud Deum: et qui desiderabilis est Deo, sine dubio voluntarius est: quia non omnino subjectionem hominum diligit Deus, aut famulatum, sed voluntariam subjectionem, et voluntarium famulatum. Natura enim omnes sub Deo sunt, quoniam et a Deo creati sunt. Voluntate autem non omnes sunt Dei, quia secundum opera diabolo se substernunt. *Aminadab autem*, qui erat voluntarius populus, vel gens desiderata, *genuit Naason*, qui interpretatur refectio, id est requies. Vere enim quicumque est voluntarius Deo, et praebet se desiderabilem apud Deum, generat sibi refectionem et requiem. Congrue autem Naason, in cujus tempore filii Israel de Aegypto exierunt, qui et princeps factus est super tribum Judae, refectio et requies est nominatus, quoniam in tempore illius de servitute Aegyptiorum violentorum et de laboriosis operibus luteis liberati requieverunt, et refectionem consequuti sunt in deserto et corporis et animae: corporis quidem, quia ad libertatem venerunt corporalem; animae autem, quia post immundas culturas Aegyptiorum ad notitiam perducti sunt Dei viventis. Sed et columbinus, et serpentinus interpretatur Naason, forsitan quia prudens erat in bono, sicut serpens; simplex autem in malo, sicut columba. Hic autem Naason, ut diximus, exivit de terra Aegypti, qui fuit princeps tribus Judae: sicut res ipsa ostendit. Nec enim poterat iste fieri princeps, si pater ejus vixisset, nisi forte aliquis dicat sic Aminadab semen exstitisse, ut non posset gerere principatum: quod non aestimo verum. Quod ergo dicitur in Exodo, quoniam quinta generatione filii Israel de Aegypto exierunt, secundum generationes invenitur tribus Levi. Jacob autem genuit Levi, Levi autem genuit Gad, Gad autem genuit Amram, Amra autem genuit Mosen et Aaron. Quatuor itaque generationibus defunctis in Aegypto, usque Amram, exivit generatio quinta, id est Moses et Aaron. Secundum generationes autem tribus Juda septima generatio de Aegypto videtur exisse, sex generationibus defunctis in Aegypto (1. *Paral.* 6): id est, Jacob, Juda, Phares, Esrom, Aram, et Aminadab: septimus autem egressus est Naason. Puto autem hoc, quod tribus Juda magis multiplicabatur prae omnibus tribubus. Tribus autem Levi non sic multiplicabatur, quia Levitae circa templi obsequium, ubi pauci suffecerunt, necessarii tantum erant, sicut et Numerorum liber testatur. Tamen si rationis est, quod Enoch, qui translatus est, in septima generatione sit natus: si rationis est quod Noe in generatione decima ab Adam, qui mysterium fuit Christi: si rationis est, quod scilicet in decima generatione natus est Abraham a Noe: si rationis est, quod de Abraham usque ad legem, id est usque ad Mosem, septem generationes habentur: sine dubio et hoc rationis est, quoniam secundum quidem tribum Levi in quinta generatione egressi sunt de Aegypto, secundum autem tribum Juda in septima. In tribu ergo Levi, quia generatio quinta exivit, defunctis in Aegypto quatuor, hoc puto mysterium, quoniam omnis homo ex quatuor elementis creatur secundum corpus, id est, ex terra, ex aere, ex igne, ex aqua: post haec autem per baptismum regeneratus fit filius Dei. In quo ergo quatuor elementorum generationes moriuntur in mundo, ille vero per baptismum in quinta generatione spiritus exit de mundo: hoc est, qui mortificavit membra sua super terram (*Col.* 3. 5), sicut ait Apostolus, quae ex quatuor elementorum generationibus consistunt, ut non jam in carne sit, sed in spiritu, ille exivit ad perfectum de mundo. Et nemo egredietur vere de mundo, nisi qui, mortificatis illis quatuor generationibus, coeperit esse in quinta: ut etiam ad eum dicat Apostolus, *Tu autem in carne non es, sed in spiritu (Rom.* 8. 9). Et hic ergo in tribu Juda. Alia quidem videtur esse species rationis, tamen pene eadem ratio est. Sextus enim numerus

Commented [p6]: Col.617

mysterium habet operis et laboris, propter quod et Deus omnia visibilia in sex diebus operatus est, et requievit in septima: septimus autem numerus mysterium indulgentiae, et otii, et requiei: sicut in multis diximus locis. Qui ergo transit omnia visibilia, et relinquit post se quaecumque intra sex dies creata sunt, hoc est, universum mundum hunc corruptibilem, et implet quod mandat Joannes in Epistola sua canonica, dicens: *Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt* (1. *Joan.* 2. 15): ille in septima die est, hoc est, in Christo, et requie est; Christus enim est requies nostra, sicut dicit de Judaeis minime intraturis in eam propheta David: *Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (*Psal.* 94. 11). Ille otiatur ab universo opere mundi, qui et sabbatizat a malis sabbatum sanctum, ille et meretur indulgentiam: si aliquod gessit humanum, ille exivit de mundo. Qui autem in mundo est, numquam in septima requie est, nec otiatur a malis umquam, nec sabbatizat. Et qui in septima requie est, ille non est de mundo: qui autem in mundo est, indulgentia dignus non est. Vide quam prudenter secundum rationes, quas diximus, Levitae quidem in quinta generatione exeunt de Aegypto: regales autem in septima, quoniam regales modicum aut multum plerumque delinquunt, ipsa potestate cogente, et difficile est eos esse sine delicto perfectos: propterea si moderate deliquerint, indulgentia digni efficiuntur. Levitae autem, et viri religiosi sacerdotales, perfecti et spirituales, et sine macula esse debent. Ideo quaeritur in illis, ut quatuor generationibus illis omnino mortificatis in corpore, in quinta generatione mundi consistant: nihil, si possibile est, carnis habentes in se, nisi quod vitam sustentet, sicut dicit Apostolus: *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1. *Tim.* 6. 8). *Naasum autem genuit Salmon.* Salmon autem interpretatur, accipe vas. Iste Salmon accepit uxorem nomine Raab. Haec autem Raab ipsa dicitur fuisse meretrix de Jericho, quae suscepit exploratores, et legatos filiorum Israel: et cum quaererentur a rege Jericho, ut occiderentur, abscondit eos in superiori parte domus suae, et servavit incolumes; audiens autem facta filiorum Israel, dilexit Israel amplius quam propriam gentem. Et dupliciter mihi res ista credibilis esse videtur. Primum, cum esset Salmon nobilis inter filios Israel, et quia de tribu Juda erat, et quia filius principis, vidit Raab illam fidelem sic conversam ad bonum, et a Deo dilectam, et deductam de Jericho secundum Dei praeceptum, et computatam inter filias Israel, quasi magnam illam aliquam constitutam, meruit accipere Salmon in uxorem. Deinde credo, et propter rationem spiritualis mysterii: quoniam Raab illa meretrix figura fuit Ecclesiae, quae cum fuisset ex gentibus meretrix et culturis idolorum commaculata suscipiens speculatores Jesu Christi, id est apostolos, in domum pectoris sui per verba ipsorum, abscondit eos sursum in memoria capitis sui, ut non inveniret eos princeps mundi diabolus, nec perderet eos, qui signo rubri sparti, et per fenestram demissi, quasi per indicium dominicae passionis salvata, et educta de mundo, et castificata, facta est sponsa Christi. Salmon iste decimus est ab Abraham. Semper autem decimus numerus, quia numerus est perfectionis, mysterium habet Christi perfecti: propter quod et prima litera nominis Jesu iota habet, decem denotans: ergo et quia Salmon in numero fuit mystico Christi, et illa in mysterio fuit Ecclesiae, non sine ratione credimus ipsam fuisse Raab, et accepisse eam Salmonem. Forsitan autem ideo et interpretatur Salmon, accipe vas, quasi per ipsum nomen invitabatur a providentia Dei, ut acciperet vas electionis Raab. Nam sicut Paulus, cum fuisset persequutor, dignus probatus in apostolatu, vas electionis factus est Deo *(Act.* 9. 15): sic et Raab cum fuisset meretrix, et gentilis, digna aestimabatur a populo Israel, ut esset conjuncta Salmoni. Vel spiritualiter, conjugio Christi, quia vas electionis facta est Christo: huic mysterio

Commented [p7]: Col.618

utrumque meretricis illius convenit nomen. Prius enim dicebatur Raab, quod interpretatur latitudo, vel dilatata: aut quia ex omnibus finibus terrae vocata Ecclesia, gentium latitudo appellabatur: aut dilatata, quia credens ex toto orbe terrarum in toto fundata est mundo. Haec autem Raab, postquam nupsit Salmon, nominata est Rachab, quod interpretatur ascensio. Vere enim sicut corporaliter Rachab illa ascendit, facta una ex filiabus Israel, et dignificata conjugio talis viri, sic et spiritualiter ista ascendit: quia cum fuisset Ecclesia cultrix antea idolorum, facta est socia angelorum, et sponsa Christi, et filia Dei. Salmon ille, qui interpretatur accipe vas, qualem filium genuit ex Rachab? Booz qui interpretatur in virtute, vel virtus in ipso, sive praevalens, qui secundum imperium Dei accepit uxorem Ruth a Deo provisam: in virtute generat filios, et in seipsis virtutem habentes, et praevalentes. Qui autem recipiunt uxores ex provisione diaboli, id est, non religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec praevalentes umquam nec fortes nisi in malo, et ad poenam irreligionis suae, non ad gaudium, nec ad consolationem videntur filios genuisse. Hic itaque Booz accepit uxorem Moabitidem nomine Ruth (*Ruth*. 4). Quomodo accepit eam, exponere existimavi superfluum, cum de his Scriptura sit omnibus manifesta. Hoc autem dicimus solum, quoniam et Ruth pro merito fidei suae nupsit Booz, quia propriam gentem contempsit, et terram, et genus, et elegit Israel, et non despexit socrum viduam simul et peregrinam, desiderio ducta generis ejus magis quam sui. Deos patrum suorum repulit, et Deum viventem elegit, talibus verbis dicens ad socrum suam: «Noli obviare mihi, ut relinquam te, quoniam ubicumque ieris, ibo: et ubicumque manseris, manebo. Populus tuus, populus meus est: et Deus tuus, Deus meus est: ut ubicumque mortua fueris, moriar, et ibi sepeliar. Hoc faciat mihi Deus, et hoc augeat, si non sola mors separaverit inter te et me» *(Ruth.* 1. 16. 17). Ergo Booz pro merito suae fidei illam accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato genus nasceretur regale. Nam Booz senior constitutus, non sibi uxorem accepit, sed Deo: non propter passionem corporis sui, sed propter justitiam legis, ut suscitaret semen proximo suo: non magis amore quam religione ferventior: aetate senex, juvenis autem fide, et ideo forsitan nominatus est in virtute, vel virtus in ipso praevalens. Quoniam qui secundum aetatem ad ineundum conjugium est in virtute, non est nominabilis et laudandus, quia est in virtute: sed qui extra aetatem conjugalem jam factus, accepit ex religione virtutem ad conjugium ineundum, sicut iste Booz, ille laudabilis et nominabilis est, quia exsistit in virtute, et illius talis viri virtus in ipso est. Juvenis enim virtus non est in ipso, sed in juventute corporis ejus, ideo et postmodum exhausta marcescit. Qui autem in anima sua fidei habet virtutem, sicut et habebat Booz, illius virtus in ipso est, et ideo insenescibilis est. Consequenter et Ruth inspiratio est appellata. Nam nisi inspiratio Dei fuisset in ea, non dixisset quae dixit, nec fecisset quae fecit. Quid primum laudatur in ea? dilectio generis Israel, aut simplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, et una fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem juvenem potius appetisset. Quoniam autem non lasciviae suae, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quam juvenilem aetatem. Simplicitas autem, quia ultronea sub pallium ejus ingressa est, nec cogitavit ne forte sperneret eam quasi vir justus lascivam puellam, aut ne deluderet eam: et quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi: sed obaudiens facta socrus suae consiliis, confidenter credidit quia prosperaturus fuerat Deus actum ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libido ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata. Quid autem et in Booz

Commented [p8]: Col.619

praedicatur? Humilitas, castitas, et religio. Humilitas quidem et castitas, quia non contigit eam quasi lascivus puellam, nec abhorruit eam quasi castus lascivam: sed mox ut verbum ejus de lege proximitatis audivit, nihil horum omnium lasciviae imputavit, sed universa religioni adscripsit. Nec despexit quasi dives pauperem, nec veritus est quasi maturus adolescentulam, sed paratior fide quam corpore, mane processit ad portam, et provocavit quemdam ex genere, quem jure proximitatis aestimabat propinquiorem: obtinuit, praevaluit non tantum jure proximitatis, quantum Dei eligentis favore, idcirco forte praevalens dictus est. Talis ergo Booz ex tali conjuge Ruth qualem filium genuit? Obeth, qui interpretatur subditus. Nunc autem qui divitias eligunt, et non mores, pulchritudinem, et non fidem, et quod in meretricibus solet quaeri, hoc in conjugibus optant, propterea non generant filios subditos vel sibi, vel Deo, sed contumaces et contra se, et contra Deum, ut filii eorum non sint fructus justae conjunctionis eorum, sed poena condigna irreligiositatis ipsorum. Iste autem Obeth, qui subditus dicebatur, quid genuit? Jesse, id est refrigerium. Jesse enim Latino sermone refrigerium appellatur. Nam vere quicumque subditus est Deo, et parentibus suis, tales filios generat, Deo praestante, a quibus refrigeretur: quoniam qui honorat patrem, honorabitur a filiis suis *(Eccli.* 3. 6): qui autem contumaces exsistunt, aut in Deum, aut in parentes, generantes non refrigeria sibi generant, sed dolores, ut a filiis suis recipiant quod fecerunt in parentibus. Adhuc aestimo propter Obeth, qui subditus est nominatus, et propter Jesse, qui refrigerium est dictus, ne forte in diebus Obeth filii Israel propter delicta sua traditi erant sub potestate gentis cujusdam, sicut in libro Judicum frequenter legimus factum. Et quoniam subditi facti fuerant cuidam genti, convenienter in tempore illo natus Obeth subditus est appellatus. Jesse autem, sicut ex parte colligere de scriptura Regnorum potuimus, quot annorum David appropinquare coepit Sauli, jam tot annis regnante, pene secundum tempus exstitit Samuel, sub quo judice et propheta placentes per omnia Deo filii Israel et corporaliter refrigerati sunt, et ab Allophylis liberati, et spiritualiter bene agentes, et ideo forte Jesse refrigerium est appellatus. *Jesse autem genuit David regem*. Quia Deus in generatione justorum est, et generatio rectorum benedicetur. De David autem numquid tantum dicere possumus, quantum scriptura Regnorum? Idcirco praetermittentes omnia, hoc dicimus solum, quia et Jesu Christi imago fuit David. David autem interpretatur sufficiens manu, vel dilectus, sicut et Christus fuit, et in bello fortis, et potens, et patri dilectus, et in actibus suis, et in misericordia, et in mansuetudine sua prophetatio fuit Christi. Et quid dicam in actibus suis justis, aut in persequutionibus suis injustis? In ipso etiam peccato suo pessimo, Christi et Ecclesiae mysterium fuit. Sicut enim David cum esset in solario suo excelso laetus, vidit speciosam Bersabee, cum lavaretur, et concupivit eam, et habuit, cum adhoc esset in conjugio viri alterius Ethei: sic et Christus cum esset in caelo suo altissimo, adhuc laetus in sua divinitate, vidit Ecclesiam gentium speciosam secundum cor, displicentem sibi in sordibus errorum suorum, et bonis operibus se diluentem, cum adhuc diaboli esset conjunx, vidit eam, et concupivit, et habuit prius. Post haec autem descendens in mundum, sicut David postea, interfecto Uria, uxorem ejus sibi in conjugem sumpsit: sic et Christus destructo diabolo, subditas ei gentes traxit in conjugium suum. Nam sicut David primum Bersabee habuit cum adhuc esset sub proprio viro, postea eam legitimam uxorem accepit (2. *Reg.* 11): sic et Christus et tunc fecit Ecclesiae, et modo facit omni animae rectae. Nisi enim Deus prius habuerit aut Judaeum, aut gentilem, impossibile est, ut adducat eum ad fidem suam, ut puta Cornelium adduxit ad fidem suam per ministerium Petri (*Act.* 10): sed antea habuit animam ejus, operans in ea orationes

Commented [p9]: Col.620

assiduas et eleemosynas multas, sicut Actus apostolorum testantur. Centurionem vocavit ad fidem suam (*Matth.* 8), sed prius cum adhuc esset sub diabolo, habuit animam ejus, operans in ea dilectionem gentis Dei, et aedificans synagogas: sic quod diabolum facere videmus. Impossibile est, ut aliquem Christianorum ad perfidiam trahat, nisi prius cum adhuc sub Christo esset, habuerit animam ejus, et operatus fuerit in ea proprium opus, et probaverit consensum ipsius. Ecce Judam, priusquam disjungeret eum a Christo, et sibi conjungeret, prius habuit eum, operans in eo cupiditatem pecuniarum, et furta. Postquam vero delectatus est in conscientia sua sibi convenienti, tunc compulit eum tradere Christum, et transire ad sua. Bersabee autem interpretatur filia potentis, quod nomen secundum mysterium Ecclesiae habet idoneam rationem. Ecclesia enim nupta nostro David, filia facta est Dei omnipotentis, quae prius filia diaboli videbatur fuisse. Adhuc interpretatur Bersabee, e litera duplicata in fine, puteus septimus, quod corporaliter et spiritualiter habet interpretationem convenientem. Quoniam sicut dat nobis intelligere scriptura Paralipomenon, uxores septem habuit David, ex quibus filios generavit: sex quidem quas accepit in Ebron, septimam autem in Jerosolymis Bersabee (2. *Reg.* 3. *et* 1. *Par.* 3). Putei autem in Proverbiis Salomonis, quamvis et alterum interiorem habeant intellectum, tamen in prima facie uxores significantur: ubi docet cum uxoribus propriis virum debere permanere, dicens: *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (*Prov.* 5. 15). Si ergo putei uxores intelliguntur, convenienter Bersabee septimus puteus interpretatur, quia et septima exstitit uxor. Sed et Christus septem Ecclesiarum sponsus habetur. Nam quamvis innumerabiles sint Ecclesiae, secundum diversitatem locorum, tamen omnes septem dicuntur propter Spiritus septem, quibus sustentatur omnis Ecclesia. Unde et Joannes et Paulus apostolus ad septem Ecclesias scribunt, quasi ad omnes. De regibus autem residuis dicere aliquid visum est mihi superfluum, cum desiderantibus dicere vel audire de eis sufficiat scriptura Regnorum. Sed tamen secundum quod Hebraicorum sermonum interpretes tradiderunt, nomina eorum actibus coaptare tentavimus, ut Dei providentiam et in ipsis hominum nominibus ostendamus, et spiritalem delectationem audienti populo acquiramus. *David autem genuit Salomonem.* Salomon autem interpretatur pacificus. Pacificus est autem appellatus, quoniam, omnibus in circuitu gentibus et pacificatis, et tributa reddentibus, pacificum habuit regnum, ita ut et templum Deo aedificaret, utens etiam ministerio gentium: quoniam in figura fuit nostri pacifici Christi, qui confugientibus ad se per fidem gentibus universis, et bonorum operum spiritalia tributa solventibus, pacificum habuit regnum: ita ut ex vivis lapidibus non solum Judaeis, sed etiam gentibus vivum templum Deo aedificaret viventi. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam autem interpretatur in multitudine populi. Aestimo quod pater quidem ejus, sicut omnium regum patres, ex bono proposito ei nomen imposuit Roboam: Dei autem providentia, sicut et omnium regum nomina secundum actus eorum proprio dispensavit nomine, sive in bono, sive in malo: Salomon ergo cum haberet regnum valde multiplicatum, meritis patris sui David, et suis, quia dilexerat eum Deus in primis, natum sibi in tempore illo filium, appellavit Roboam, id est, in multitudine populi, quasi factum in multitudine populi, ut secundum statum regni sui multiplicati nominaretur filius ejus: providentia autem Dei, quia fuerat peccator futurus, et dissidium regni sui passurus, dispensavit, ut diceretur, in multitudine populi: quoniam quod fit in multitudine populi, statim facile seditionem multitudinis patitur. Multitudo enim mater est seditionis et contumaciae: quia quidquid a multis peccatur, plerumque manet invindicabile: paucitas autem magistra est disciplinae. Aestimo quod Salomon et Roboam

Commented [p10]: Col.621

in mysterio Christi fuerunt; quod si in mysterio Christi fuerunt, consequenter et in mysterio populi Christiani. Namque cum sint omnes Christiani corpus Christi, recte universus populus Christianus accipiendus est Christus: sic et Salomon in mysterio populi fuit Christiani bene incipientis: Roboam autem in mysterio populi male finientis. Nam sicut circa senectutem Salomone peccante, excitavit Dominus satan super eum, detruncavit ex parte modica regnum ejus: in tempore autem Roboam, abjicientis consilium seniorum, et sequentis consilia juvenum coaetaneorum suorum, ad plenum scissum est regnum, ita ut decem tribubus secedentibus, et proprium sibi facientibus regem, duae tribus tantummodo manebant sub Roboam (3. *Reg.* 12. *et* 2. *Par.* 10). Sic populus Christianus in primus quasi bene agens prosperatus est, sicut Salomon: procedente autem tempore, cum coepisset delinquere populus Christianus, et amare quae carnis sunt et mundi, quasi filiam Pharaonis, quam diabolus subministrat princeps carnis et mundi, ad tentationem Christianorum, excitavit Deus super populum Christianorum spiritum schismatis. In primis quidem debilitatus est Christianus populus in quibusdam schismatibus. In novissimo autem populi Christiani quasi in tempore Roboam abundante iniquitate, et caritate refrigerscente, plenius conscissus est populus Christianus, ita ut maxima pars Christianorum divideretur in haereses, et faceret sibi proprios episcopos, quasi proprios reges, et vix paucissimi Christiani remanerent in Ecclesia Christi sub Christo. Et sicut tunc Roboam abjiciens consilium seniorum, et coaetaneorum suorum sequens, occasionem praebuit dissidio illi: sic et circa finem episcopi relinquentes consilia seniorum apostolorum, et prophetarum, secundum quod consiliati fuerant episcopos conversari debere, vel episcopatum suum tractare, et sequuti sunt consilia coaetaneorum suorum, et juvenum consiliantium episcopum oportere divitem fieri et inhospitalem, et timorem Dei non habere, et talia quaedam alloqui quae moveant plausum: et dederunt occasionem diabolo praecisionum faciendarum, non attendentes quae Dominus dicit: *Si autem coeperit dispensator dicere, Quia Deus meus moram facit; et coeperit castigare pueros et ancillas et manducare et bibere cum ebriosis, veniet dominus ejus in die qua nescit, et hora qua ignorat, et dividet eum* (*Luc.* 12. 45. 46). Iterum quod praecepit Petrus: *Non ut dominantes, sed quasi episcopatum tenentes* (1. *Petr.* 5. 3). Item Paulus: *Novitates vocum devita; generant enim lites, et sermo eorum sicut cancer serpit* (2. *Tim.* 2. 23). Item: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti* (*Ib. c.* 1. 13). De qua prosperatione prima populi Christiani, et de adversitate novissima prophetatur in Psalmo. De prosperatione prima sic: *Tunc loquutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti* (*Psal.* 88. 20), et caetera quae sequuntur. De adversitate autem novissima sic: *Tu vero repulisti, et pro nihilo deduxisti et distulisti Christum tuum* (*Ibid. v.* 39), et caetera quae sequuntur. Vide quia quomodo tunc in regno Judae quidam reges exstiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores, in regno autem Israel nemo regum inventus est justus: sic et in Ecclesia Christi inveniuntur quidem episcopi boni et peccatores, in haeresibus autem nemo invenitur omnino rectus, sed omnes perversi: quia in auro quidem invenitur scoria et sordes, in sordibus autem non invenitur aurum. *Roboam autem genuit Abiam.* Abias autem interpretatur pater veniens, vel patris mei hic. Forsitan hic Abias similis natus fuerat patri suo in corpore, ideo appellaverunt eum pater veniens, quasi alter pater nascens: vel patris mei hic, quasi patris sui hic esset imago. Providentia autem Dei sic ordinavit eum vocari, quia sicut Roboam coepit recte, postea autem exstitit peccator in Deum, sic et Abias. *Abias autem genuit Asa.* Asa autem interpretatur unguentum. Iste enim Asa valde perfectus fuit corde, et placens Deo, sicut

Commented [p11]: Col.622

Regnorum liber ostendit. Propter hoc forte a Deo est ordinatum, ut appellaretur unguentum: quia sicut unguentum et in hyeme floridum est et boni odoris, et homines suo odore delectat, atque impinguat, cum ex eo uncti fuerint: sic et justus et in hyeme tentationis immarcescibilis est, et fidelis manet. Sicut fuit in Asa, qui et bonae opinionis est, et historia scripta de eo delectat legentem, et aedificat, et impinguat, et ad desiderium suae sanctitatis excitat viros prudentes. *Asa autem genuit Josaphat.* Josaphat autem interpretatur Dominus judex: puto quod Asa pater ejus, cum propter justitiam ejus eum Dominus prosperasset in omnibus, et inimicos ejus confregisset ante faciem ejus, sicut scriptura testatur Regnorum, quasi in ipso nomine filii sui confessionem offerens Deo judici justo, vocavit eum Dominus judex (3. *Reg.* 15). Nam vere justi judicis est, bene agentem remunerare, et negligentem corripere, sicut fecit Deus Asa. Nam postquam Aethiopum et Libyum virtutem innumerabilem Deus deposuisset ante faciem ejus, postea adversante sibi rege Israel Basa, Syrorum auxilium petiit adversus eum: propter quod et misit ad eum Ananiam prophetam dicentem haec: «In quo confidis te regem, et non confidis in Dominum Deum tuum, propterea labefactata est virtus Syriae de manu tua. Nonne Aethiopes et Libyes erant in virtute magna, et in currus, et equites, et multitudinem copiosam? Et cum confideres in Dominum, tradidit illos in manus tuas: quoniam oculi Domini respiciunt in omnem terram, ad conservandum illum, qui est perfecto corde ad eum. Et evanuisti de isto» (2. *Paral*. 16. 7-9). Propter quam diffidentiam puto quod et in senectute doluit pedes, quia Dominus justus judex per omnia fuit in eo. Nam nec modicam justitiam servorum suorum sine remuneratione relinquit, nec modicam culpam sine correctione dissimulat. Sed et in filium ejus Josaphat, qui hoc nomine vocabatur, justus exstitit judex, quoniam et ipse consummatus fuit, sicut pater ejus Asa, et adhuc amplius. Propter hoc et Dominus justus judex amplius adhuc exaltavit et glorificavit Josaphat, quam patrem ejus Asa, ita ut omnes reges in circuitu munera ei offerrent, quemadmodum Salomoni. Sed tamen cum fecisset amicitias cum Achab, et dedisset ei auxilium ascendenti ad bellum, circumdederunt eum currus: et cum jam periclitaretur occidi, exclamavit ad Dominum, et eripuit eum. Cum autem interfecto Achab reverteretur in Jerusalem, misit Deus ad eum Jehu prophetam filium Ananiae, dicentem: *Si peccatorem illum adjuvisti, et illis qui oderunt Deum amicus es, et in hoc super te ira a facie Domini descendisset, nisi sermones boni inventi fuissent tecum, quoniam abstulisti lucos de terra Juda, et parasti cor tuum ad requirendum Dominum* (2. *Par*. 19. 2. 3). Vides quia nec dare oportuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere? Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supradicta historia de Asa. Quoniam vero nec dare, instruit nos haec scriptura de Josaphat. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quam Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur Deo. Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat. *Josaphat autem genuit Joram.* Joram autem interpretatur Dominus altitudo. Hic Joram similiter sicut pater suus Josaphat, prosperatus est nimis, et exaltatus in regno: quasi confidens in Domino vocavit filium suum natum, Dominus altitudo: tamquam si dicat, Dominus est altitudo mea qui me non merito meo, sed misericordia sua fecit in altitudine. Forsan et providentia Dei, quia impius erat futurus et superbus, sic eum nominari disposuit. Nam iste Joram in magnitudine divitiarum elatus est, et valde impie gessit in Deum, sicut liber Regnorum et Paralipomenon testantur. Habens uxorem nomine Godoliam filiam Jezabelis, et Achab ejus consilio utens, valde exstitit iniquus in Deum et elatus, ipsam altitudinem sibi quasi

Commented [p12]: Col.623

Deum vel Dominum fecit, confidens in altitudine. Omnis enim homo malum ipsum, cui servit, dominum sibi facit. Nam ita elatus est, ut et fratres suos omnes occideret, quos ei quasi adjutores et consiliarios reliquerat pater. Propter quae omnia percussit eum Dominus passione gravissima et diutina, ita ut ante biduum mortis suae intestina sua putrefacta jactaret. *Joram autem genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Joam. Joas autem genuit Amaziam. Amazias autem genuit Oziam.* Sed juste usque ad tres generationes ex eo sanctus Spiritus per Matthaeum praecepit de numero regum tollere de immundo et maledicto semine natos, in generationibus Christi spernens connumerare. Joram autem ex semine Achab et Jezabel, accipiens sibi uxorem Godoliam nomine, genuit ex ea Ochoziam. Ochozias autem genuit Joam. Joas autem Amaziam, in quo completur generatio quarta seminis iniqui et maledicti. Achab enim rex Israel, accipiens uxorem Jezabel filiam Sidonii regis, contra Dei praeceptum impiam nimis, multas impietates commisit in Dominum, illa se instigante. Propter quod Spiritus sanctus per prophetam contestatus est dicens: Ut disperderet omnem masculum de domo Achab. Quam prophetiam implevit Jehu filius Nanzi, unctus a puero qui missus erat ab Helisaeo, et accepit promissionem, ut usque ad quartam generationem sedeant filii ejus in sede regni super Israel. Quanta ergo benedictio facta est super Jehu, qui vindictam fecerat super domum Achab: tanta fuit maledictio super domum Joram propter filiam iniqui Achab et Jezabel, ut usque ad quartam generationem praecidantur filii ejus de numero regum, et sic peccatum ejus descendit in filios ejus, sicut fuerat scriptum: *Peccata patrum reddam in filios usque in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* 20. 5). Videte ergo per istam scripturam, quam periculosum est inire conjugia ex genere impiorum, sicut Joram: et quam gloriosum est vindictam in impios facere, sicut fecit Jehu. Quantum ergo ad historiam Regnorum pertinet, Amazias genuit Oziam: quantum ad Matthaeum, Joram genuit Oziam. Unde Ozias interpretatur filius nobilis. Qua autem causa vocaverit eum pater filium nobilem, non potuit aestimare, nisi forte si quis aestimet eum speciosum fuisse natum, aut forte primitivum fuisse: quoniam tunc primitivi apud illos clari et honorabiles habebantur: tum et secundum Deum, quantum ad alios qui ex maledicto semine descenderant reges. Etiam secundum Deum nobilis fuit, quia fecit Ozias quod placitum erat Deo, et in omnibus a Deo adjutus est, propter quod cum fuisset a Deo prosperatus, elatum est cor ejus, et dignum se aestimavit etiam sacerdotali officio fungi (2. *Paral.* 26). Nam cum usurpasset sibi thuribulum inferre in templum, et resisterent ei filii Aaron et Levitae, quasi illicita appetenti, comminatus est eis, quasi rex potestate subnixus. Confestim autem Deus percussit eum lepra, et visa est lepra bis in fronte ejus, et exsilivit foras, et sedit domi usque ad mortem suam leprosus. Videte quam illicitum est usurpare opus quod a Deo non est commissum. Quale facit peccatum laicus usurpans sibi opus clericale, tale facit peccatum et lector, si usurpaverit opus diaconi: et diaconus, si usurpaverit sibi presbyteri opus: et presbyter, si episcopalem appetierit potestatem. Vide quomodo secundum quod prolongabatur generatio orta de illa maledicta familia, sic paulatim per generationes muniebatur in eis iniquitas. Ecce enim Ochozias pejor fuit omnibus post Joram patrem suum. Interpretatur autem Ochozias possessio invisibilis. Patrem autem ejus, cum fuisset impius, non possumus suspicari secundum Deum posuisse filio suo vocabulum, possessio invisibilis: nisi forte secundum diabolum, a quo seductus variis fluctuabatur erroribus. Hujus autem filius Joas jam melior fuit eo, sed non ad plenum. Nam quamdiu vixit Joiada sacerdos, qui unxerat eum in regem, valde puerum dilexit, et eripuit eum de manu Athaliae aviae suae, quae occiderat omnes nepotes suos,

Commented [p13]: Col.624

et ipse fecit quod placitum erat Deo. Postquam autem mortuus est Joiada, quem forte erubescebat quasi sanctum sacerdotem, et quasi auctorem vitae suae et regni, mutatus est, et fecit malum ante Deum. Denique cum induisset Spiritus sanctus Zachariam filium ipsius Joiadae, et dixisset ei: *Haec dicit Dominus: Quare praeteristi mandatum Domini? Non erit vobis in prosperum; quoniam dereliquisti Dominum, et ille derelinquet vos* (2. *Paral.* 24. 20): insurrexerunt in eum, et lapidaverunt eum ex praecepto regis: propter quod et convenienter nomen ejus interpretatur temporis prolongatio, quia prolongatio temporis mutavit eum in pejus. Item Amazias paulo melior exstitit, quam Joas: nam Amazias filius ejus in primis placuit Deo, sicut Joas, sed postea malignatus est sicut Joas: secundum hoc fuit melior quam Joas pater suus, quia Joas corripientem se prophetam lapidibus interfecit, et hoc ob filium Joiadae sacerdotis regificatoris sui. Amazias autem, cum misisset ad eum Deus Balaam prophetam dicentem: *Quare quaesisti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua* (2. *Paral.* 25. 15. 16)? non interfecit, sed comminatus respondit ei: *Numquid consiliarium regis dedi te? Cave tibi ne flagelleris.* Item Ozias filius Amaziae melior fuit omnibus illis praecedentibus ante se: et si non fuit irreprehensibilis, quia opus sacerdotii affectavit. Vide nunc secundum hoc et Dei judicium justum. Sicut enim Ozias, prolongato numero generationum, minus malus exstitit caeteris ex generatione maledicta progenitis, non tamen perfectus fuit; quia adhuc aliquid habuit generationis illius: sic et Deus non eum praescidit de numero regum, quia fecit quod placitum est Deo. Percussit autem eum lepra propter jactantiam ejus, ut domi sederet: ut videretur non de numero generationis Christi praecisus, sed fruitionis regni ex parte fraudatus. *Ozias autem genuit Joathan.* Joathan interpretatur perfectus, vel dominus immaculatus. Et vere perfectus fuit hic Joathan, et quantum ad reges se praecedentes dominus immaculatus, quia fecit quod placitum erat Deo, et nulla reprehensio ejus legitur in scriptura Regnorum. *Joathan autem genuit Achaz.* Achaz autem interpretatur firmamentum Domini, aut virtus. Joathan autem cum esset rectus et fidelis Deo, firmamentum suum et virtutem credens Dominum esse, a quo et fuerat prosperatus in regno, quasi confidens, firmamentum suum et virtutem credens Dominum esse, vocavit filium suum Achaz, et firmamentum Domini, vel virtutem. Ille autem non fuit firmamentum Domini, neque virtus. Neque enim firmavit eum Deus in bono, sed diabolus in malo, qui fuit dominus ejus. Nam valde impie gessit in Deum, sicut testatur scriptura Regnorum et Paralipomenon. Quod autem appellatus est Achaz firmamentum Domini, vel virtus, religionem quidem patris ejus ostendit, ipsius autem duritiam, quia sicut a conversatione patris factus est longe, sic et a proprietate nominis sui seipsum praecidit, nisi forte quod apud Isaiam prophetam positum est hoc modo: *Et factum est in diebus Achaz filii Joathan regis Juda, ascendit Rasim rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel ad Jerusalem, expugnare eam, et non potuerunt eam debellare. Et annuntiatum est in domo David a dicentibus: Consensit Syria cum Ephraim, et expavit anima ejus, et anima plebis ejus, sicut in sylva arbor* (*arundo*), *cum a vento commovetur. Et dixit Dominus ad Isaiam: Exi in obviam Achaz, tu, et qui relictus est Jasub filius tuus, ad piscinam superioris viae villae fullonis; et dices ei: Vide ut quiescas, et noli timere, neque anima tua languescat a duobus titionibus fumigantibus istis. Cum enim ira furoris mei facta fuerit, iterum sanabo: quoniam filius Aram et filius Romeliae, qui cogitaverunt cogitationem pessimam, dicentes: Ascendamus in Judaeam, et colloquentes eis, convertamus eos ad nos, et regem statuemus eis filium Thabeel. Haec dicit Adonai Dominus Sabaoth: Non manebit cogitatio ista, neque sic fiet* (*Isai.* 7. 1-7). Forsitan sic

Commented [p14]: Col.625

confortatus Achaz cum genuisset filium, vocavit nomen ejus Ezechias. Ezechias autem interpretatur, confortavit Dominus. Vere completa est in Ezechia confortatio Domini, cui animus exstitit sanctus super omnes reges, qui fuerunt ante eum. Nam inter caetera bona, quae merito praestitit ei Deus, cum misisset ad eum Sennacherib, rex Assyriorum, Rapsacem principem militiae suae, et libellum plenum improperiis et blasphemiis contra Deum, sicut exponit Isaias propheta (*Isai.* 37. *per totum*): Ezechias accepit libellum illum, et ingressus in templum apparuit ante Dominum, et oravit, et confestim missus est ad eum Isaias propheta, annuntians ei protectionem Dei, et confortans eum, et exiit ad preces Ezechiae angelus a facie Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Qualia autem fuerint verba Rapsacis, vel qualis oratio Ezechiae, vel qualis confortatio Isaiae, lege in Isaia, et profer causam excitationis in populo. *Ezechias autem genuit Manassen.* Manasses autem interpretatur ab insurgente, vel ex oblivione: quam interpretationem commendat et liber Geneseos, ubi cum natus fuisset in Aegypto filius Joseph, vocavit nomen ejus Manasses, dicens: *Oblivisci me fecit Dominus laborum meorum, et laborum omnium domus patris mei* (*Gen.* 41. 51). Si ab insurgente intelligatur, sic possumus dicere: quia forte ab insurgente Sennacherib contra eum liberavit eum Dominus: ideo quasi gratias agens Deo postea in nomine filii sui, vocavit eum Manassen. Si autem intelligatur ex oblivione, rationem alio modo possibile est existimare: quoniam non faciebat filium propter quod cum genuisset filium, vocavit nomen ejus ex oblivione, quasi ex desperato filium sibi natum. Haec secundum propositum bonum aestimabimus patris: alioqui secundum actum pessimum Manasses aliter est aestimandum: quoniam quidem pater ejus in illo praedicto proposito vocavit eum Manassen. Providentia autem Dei sic eum dispensavit vocari, quia obliturus fuerat omnem conversationem patris sui sanctam, et omnia beneficia Dei pro merito ejus collata in ipsum et stimulatus ab insurgente diabolo, qui solet insurgere super genus humanum ad evertendum, gesturus omnia quae Deum ad iracundiam provocarent. Denique cum aegrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Isaias propheta visitandum, vocavit Ezechias filium suum Manassen, et coepit ei mandare, quod debeat Deum timere, quomodo regere regnum, et alia multa. Et dixit ad eum Isais: Vere quia non descendunt verba tua in cor ejus, sed et meipsum oportet per manum ejus interfici. Quod audiens Ezechias, volebat filium suum interficere, dicens: Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperet et sanctos ejus persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta, dicens: Irritum faciat Deus consilium tuum hoc; videns Ezechiae religionem, quia plus amabat Deum, quam filium suum. Tamen cum multa gessisset impie hic Manasses, adduxit super eum Deus principes virtutis regis Assur, et comprehenderunt Manassen in vinculis, et ligaverunt eum in compedibus, et perduxerunt eum in Babyloniam, et erat ligatus et catenatus in domo carceris, et dabatur ei panis hordeaceus ad mensuram modicus, et aqua cum aceto modica ad mensuram, ut viveret tantum, et erat constrictus in doloribus valde (4. *Reg*. 21. *et* 2. *Par.* 32. *et seq.*). Et ideo cum vehementer affligeretur, quaesivit faciem Domini Dei sui, et oravit Deum qui omnibus adstat, et exaudivit Dominus vocem ejus, et misertus est ei. Et facta est circa eum flamma ignis, et liquefacta sunt omnia vincula ejus. Liberavitque Dominus Manassen ex omni tribulatione ejus, et reversus est in Jerusalem in regnum suum, et cognovit Dominum Manasses, dicens: Ipse est solus Deus. Et servivit in soli Domino Deo in toto corde suo, et in tota anima sua omnibus diebus vitae suae, et reputatus est justus: et ideo forte vocatus est ab insurgente, vel ex oblivione, quia liberavit eum Dominus ab

Commented [p15]: Col.626

insurgente, et ex oblivione Dei factus est memor Dei. *Manasses autem genuit Amos,* qui interpretatur fortitudo. Et si quidem ante poenitentiam genuit Amos, cum malignaretur in idolis, non possumus aestimare quasi religionis causa vocaverit eum fortitudinem, sed causa audaciae corporalis: sicut solent et barbarae gentes nomina filiis imponere ad devastationem respicientia bestiarum, ferarum, vel rapacium volucrum, gloriosum putantes filios tales habere, ad bellum idoneos, et insanientes in sanguinem. Si autem post poenitentiam genuit eum, credibile est quod causa religionis vocaverit eum fortitudinem. Adhuc interpretatur Amos et aliter, onerantis, vel populum abrumpentis. Quod si ante poenitentiam genuit filium, non animadverto qua causa sic nominaverit eum; si autem post poenitentiam, idonea ratio est. Memor enim gestorum suorum malorum, humilitatis causa, ad sui ipsius arguitionem vocavit eum onerantis, vel populum abrumpentis: ac si dicat, filius peccatoris: quoniam rex, qui peccat, et seipsum onerat, et abrumpit a Deo, etiam populum suo exemplo onerat peccatis, et abrumpit a Deo: sicut fecit Manasses, onerans et abrumpens populum a Deo, exemplo suae impietatis. Nam ipse Amos non fuit fortitudo secundum Deum, sed fortitudo secundum diabolum. Fuit enim valde iniquus, ut exstant opera sua maligna, quibus imitatus fuerat Manassen, et etiam Deum posse se fallere aestimaret, dicens: Pater meus multa ex juventute sua iniqua fecit, et in senectute sua poenituit, et ego nunc ambulabo secundum quod desiderat anima mea, et postmodum convertar ad Dominum. Sicque factus est fortitudo maligna, et oneravit seipsum perniciosioribus oneribus, et suae malignitatis exemplo abrupit populum suum magis a Deo quam pater ejus. Ideoque forsitan sic est nominatus secundum providentiam Dei, et exterminavit eum Dominus Deus velociter. Attendite ergo, laici, ne quis ex vobis cogitationem Amos in corde suo ponat: quoniam qui talia cogitans peccat, non ex infimitate carnis devictus delinquit, sed ex proposito malo, qui amicus est mali ipsius. *Amos autem genuit Josiam,* quod interpretatur, ubi est hostia Domino, aut salus Domini. Forsitan Amos secundum cor suum aversum a Domino, vocavit filium suum, ubi hostia Domino, aut salus Domini est: hoc est, quia quod nusquam est, neque prodest. Providentia autem Dei, secundum quod futurus fuerat Josias, dispensavit ei nomen imponi, ubi est hostia Domino, aut salus Domini: quoniam vere in illo fuit hostia Domini. Tale enim sacrificium obtulit Domino Deo, quale nec ante eum aliquis regum, nec post eum (4. *Reg.* 23. 21. *seq.*). Et ipse fuit hostia Deo, secundum quod mandat Apostolus: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* 12. 1). Et ipse fuit populi sui in tempore suo a Domino salus. De cujus laudabilibus factis nihil tale dicere possumus, qualia testatur scriptura Regnorum et Paralipomenon. Vide qualis fuerit, ut etiam ante multas generationes nasciturus ejus nomen prophetaretur, quia Josias est nomen ejus. Tertius enim Josias est, cujus nomen prophetatum est priusquam nasceretur. Ii tres sunt, Samson, Josias, Joannes. *Josias autem genuit Jechoniam.* Sed non sic positum est in libro Regnorum, sed post mortem Josiae rex factus est Joathas filius ejus: quem veniens Pharao propter peccata ejus adduxit in Aegyptum, et in loco ejus posuit Eliachim regem fratrem ipsius, alterum filium Josiae, qui interpretatur Dei adjudicatus: et vocavit eum alio nomine Joachin, quod interpretatur Domini praeparatio. Cum autem et ipse Joachin malignatus fuisset in Deum quasi vere impius in condemnationem adjudicatus a Deo, et postea praeparatus ad eversionem Judae, secundum iracundiam Dei veniens rex Assyriorum adduxit eum in Babyloniam, et factus est in loco ejus rex Jechonias filius ejus, quod interpretatur praeparans Domino. Cum autem et ipse malignatus fuisset in Deum, praeparans seipsum Deo ad iram, adductus est

Commented [p16]: Col.627

et ipse a rege Assyriorum in Babyloniam cum omnibus suis: et factus est rex in loco ejus a rege Assyriorum frater ejus Sedechias, sub quo et totus transmigratus est Juda. Ergo talis est ordo: Josias genuit Eliachin, postea vocatum Joachin, Joachin autem genuit Jechoniam, *Jechonias autem genuit Saluthiel, post transmigrationem.* Secundum ergo Regnorum scripturam Joachim est quartus decimus a Salomone, et ipse est filius Josiae: Jechonias autem primus usque ad Christum, qui vere non fuit filius Josiae, sed nepos, filius Joachin: aut secundum evangelium quidem, in quo Jechonias filius dicitur esse Josiae: si inter praecendentes generationes computetur Jechonias quasi quartusdecimus, relinquae generationes usque ad Christum a Salathiel computatae, inveniuntur tredecim esse: si autem inter reliquas quasi primus ponatur, ipsae praecedentes generationes a David computatae usque ad Josiam, inveniuntur tredecim esse. Quid ergo? Joachin sublatus est de numero regum, et juste: quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sicut erat consuetudo in regibus constituendis, sed Pharao per potentatum; ideo quantum ad eum non fuit rex Joachin. Si enim justum fuerit, ut propter solam commixtionem generis Achab et Jezabel tollerentur de numero regum supradicti tres reges, quamvis a populo legibus fuerant constituti in regno: quare non erat justum ut similiter tolleretur et Joachin, quem Pharao in regno hostili fecerat regem, et non populus Dei praevio jure? Et sic Jechonias iste, qui est filius quidem Joachin, nepos autem Josiae, sublato patre suo Joachin de numero regum, ipse positus est pro eo quasi filius Josiae. Et bis nominatur in Evangelio; semel quidem ante transmigrationem, videlicet pro numero quartodecimo: iterum autem nominatur post transmigrationem, quasi pro numero primo, hoc modo: Josias autem genuit Jechoniam, videlicet quartumdecimum. Jechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, videlicet quasi primus. Et invenitur Jechonias hic duorum numerum tenere, patris sui, et suum. Hic enim Jechonias cum esset unus, duas habuit conditiones: fuit enim et rex ante transmigrationem, quasi regificatus a populo Dei: factus est et privatus post transmigrationem, quasi ductus captivus. Ideo ante transmigrationem quidem computatur inter reges quasi rex, post transmigrationem autem computatur inter privatos quasi privatus. Quomodo autem vis ut posuisset evangelista? Si dixisset, Josais genuit Joachin in quartadecima generatione, Joachin autem genuit Jechoniam: Jechonias autem post transmigrationem genuit Salathiel, extra quam a Pharaone regificatus computabatur Joachin inter reges Juda: juste adhuc inveniebantur ante transmigrationem quidem quatuordecim reges, post transmigrationem unus rex, et tredecim privati. Et si Jechoniam posuisset inter reges priores, invenirentur quidem quindecim generationes regales ante transmigrationem, tredecim autem privatae post transmigrationem. Et sive illo, sive hoc modo, irrationabile aliquid dicere videbatur evangelista, et mysterium quod proposuerat, non ostenderet. Vides quia sapienter voluit evangelista Jechoniam dupliciter esse, primum quidem inter reges quasi quartumdecimum, et ipsum deinde post transmigrationem inter privatas generationes primum, quasi privatum et ipsum. Nam cum constet, computato etiam Joachin, a David usque ad Christum viginti et octo esse generationes: quid impedit, ut Joachin sublato, rationabiliter filius ejus Jechonias dupliciter nominetur, ut mysterium, quod evangelista proposuit, explicet, et de numero generationum non mentiatur? Nec obest, quod filius Josiae dictus est, cum sit nepos: quoniam et nepotes recte filii appellantur. Jechonias autem genuit Salathiel, quod interpretatur petitio Dei. De Salathiel quidem nihil legimus, vel boni, vel mali: tamen putamus eum sanctum fuisse, et in captivitate assidue Deum petiise pro ipsa calamitate quae contigerat Israel, et ideo petitionem Dei eum appellatum

Commented [p17]: Col.628

fuisse. *Salathiel autem genuit Zorobabel.* Interpretatur autem Zorobabel, fluitio postposita, vel ex commixtione, vel hic doctor Babyloniae. Legi; si verum est, nescio, quia sacerdotale et regale genus mixtum est in Zorobabel, sicut inferius exponemus. Et forte ergo propter hoc dictus est ex commixtione. Per istum autem Zorobabel dimissi sunt omnes filii Israel, et reversi sunt in propriam terram cum gaudio magno, sicut Esdras propheta exponit. Cum enim esset Zorobabel in ministerio Darii regis, controversia facta est inter eum et duos alios regis ministros, quid esset fortius in mundo (3. *Esdr.* 4. *et Josephus Antiq. lib.* 11, *cap.* 3): et uno dicente, quia nihil est fortius quam vinum, altero autem, quia nihil fortius est quam rex: Zorobabel dixit, Nihil fortius est quam mulier et veritas. Quibus de hoc sine fine certantibus, ventum est usque ad sententiam Darii regis, quo residente cum principibus suis ad judicandum, contenderunt tres, singuli pro sua sententia. Verba contentionis eorum, qui vult scire, legat Esdram prophetam. Tamen vicit Zorobabel, et judicio Darii et omnium principum pronuntiatum est, Omnibus fortior veritas est. Cum autem diceret ad eum Darius rex cum juramento, Pete a me quod vis, usque ad dimidium regni mei, respondit Zorobabel: Ego non peto regnum tuum, sed ipse utere eo in aeternum: sed hoc peto, quod coepit pater vester Cyrus rex ante vos, ut dimittatis captivitatem filiorum Israel redire in sua. Darius concessit. Exiens autem Zorobabel gratias egit Deo, dicens: *Benedictus es, Deus et pater veritatis, quod sapientiam hanc in os meum misisti* (3. *Esdr.* 4. 60). Et ideo inventus est recte secundum providentiam Dei nominatus Zorobabel, id est, hic doctor Babyloniae. Quae autem major doctrina est, quam ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? Et impletum est in eo quod fuerat scriptum: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisivi* (*Psal.* 118. 98-100). Vel, fluitio postposita: id est, quia defluitionem regni ad se decurrentem postposuit, et elegit redemptionem populi sui. De residuis autem generationibus, nec scripturam aliquam me recordor legisse, nec fabulam aliquam aliquando audisse. Hoc autem in fine notandum est, quod quicumque regum placuerunt Deo, diutius regnaverunt, et inimicos eorum humiliavit Deus sub manibus eorum: quotquot autem maligne gesserunt, velociter et a regno et a vita cum amara morte praecisi sunt, et humiliavit eos Deus sub inimicis eorum. *Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim.* Cum potuisset evangelista breviter numerum generationum explicare, dicens: Ab Abraham usque ad Christum generationes sunt quadraginta duae: qua ratione ter generationes praecidit, et in tres partes divisit per generationes quatuordecim? Quia ter completis quatuordecim generationibus mutatus est in Judaeis hominum status. Ab Abraham enim usque ad David fuerunt sub judicibus: a David usque ad transmigrationem, sub regibus: a transmigratione usque ad Christum, sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare, quoniam sicut semper ter completis quatuordecim generationibus, mutatus est hominum status: sic completis quatuordecim generationibus a transmigratione usque ad Christum, necesse est a Christo mutari similiter hominum statum: quod et factum est. Post Christum enim jam non sub judicibus multis, nec sub regibus multis, nec sub pontificibus multis fuerunt, sed omnes generationes sub uno Christo, et judice, et rege, et pontifice factae sunt: quia trium illorum statuum solus habuit dignitatem. Unde quoniam et judices, et reges, et pontifices, tres Christi dignitates praefigurabant, semper principia eorum in figura fuerunt Christi. Primus judicum Josue: primus regum, David: primus pontificum, Jesus filius Josedech. Hos in figura Christi

Commented [p18]: Col.629

Commented [p19]: Col.630

fuisse dubitat nemo. Forte ideo quatuordecim generationes ponuntur, id est, quater decem, hoc est quater Christus. Iota enim litera Christi mysterium habet. Ideo ergo quatuordecim, quoniam ter quidem figuratus Christus ostensus est, quarto autem verus Christus apparuit. Qua ratione apud Lucam septuaginta septem generationes ponuntur Christi renascentis ex baptismo, in proprio exponemus loco. Hic autem dicamus, qua ratione quadraginta duae generationes ponuntur Christi secundum carnem nascentis in mundum. Quadraginta duo enim, sex septimanarum numerus est. Sex autem numerus, operis et laboris numerus est, quoniam in sex diebus factus est mundus, qui positus est in opere, et labore, et dolore. Convenienter ergo Christi nascentis in mundum ad laborem et dolorem quadraginta duae generationes ponuntur, mysterium continentes operis et laboris. *Generatio autem Christi sic erat* (*Matth.* 1. 18). Quoniam superius dixerat, Jacob autem genuit Joseph, cui desponsata Maria genuit Jesum: ne aliquis audientium aestimaret, sic esse Christi nativitatem, quomodo praecedentium patrum, ipse ordinem suae narrationis praecidens addidit, et dicit: *Generatio autem Christi sic erat*: ac si dicat, Generatio quidem eorum, quos exposuimus, patrum, sic fuit quemadmodum retuli: Christi autem generatio non ita, sed sic. Quomodo? *Maria cum esset desponsata Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens* (*Ibidem*): id est, ex virgine sine patre, ut ejus generationem enumerans, de semine David eum descendisse ostendat secundum Dei promissa, et extra naturam humanam nativitatem ejus exponens factam, mysterium deitatis ejus aperiat. Nec enim dignum erat, ut Unigenitus Dei, non propter se, sed propter homines nascens, more nasceretur humano. Homo enim in carne nascitur, ut corruptioni subjaceat: Christus autem natus est, ut sanet corruptionem. Sicut ergo non est consequens, ut corruptibilis homo nascens ex incorruptibilitate virginitatis nascatur: sic non erat consequens, ut Unigenitus Dei, qui ideo nascebatur, ut corruptionem sanaret, nasceretur ex corruptione conjugii. Homo ex necessitate nascitur, ut sit: Christus autem non ex necessitate naturae, ut esset, sed ex voluntate misericordiae ut salvaret. Quomodo ergo justum est, ut unum eumdemque habeant nativitatis honorem necessitas et voluntas? Merito ergo contra naturae humanae regulam natus est, quia erat super naturam.

Mirandus Christi ortus, scilicet per peccatores. Vide autem novam et admirandam Christi nativitatem, id est, per homines peccatores, per mulieres meretrices, et adulteras, et gentiles. Sed talis generatio non sordidat dignitatem Christi, sed commendat misercordiam ipsius. Sic erat mirabilis, ut qui patres per adoptionem fecit et genuit, a filiis nasceretur. Facti sunt patres ejus, quorum non erat filius. Iste illis beneficium praestitit, ut esset filius eorum. Illi autem nihil isti praestiterunt, ut essent patres ipsius. In hominibus patres filios sibi adoptant, quos ipsi desiderant: hic autem filius sibi adoptavit patres, quos ipse elegit. Illic filii a patribus suscipiunt generositatis dignitatem, hic autem patres a filio susceperunt. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Quoniam futurum erat, ut omnes sancti de virgine nascerentur Ecclesia, desponsata Christo, ideo Christus nascitur de virgine desponsata, ne dignius nascerentur servi quam Dominus. Sed ut per omnia filii paternae nativitatis perfectum imitarentur exemplum, ideo et Maria desponsata erat fabro lignario: quoniam et Christus sponsus Ecclesiae omnem salutem hominum et omne opus suum per lignum crucis fuerat operaturus. Ideo autem et desponsata et domi habita, ut desponsatio ipsa fidelis esset, et fornicationis opprobrium a matre repelleret, et virginitatis gloriam nascituro Domino reservaret. Si enim, quia in domo sponsi peperit, infideles Judaei dixerunt, *Nonne hic est Jesus filius Joseph?* quanto

Commented [p20]: Col.631

magis si extra domum sponsi peperisset, dicturi fuerant: Nonne hic est Jesus filius meretricis? Nam quemadmodum in ea, quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: sic in ea, quae extra domum concipit, est suspecta conceptio. Magis ergo voluit Dominus, ut haberet mater ejus maritalem suspicionem, quam fornicationis opprobrium pateretur. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens*. Non dixit, Priusquam acciperet: sed, Priusquam convenirent, inventa est in utero habens: quia jam accepta erat in domo. Virginitas enim est incorruptibilitas: incorruptibilitas autem virginitas ipsa sincera. Ideo ergo, antequam convenirent, conceptus est Christus, ut nec de corruptione incorruptibilitas nasceretur, nec ex passione corporis utriusque templum sibi Dominus fabricaret. Dico autem non ad desperationem et confusionem nuptorum, sed ad consolationem et gloriam continentium, quoniam haec ipsa conjunctio maritalis malum est ante Deum: non dico peccatum, sed malum. Nam quantum ad naturam rei ipsius, peccatum est; concessione autem Dei factum est, ut non sit peccatum. Quomodo? Oportebat enim, ut homo corruptibilis nasceretur in mundo, ut posset tentari, ut tentatus coronetur. Si autem incorruptibilis factus fuisset, tentari non poterat. Si vero non tentabatur, nec coronabatur: quia incorruptibilitas tentationem non sentit. Ideo ergo factum est, ut ex passione carnis et sanguinis, et igne fervido in visceribus, succedente humore, homo corruptibilis nasceretur, ut ne de bono malum nascatur, aut ex impassibilitate corruptio: sed ut de malo malum procedat, et ex passione corruptio generetur. Ideo ergo ista conjunctio maritalis cum esset peccatum, quantum ad naturam rei ipsius, concessione Dei facta est licentia. Licentia, dico, facta est, non justitia. Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desiit, tamen justitia esse non meruit (*incipit*). Ideo utentibus se, etsi poenam non infert, mercedem tamen non praestat: et si non occidit, tamen non salvat. Unde et propheta non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurcitiam ipsius operis, dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* 50. 7): id est, Quid mirum si peccavi, qui de peccato sum natus? Sequuta est enim generationem suam natura peccati. Nam si matrimonium ipsum placitum esset Deo, numquam abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona, nec sic amarentur a Deo, qui odiunt illud. Non enim ille remuneratur qui bonum fugit, sed qui malum. Vis autem scire quomodo licitum est matrimonium? quomodo aliquando licuit et sorores habere uxores? quomodo habuerunt Cain et Abel? Haec nomina filiarum Adam, quas in initio habuit post Cain et Abel, Rifan et Edoclam, et non peccaverunt: quia peccatum illud raritas hominum et necessitas excusabat. Postea crescente numero hominum, ipsum malum reversum est in naturam suam, et coepit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut uni viro liceat habere plures uxores. Amplificato postea mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, et coepit esse peccatum. Remansit autem in usu, ut unus unam haberet uxorem. Nunc autem postquam venit plenitudo temporis, et senuit mundus, scimus quale est consilium Dei, et quid vult, et quid est placitum coram illo. Sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes, in quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis et sordidissimus ille vapor, de illo insano igne procedens. Denique commendavit angelus Tobiae in nuptiis ejus, ut cum veniret ad illam consuetudinem humanam, surgeret prius et oraret, et sic diceret: *Domine, tu scis, quia non propter libidinem accepi uxorem, sed propter liberos procreandos* (*Tob.* 8. 9): quia si aliter orasset, oratio ejus Deo non fuerat placitura. Vides ergo quia turpissimum opus illud carnis filiorum causa excusat. Nunc autem multiplicato saeculo, creandorum hominum occasio est exstincta. Jam Deum non multitudo hominum, sed caritas

Commented [p21]: Col.632

sanctorum delectat. Ecce una est libido, quae fornicationem generat, et quae maritalem usum ministrat. Sed sicut posuit mari terminos littora, dicens: *Usque huc venies, et hic te constringes* (*Job* 33. 11): sic libidini carnali terminum posuit conjugium, ut usque illuc veniens, illic se constringat. Sicut ergo mare, si littora sua supergressum fuerit, peccat: ita et homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergo una est libido in maritis, et in adulteris: quomodo potest fieri, ut una eademque res pro dimidia quidem parte sit justitia, pro dimidia autem sit peccatum? Aut enim tota est peccatum, aut tota justitia: quia una est res. Verum est autem, quia libido justitia non est, ergo tota peccatum est. Sed peccati illius poena non imputatur, donec iste odibilis et corruptibilis transeat mundus. Ideo ergo Dominus conceptus est priusquam convenirent, ut non ex passione carnis et sanguinis nasceretur: qui ideo venit, ut carnis et sanguinis solveret passionem, et mutaret in spiritum. Cui inventa est in utero habens de Spiritu sancto? Sine dubio a sponso suo Joseph, qui zeloso amore semper se admonente, vitam circumspiciebat Mariae. Nam sicut Historia quaedam non incredibilis neque irrationabilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, Joseph absens erat. Nec enim conveniens est putare praesente Joseph introisse angelum ad Mariam, et dixisse quae dixit, et Mariam respondisse quaecumque respondit. Si concedamus, angelum potuisse intrare ad eam, et loqui, plane confestim Mariam abisse in montana cum festinatione, et introisse domum Zachariae, et salutasse Elizabeth, et mansisse cum ea mensibus tribus, possibile non fuit praesente Joseph: quia necesse erat, ut absentationis ejus et mansionis diutinae requireret causas. Postquam autem rediit peregre post tot menses, et invenit eam gravidam manifeste, forsitan ei comminatus est, quasi sponsus, et de judicio Dei terruit eam, quasi vir timoratus. Illa autem cum videret se innocenter in suspicionem criminis decidisse, nec posse se jam excusare, testimonio ventris convictam, cum lacrymis et suspirio clamans juravit dicens: Vivit Dominus, nescio unde sit hoc. Quo audito, timuit valde Joseph et ex parte credidit in ea aliquid esse divinum. Nec enim timuisset, nisi ex parte aliquatenus credidisset. Ad haec autem fidem verborum ejus commendabat conversatio ejus sancta. Forsitan autem, cum esset justus, coepit sibi cogitare de illa: Comessatrix aut vinolenta numquam fuit: quoniam omnis mulier quae vinolenta est et comessatrix, etiam meretrix est. Nam sive in cibis, sive in libidinibus delectatio carnis est quae praecipitat hominem. Mulier quoque, quae suavitatibus gulae suae non contradicit, multo magis neque libidini suae resistere acquiescit, sicut etiam Apostolus dicit: *Quoniam vidua, quae in deliciis est, vivens mortua est* (1. *Tim.* 5. 6). Non levis, non jocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellae, quae libenter talia aut loquuntur, aut audiunt. Si quidem impudentiores sunt, libenter loquuntur: si autem verecundiores, etsi loqui talia erubescunt, tamen delectantur audire. Non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectum. Haec enim sunt documenta mulieris meretricis, sicut ait Salomon: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum ejus* (*Eccli.* 26. 12). Haec et alia similia tractans, nihil horum inveniebat in ea: sed ex diverso omnia laudabilia, omnia admiranda, quae sine Spiritu sancto possibile non erat esse in natura humana. Omnibus igitur documentis, quibus fornicatio mulieris intelligi et argui solet, deficientibus, sola apud eam remanebat suspicio gratiae Dei. Propter haec omnia aestimavit eam habere in utero de Spiritu sancto. Nam nulla res sic castitatem mulieris viro commendat, sicut vita ejus disciplinata. Ubi enim timor Dei est, ibi et castitas est: ubi autem non est timor Dei, ibi neque castitas est. Caro enim urget, securitas mulieris adjuvat carnem: si timor Dei non fuerit qui resistat, quis eam teneat indagatam? O inaestimabilis laus Mariae! Magis credebat castitati ejus,

Commented [p22]: Col.633

quam utero ejus: et plus gratiae, quam naturae. Conceptionem manifeste videbat, et fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. Et quod majus est videre, ut sponsus de sponsa sua haberet, sic habuit Joseph apud se. Frequenter enim viri, etiam si leviter viderint mulieres suas aspicientes in alterum, mox excitantur in zelum: et quod non est illud suspicantur, quia ex magno amore nascitur zelus. Hic autem et maritalem zelum et uteri clamantis accusationem, sola praeteritae conversationis documenta vincebant. 19. *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Cogitabat enim forsitan apud se: Si peccatum ejus celavero, facio contra legem Dei: et si propalavero filiis Israel, lapidabunt eam. Timeo enim, ne hoc, quod est in utero ejus, divinitus sit. Numquid non Sara nonaginta annorum concepit, et peperit? Si illam quasi lignum jam siccum fecit florere: quid si Divinitas partum isti voluit sine viro donare? Numquid ad virum pertinet ipsa conceptio mulieris? Nam si conceptio mulieris pertinet semper ad virum, sine dubio quando vult vir, tunc conciperet et mulier: nunc autem non quando vult vir, tunc concipit mulier, sed quando vult Deus. Si ergo conceptio mulieris non in viro posita est, sed in Deo: quid magnum, si voluit isti fructum sine viro praestare? Quid ergo faciam? Dimittam eam occulte: quia in re incerta melius est, ut meretrix constituta evadat, quam ut innocens moriatur. Justius enim est, injustum juste evadere, quam justum injuste perire: quia etsi reus semel evaserit, iterum potest perire: innocens autem si semel perierit, jam non potest revocari. Expedit ergo ut dimissa opprobrium patiatur, quam tradita morti moriatur. Haec autem talia cogitare et agere velle, non est hominis valde justi. 20. *Haec eo cogitante, apparuit ei angelus in somnis, dicens.* Quoniam ergo auditio verborum Mariae, et consideratio vitae ejus, mala suspicari de ea non sinebat Joseph: consideratio autem conceptionis ejus non permittebat eum ad plenum bona aestimare de ea, et sic animus ejus inter utrasque partes fluctuabat, et tenere eam timebat, et tradere eam non audebat: propter hoc necessaria fuit ei revelatio illa divina. Si enim ipsa Maria, quae angelum viderat, et audierat sibi loquentem tam de sua conceptione, quam de Elizabeth, ascendit in montana, ut videret Elizabeth, et ipso confirmaretur aspectu: quanto magis Joseph post verba conceptionis Mariae, post considerationem vitae ejus, adhuc nutabundus necessariam habuit revelationem divinam? Propter tres ergo causas apparuit ei. Primum ne justus homo ignorans faceret rem injustam ex proposito justo; deinde propter honorem matris ipsius. Nam si dimissa fuisset, etsi non apud fideles, tamen apud infideles turpi suspicione carere non poterat. Tertio, ut intelligens Joseph sanctam conceptionem diligentius se in futurum custodiret ab illa, quam prius. Prius enim servavit se propter disciplinam justitiae, postea autem et propter timorem partus hujusmodi. Quare non ante conceptionem virginis venit ad Joseph? Ut ne cogitaret quae cogitavit, ne pateretur quae passus est Zacharias, qui culpam infidelitatis incurrit de conceptione conjugis jam longaevae (*Luc*. 1). Incredibilior enim erat res virginem posse concipere, quam anum. Si ille sacerdos constitutus rem faciliorem fore non credidit, quanto magis iste popularis rem difficiliorem fieri non credidisset? Si ipsa Maria, angelo sibi dicente de conceptione sua, pene non credebat propter virginitatem suam, dicens: *Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco* (*Luc*. 1. 34)? quomodo Joseph fuerat crediturus referenti de altera quod sine viro conciperet? *Joseph fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam: quoniam quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est.* Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine ejus Christus nasceretur. Dicens autem, *Ne*

Commented [p23]: Col.634

timeas, cognitorem se cordis ejus ostendere voluit, ut per haec futurorum bonorum, quae de Christo erat dicturus, faceret fidem: quia *Quod nascetur de ea, de Spiritu sancto est.* Spiritum sanctum, ipsum dicit unigenitum Deum, sicut ipse de se testatur in Evangelio: *Quia Spiritus est,* inquit, *qui vivificat: caro autem nihil prodest* (*Joan.* 6. 64). Et Joannes ait: *Dominus Spiritus est* (*Ibid.* 4. 24). Non enim Spiritus advocatus ingressus est in Mariam, ut suscipiens corpus nascatur in mundum, sed ut sanctificaret virginis vas. Dicens autem, *Quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est*, hoc dicere vult, quia de semine viri alicujus non fuerat nasciturus, sicut aestimans metuebat Joseph, sed de Spiritu sancto. Sicut enim secundum praeceptum Raphaelis angeli ad Tobiam (*Tob*. 6. 18), viro et uxore more solito venturis ad coitam, oratio praecedere debet, ut quod concipitur, in sanctificatione concipiatur: sic unigenito Deo virginem ingressuro, Spiritus sanctus praecessit, ut praecedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, Divinitate ingrediente pro semine. 21. *Et pariet filium, vocabisque nomen ejus Jesum*. Non dixit, Pariet tibi filium, sicut ad Zachariam: *Ecce Elizabeth uxor tua concipiet et pariet tibi filium* (*Luc*. 1. 13): quia mulier, quae ex viro concipit, marito suo filium parit: quia magis ex illo est, quam de ipsa. Haec autem, quae non de viro conceperat, non filium illi peperit, sed sibi tantummodo. Vide quo modo similitudinem ipsius rei per omnia sequitur, quae facta est in Adam. Sicut enim tunc mulier gustans de ligno, sola seducta est, et peperit mortem; Adam autem non fuit particeps in seductione illius; non enim a diabolo seductus peccavit, sed quia consensit mulieri: sic et modo accipiens Maria de Spiritu sancto, sola credidit, dicens: *Ecce jam nunc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* 1. 48). Joseph autem tunc in fide conceptionis illius nihil habuit commune, sed postea tacendo et consentiendo tantum salvatus est. Ideo et in somniis adstitit ei, non palam: ut quemadmodum dormiente Adam creavit mulierem, sic et isti dormienti divinitus consignaret uxorem. Ipse autem evangelista interpretatur quid intelligitur Jesus Hebraica voce, dicens: *Ipse salvabit populum suum a peccatis eorum.* Si ergo medicus, qui nullam potestatem habet salutis humanae, propter solam confectionem herbarum non erubescit medici sibi nomen imponere: quanto dignius iste vocatus est Salvator, per quem totus salvatus est mundus? 22. *Hoc autem totum factum est*. Quid totum? Ut virgo propinquo suo desponsaretur, ut casta servaretur, ut angelus per somnium Joseph loqueretur, ut sponsam eam accipere juberetur, ut pueri nomen Jesus vocaretur, ut virgo mundi Salvatorem generaret. *Ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam* (*Isai*. 7. 14), *dicentem:* 23. *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.* Gratia a prophetis testimonium habet, vel ideo ut Vetus et Novum consonet Testamentum, vel ut infirmitati eruditorum satisfaciat, vel ut non mox temere videretur erumpere, quod tanto ante tempore praedictum est.

Prophetia duplex. – Prophetia autem alia est ex praescientia, et haec immutabilis: ut haec, *Ecce virgo concipiet.* Alia ex judicio operum, et haec solet mutari secundum quod verba sonant, non secundum intellectum: ut, *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (*Jon*. 3. 4): subintelligimus, nisi poeniteat. Item quae est ex praescientia, illa impletur Dei solummodo operatione, ut quod virgo pareret. Alia impletur hominum administratione, ut de aliquo, ut sit justus. Admiratus itaque tanti mysterii dignitatem propheta, quasi omnes de somno suscitans, ait: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* (*Isai.* 7. 14). Multis praetermissis uno utitur nomine, quod praesenti utile est negotio. Quamvis enim nobis sit praesens semper gubernando, tamen praesentior essentialiter ex unitate

Commented [p24]: Col.635

personae factus est. *Verbum* enim *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* 1. 14). 24. *Exsurgens autem Joseph a somno, accepit Mariam conjugem suam.* Non in domo accepit eam; nec enim adhuc dimiserat eam de domo, sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum eam recepit. 25. *Et non cognovit eam, donec peperit.* Vere enim non cognovit eam ante, cujus fuerat dignitatis, quae unigeniti Dei facta fuerat mater: sed postquam peperit, tunc cognovit eam: quia speciosior et dignior facta fuerat, quam totus mundus. Nam quem totus mundus non capere poterat, nec merebatur accipere, quasi in angustum cubiculum uteri sui sola suscepit. Vidit Joseph enim virginem permanere post partum. Vidit mysterium stellae quo modo stans super caput pueri, venientibus magis puerum demonstrabat. Stans testimonium dabat, quia loqui non poterat. Ipsos denique magos vidit adorantes, et divina dona eorum praesentantes. Audivit sermones ipsorum, quo modo ab oriente usque Jerosolymam stella praecedente venerant, quae non dedignata est hominibus ministrare, ut Dei gloriam revelaret. Ergo incomparabilis nativitas, totius humanae nativitatis mensuram excedens, et divinitatem nascentis pueri ostendebat, et dignitatem Mariae parientis Joseph demonstrabat. Ideo dicit, *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Cognovit autem eam quae esset, post partum ipsius.

Eunomii haeresis. – Quidam ex hoc verbo, secundum Eunomium, putant, quod Joseph donec peperit quidem non illam habuit in conscientia, postea autem cognovit eam, et filios peperit. Unde et Christum primogenitum dicit: quia ille dicitur primogenitus, quem alii fratres sequuntur. Insanus neminem intelligit esse sanum: quia illi ausi sunt hoc dicere de illa, putant quia et Joseph hoc ausus fuit facere. Hoc enim quod fieri potuit, dicit evangelista quia factum non est: illud autem quod nec fieri potuit, quid necessarium habuit dicere, Factum non est? Nam sunt quaedam, quae naturaliter possunt fieri: sunt autem quae impossibilia sunt per ipsam naturam. Volo tibi referre. Ille, nescio quis, cum illo litem commisit: et donec vixit, non est ei loquutus. Numquid ex hoc quod dixi, Donec vixit, non est ei loquutus, ex eo signavi, quia post mortem illi loquutus est, quod fieri non potest? Illud enim quod fieri potest, dixi, quia factum non est: quid autem opus habui exponere, quia nec post mortem illi loquutus est, quod fieri non poterat? Sic et Joseph ante partum credibile fuit ut cognosceret eam, quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem: postquam vero cognovit, quia facta est unigeniti Dei templum, quo modo poterat hoc usurpare? Quod antea facere noluit vir religiosus, exspectans nuptias suas postea facturus fuerat, ut habitationem Dei carnalibus concupiscentiis sordidaret? Haec secundum rationem. Veniamus autem ad auctoritatem Scripturae. Dicit enim Apostolus secundum exemplum prophetae de Christo: *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus* (1. *Cor.* 15. 25). Ergo Paulus hoc significavit, ut tamdiu regnet Christus, quamdiu fiant omnia sub pedibus ejus, postea autem cesset regnare? Stulte! Qui regnat, antequam omnia illi subjecta sint, multo magis regnat et postquam fuerint ei omnia subjecta. Item alibi dicit: *Donec venio, attende lectioni* (1. *Tim.* 4. 13). Numquid significavit, Donec venio quidem, attende; cum venero autem, neglige? De primogenito autem quod dico, usus est Scripturis, non solum illum primogenitum dicere, qui primus nascitur, sed etiam illum qui solus est natus. Quando dicebat Dominus ad Pharaonem: *Primogenitus meus Israel* (*Exod.* 4. 22): numquid jam alium populum habebat? Si autem dicis, quia secundum praescientiam dicebat primogenitum populum Judaicum, sciens quia ex gentibus alium populum erat facturus: dico tibi, quantum ad praescientiam suam, semper duos populos habuit: sed tam de Judaeis, quam de gentibus unum populum fuerat habiturus, sicut et habet.

Commented [p25]: Col.636

Homilia secunda ex capite secundo (col.636-46)

1. *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judae, in diebus Herodis regis.* Cum fugeret Jacob ante fratrem suum Esau, et venisset ad vesperum, vidit somnium tale. Scala posita erat, cujus caput pertingebat usque ad caelum, et angeli ascendebant et descendebant per eam, Dominus autem recumbebat super eam (*Gen.* 28. 12. *sqq.*). Surgens autem Jacob, suggerente Spiritu, prophetavit, dicens: *Quam formidolosus locus est hic! Non est aliud hic nisi domus Dei, et porta caeli* (*Ibid. v.* 17). Et ideo vocatum est nomen loci illius Bethel, quod est interpretatum, domus Dei. Nato itaque in Bethlehem Domino, visionis illius prophetia completa est. Domus enim Dei est corpus Christi, ipso dicente: *Solvite templum hoc* (*Joan.* 2. 19). Item, *Sapientia aedificavit sibi domum* (*Prov.* 9. 1). Porta autem caeli ipse est Christus, per quem introitur in regna caelorum, dicente propheta: *Haec porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Psal.* 117. 20). Adhuc autem videamus quod ad utilitatem respicit, et quod evangelista tempus designat, quando nascitur Christus, id est, *In diebus Herodis regis*, ut prophetiam Danielis completam demonstraret, quae post septuaginta septimanarum annos Christum esse nasciturum demonstrat. Nam ex illo tempore usque ad regnum Herodis septuaginta septimanarum anni sunt consummati. Sciens autem Deus perfidiam Judaeorum, quia crucifixo vero Christo, alium exspectaturi fuerant Christum, id est Antichristum, ideo occasionem incredulitatis eorum tollens, tempus ostendit, quando nasciturus erat Christus, ut in illum Christum credamus, qui ex tempore Danielis post septuaginta septimanarum annos nascitur, non in illum qui in fine saeculi sub nomine Christi venturus est. *In diebus Herodis regis*. Quamdiu gens Judaica, quamvis sub peccatoribus, tamen Judaicis regibus tenebatur, prophetae mittebantur ad remedium ejus. Qualis necessitas, tale et auxilium. Nunc autem, quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, id est, justitia Dei sub dominatione Romana premebatur, nascitur Christus, quia magna et desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quaerebat. *Ecce magi venerunt ab oriente Jerosolymam,* 2. *dicentes: Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Ecce,* hoc est, confestim ut natus est, magnum Deum ostenderunt in homine parvulo, et verbis, et actibus, et muneribus ipsis. Verbis quidem, quia dixerunt, *Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum*; actibus autem, quia cum vidissent eum, adoraverunt eum. Inventa est in eis fides acutior quam aspectus, videntibus humilia, et intelligentibus alta. Muneribus autem, quia obtulerunt ei aurum, thus, et myrrham, sicut inferius ostendemus. Venerunt autem ad judicium gentium, et ad praejudicium Judaeorum, illorum fidem prophetantes futuram, et istorum incredulitatem condemnantes praesentem. O beati magi, qui ex omnibus gentibus primitiae fidelium fieri meruerunt! Illi enim magi futurae Ecclesiae formam portabant. Sicut enim illi regem, quem non viderant, credentes quaerebant, et confitebantur: sic et nos qui sumus ex gentibus, Dominum, quem numquam vidimus, credentes quotidie quaerimus, et confitemur potestatem ipsius. Quam bene de istis prophetavit Isaias, dicens: *Priusquam cognoscat puer patrem et matrem, accipiet virtutem Damasci, in conspectu regis Assyriorum* (*Isai.* 8. 4). Qui sunt magi? Viri orientales, qui venerunt a Perside. Magi enim apud illos non malefici, sed sapientes intelliguntur. Ideo autem dicti sunt virtus Damasci, quia virtus uniuscujusque provinciae sunt sapientes ipsius. Rex autem Assyriorum est diabolus, princeps daemonum. Ergo Christus, priusquam secundum corpus inciperet cognoscere patrem aut matrem, virtutem diaboli subjugavit. Qualis futurus erat in posterum, cum ad

Commented [p26]: Col.637

perfectum venisset, demonstrabat in puero, qui adhuc in cunabulo constitutus diabolum exspoliavit a suis, scilicet ab istis magis. Quomodo cum venisset ad bellum, evacuaturus fuerat omnem potestatem ipsius, considera. Quoniam ab oriente venerunt, unde dies nascitur, inde initium fidei processit: quia fides lumen est animarum. Quando enim ab occidente nascitur aliquid contra orientem, divinatio mali ostenditur contra bonos: quando ab oriente nascitur aliquid contra occidentem, divinatio boni ostenditur contra malos. Quoniam ergo in temporibus Christi justitia subjugatura fuerat injustitiam, et fides infidelitatem, ideo ab oriente venerunt primitiae fidei. *Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum.* Numquid nesciebant quia in Jerusalem regnabat Herodes? numquid non intelligebant justitiam legis, quia quicumque rege vivente alterum regem pronuntiat, et adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant regem praesentem. Numquid non habebant prae oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam usurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curassent de morte, numquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, et jam parati erant mori pro eo. O beati magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt confessores! Legi apud aliquem, magos istos ex libris Balaam divinatoris appariturae hujus stellae scientiam accepisse, cujus divinatio posita est et in Veteri Testamento: *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo ex Israel, et dominabitur omnium gentium* (*Num.* 24. 17).

Liber apocryphus nomine Seth. Mons Victorialis. – Audivi aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruente fidem, sed potius delectante, quoniam erat quaedam gens sita in ipso principio orientis juxta Oceanum, apud quos ferebatur quaedam scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, et muneribus ei hujusmodi offerendis, quae per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filiis suis, habebatur deducta. Itaque elegerunt seipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores, et amatores mysteriorum caelestium, et posuerunt seipsos ad exspectationem stellae illius. Et si quis moriebatur ex eis, filius ejus, aut aliquis propinquorum, qui ejusdem voluntatis inveniebatur, in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem magi lingua eorum, quia in silentio et voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per singulos annos, post messem trituratoriam, ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum Mons Victorialis, habens in se quamdam speluncam in saxo, fontibus, et electis arboribus amoenissimus: in quem ascendentes, et lavantes se, orabant et laudabant in silentio Deum tribus diebus, et sic faciebant per singulas generationes, exspectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis descendens super Montem illum Victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli et super se similitudinem crucis: et loquuta est eis, et docuit eos, et praecepit eis, ut proficiscerentur in Judaeam. Proficiscentibus autem eis per biennium praecedebat stella, et neque esca, neque potus defecit in peris eorum. Caetera autem quae gesta referuntur ab eis in Evangelio compendiose posita sunt. Tamen eum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes Deum studiosius magis, quam primum, et praedicarunt omnibus in genere suo, et multos erudierunt. Denique cum post resurrectionem Domini Thomas apostolus isset in provinciam illam, adjuncti sunt ei, et baptizati ab eo, facti sunt adjutores praedicationis illius. Ex eo autem quod dicit Scriptura, *Vidimus stellam ejus in oriente*, videtur occasionem dare infidelibus de astrologia, ut unumquemque putent suae stellae motu et nasci et vivere: ideo bonum est breviter de his inferre sermonem. Si enim stellae est, quod aut boni sumus, aut mali: ergo nec bonum

Commented [p27]: Col.638

nostrum laudandum est, nec malum vituperandum, quia nec est in nobis voluntarius actus. Ut quid enim boni mei laudem merear, quod non meo arbitrio, sed motu stellae facio: aut mali mei poenam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? Nam nec possum fugere malum, etiam si volo, si me nativitatis meae stella compellit ad malum. Si adulter et homicida fiunt per stellam, et in crimine stella facit eos interfici, magna est illarum iniquitas stellarum, magis autem illius qui stellas ad hoc creavit. Interrogamus ergo, Ex se facta est creatura, an ab alio? Si quidem dixerint, Ex se, audiant a nobis: quoniam impossibile est, quod a se exstitit, et eventu agitur, ut aliquem ordinem habeat certum. Si autem dicunt, Ab alio, ergo iniquus est qui fecit. Nam cum sit praescius futurorum Deus, quod tanta iniquitas futura erat per stellas, si noluit emendare, non est bonus: si autem voluit et non potuit, impotens est. Sed etiam injustus est, quia ex necessitate stellarum peccantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei, ne peccent, aut hortamenta, ut faciant bonum, per hanc insipientiam nonne destruunt? Quis enim hortetur aliquem, ne faciat malum, quod non potest declinare: aut ut faciat bonum, ad quod non potest pervenire? Deinde interrogamus: Si idem semper est cursus stellarum, quare non semper idem est et hominum status? Si dicunt, Per certos annos fit stellarum restauratio: necesse est ergo qui sciunt astrologicam disciplinam, quia per certos annos restituuntur stellae, sciant et per quot annos haec restauratio peragatur. Quibus post responsum dicimus, quae fuit illa, quae fecit omnes homines in diluvio mori? numquid in ea exstitit, ut iterum diluvium faceret, aut illi homines secundum unam stellam fuerant nati? Nam oportebat per unumquemque gyratum eamdem ipsam indeficientem rem consummari. Nam si ejusmodi motio et gyratus stellarum ejusdem malitiae et ejusdem bonitatis causam praestat, oportebat non semel fieri Abraham, aut patriarchas, aut prophetas, aut apostolos, sed quotienscumque fit ipse gyratus stellarum. Denique ipsa conversatio hominum testis est veritatis. Ante adventum Christi quae stella omnes homines idola colere compellebat, caeterasque iniquitates facere? aut post Christum qualis gyratus ab idolis recedere homines fecit, et per totum orbem mores mutavit antiquos? Ecce Persae matribus et filiabus junguntur, Judaei autem octavo die circumciduntur, et unaquaeque gens aliam atque aliam habet consuetudinem. Si idem est cursus stellarum, quomodo Persae ab illa consuetudine numquam recedunt, neque Judaei a sua? Si autem dicatur, Secundum diversas regiones diversa est stellarum operatio: quomodo ergo qui in Perside crediderunt, ab illa turpitudine recedere potuerunt, in eadem regione manentes? aut qui non crediderunt, etiam peregrinantes in aliena provincia mores patrios tenuerunt? Et Judaei transmigrati in Babyloniam, et illic filios procreantes, quomodo numquam per stellas regionis illius compulsi sunt a circumcisione sua recedere, et illorum insaniam sequi? Ne quis ergo stellarum culpet discursum, sed suum propositum. 3. *Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum eo.* Existimans illum regem fore terrenum, quasi de successore regni turbatus est. Semper enim grandis potestas majori timori subjecta est. Sicut ramum arborum in excelso positarum, etiam si lenis aura flaverit, movet: sic et sublimes homines in culmine dignitatum exsistentes etiam levis nuntii fama conturbat. Humiles autem, sicut in convalle, plerumque in tranquillitate consistunt. Aut ideo turbabatur, audiens regem natum Judaeis ex genere Judaeorum, cum esset ipse genere Idumaeus, ne, regno revoluto iterum ad Judaeos, et ipse a Judaeis expelleretur, et semen ejus post ipsum praecideretur a regno. Puto quod non tantum Herodes a semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim timebat, quod suspicabatur: diabolus autem timebat, quod vere

Commented [p28]: Col.639

sciebat. Herodes hominem aestimabat, diabolus Deum cognoscebat. Audierat enim jam angelos in aere clamantes, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (*Luc*. 2. 14). Ideo quanto magis testes addebantur pro Christo, tanto magis destructionem potestatis suae diabolus timebat. Unusquisque ergo eorum zelo proprio turbabatur, et secundum suam naturam sui regni successorem timebat: Herodes terrenum, diabolus autem caelestem. Nam nec Herodes terreretur, si caelestem regem nasci suspicatus fuisset, nec diabolus, si terrenum. Vis scire, quia non tantum ipse turbabatur, quantum diabolus in eo? Ecce et Judaicus populus turbabatur, qui magis de auditu isto gaudere debuerat, quia rex Judaeus surgere dicebatur, designatus a Deo. Sed turbabantur, quia de adventu justi non poterant iniqui gaudere. Aut certe turbabantur timentes ne forte iratus Herodes Judaico regi, genus ejus vexaret. Nam quemadmodum, certantibus ventis, mare concutitur, sic regibus adversantibus sibi, populus regni vexatur. 4. *Convocavit autem principes sacerdotum, et scribas, et interrogavit ab eis, ubi Christus nasceretur.* Ex hoc apparet maxime, quia diabolus turbabatur in Herode, quoniam traditores legis interrogat. Ut quid enim interrogaret Herodes, qui non credebat Scripturis? Sed investigabat diabolus, qui credebat quod Scripturae non mentiuntur. Nam diabolus alios in errorem inducit, ipse autem veritatem bene cognoscit. Quid enim vis? credebat Herodes Scripturis, aut non credebat? Si non credebat, ut quid interrogabat Scripturas, quas putabat esse vaniloquas? aut si credebat, quia inde vere nasciturus est rex, unde Scripturae dicebant: quomodo sperabat posse se interficere illum regem, quem futurum Scripturae esse dicebant? numquid poterat homo corrigere, ut ne fiat quod Deus ordinavit ut fieret? Sed quidem credebat Herodes in malo, in bono autem non credebat: quoniam quidem quod inde nasciturus fuerat rex, unde Scripturae dicebant, credebat: quoniam autem adversus illum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebat, quia non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic sunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur: credunt Scripturis, et non credunt: quia hoc ipsum, quod credunt, perfecte credere non permittuntur. Quod enim credunt, veritatis est virtus: quia nulli potest esse occulta; quod autem non credunt, excaecatio est inimici: quia subjecti sunt operibus ejus, et mens eorum libera non est: ut, puta, omnes qui Christiani sumus, et legimus, scimus quia mundus consummandus est, et quia morituri sumus, et hoc ipsum tamen perfecte non credimus. Si enim perfecte crederemus, sic viveremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, non quasi in aeternum mansuri. 5. *At illi dixerunt: In Bethlehem Judae. Sic enim dictum est per prophetam.* Dant responsum regi interroganti ex corde non bono, cum deberent celare mysterium regis a Deo praedefiniti ad salutem gentis Judaeae, maxime in conspectu regis alienigenae, qui non solum zelo regni, sed etiam generis alieni odio adversaturus regi postmodum futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare. Et non solum manifestant mysterium, sed etiam ad fidem sermonum suorum propheticum protulerunt exemplum, tamquam qui thesauros Domini sui absconditos hostibus ejus prodant: et facti sunt non praedicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum ejus: et non doctores Herodis, sed irritatores malitiae ejus. Ex quibus docemur, Scripturarum occulta non manifestari iniquis, sed fidelibus, sicut praecepit Paulus: *Quae a me audisti per multos testes, haec commenda fidelibus, qui possunt etiam alios docere* (2. *Tim.* 2. 2). Et non solum prophetiae mysterium prodiderunt regi iniquo, sed adhuc ipsam prophetiam praecidentes ex uno consensu suo omnes, et non exponentes omnem Scripturam divinitus inspiratam, interficiendorum parvulorum facti sunt causa. Quomodo enim scriptum erat? *Et tu, Bethlehem terra Juda, non es minima*

Commented [p29]: Col.640

inter principes Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, diesque ejus a diebus saeculi (*Mich*. 5. 2). Si ergo integram prophetiam protulissent, sicut fuerat dicta, considerans Herodes quia dies nascituri regis illius a diebus saeculi erant, et intelligens antiquitatem honoris ejus, quia non erat ille talis rex terrenus, cujus dies a diebus saeculi erant, in tantum furorem non exarsisset adversus eum: nunc autem praecisa hac parte prophetiae quae compescere poterat zelum ipsius, primam partem solum protulerunt, quae eum poterat irritare. Unde ita exponentibus illis, putans Herodes similem caeteris regibus ex ea nasci regem, parvulos interfecit, cum illis aestimans occidere etiam Christum. O infelices Judaei! Herodem docuerunt quia de Bethlehem nascitur ipse qui est gubernaturus populum Israel: et se non docuerunt, postquam natus est, ut crederent ei. Herodes illis credidit quasi vera dicentibus, ut persequeretur Christum, et ipsi sibi non crediderunt, ut susciperent eum. 7. *Tunc vocavit occulte magos, et diligenter exquisivit tempus quando apparuit eis stella:* 8. *et ait illis: Ite et videte de puero, et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.* Postquam audivit Herodes responsum, duplici modo credibile, primum, quia a sacerdotibus fuerat dictum, deinde, quia exemplo prophetico fuerat comprobatum, non ad devotionem flectitur nascituri regis, sed ad malitiam interfectionis ejus per dolum: quia malus homo quae Dei sunt quidem intelligere potest, quae Dei sunt autem agere non potest: quoniam intellectus hominis ex Deo creatus est, actus autem ex proposito voluntatis ipsius. Vidit enim Herodes magnam devotionem magorum circa Christum, et quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, ut consentirent ei in interfectione regis futuri, ideo et illos ipsos decipere cogitavit. Nec enim poterat fieri, ut blandimentis seducti proderent illum, propter quem tanti itineris susceperunt laborem. Nec expavescere poterant aliquem, ut traderent eum, qui non aspexerant Herodem, nec Caesarem, sed in medio regno illorum ingressi sunt, alium regem annuntiantes: nec aliquid amplius desiderare poterant, quam Christum, qui illi de tam longa provincia munera pretiosa portabant. Cum vidit quod aliud facere non poterat, ergo devotionem promittebat, qui gladium acuebat, et malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis enim est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto gravius laedere volunt, humilitatem illi et amicitias fingunt. Occulte vocavit eos, ut non viderent Judaei (habebat enim suspectos Judaeos), ne forte quasi regem suae generationis amantes, et intelligentes astutiam Herodis, proderent consilium ejus magis, nesciens quia inimici majores erant Christi Judaei quam ipse. Herodes enim velut hominem suspicans persequebatur: Judaei autem post multa miracula, post signa caelestia, postquam manifeste cognoverunt eum esse Filium Dei, tunc crucifixerunt eum. Quanto ergo manifestior divinitas ejus illis, quam isti, tanto sceleratior est Judaeorum iniquitas, quam Herodis. 9. *Et ecce stella, quam viderant in oriente, praecedebat eos, usque dum venit et stetit super caput pueri*. Ex hoc ostenditur loco, quia cum aliquantulum stella adduxisset magos prope Jerusalem, abscondita est ab eis, ut relicti a stella cogerentur in Jerusalem interrogare de Christo, simul et manifestare de illo propter duas causas. Primum, ad confusionem Judaeorum: quoniam quidem gentiles stellae tantummodo visione confirmati Christum etiam per alienas provincias requirebant: et Judaei ab infantia prophetias legentes de Christo, et in suis finibus natum, non susceperunt. Deinde, ut interrogati sacerdotes, unde nasceretur Christus, ad praejudicium suum responderent de Bethlehem: quia qui Herodem docuerant de Christo, ipsi ignorabant de illo. Si enim jugiter apparuisset, in Bethlehem eos fuerat deductura, et ideo non fuissent coacti interrogando nuntiare de illo. *Et ecce stella, quam viderant in*

Commented [p30]: Col.641

oriente, antecedebat eos: ut considerantes obsequium stellae, regis intelligerent dignitatem, et dicerent apud se: quomodo sit rex iste terrenus, cui stella ministrat? Quid autem mirum, si Sole justitiae orituro, stella ministrabat divina! Praecedebat autem eos, ut ostendat, quoniam hominibus quaerentibus Deum sic omnia elementa ministrant. Si ergo magnum putas, quia Christo stella obsequebatur, vide quoniam majora sunt, quae tibi homini constituto ministrant. Ecce enim tibi sol currit, et luna fulgere non cessat. Si tibi homini constituto elementa ministrant, quid mirum si Christo stella obsequebatur? si tibi peccanti elementa ministrant, quid mirum si ante illos quaerentes Christum stella currebat? et si angeli ministrant hominibus, quos Deus non ad obsequium hominum, sed ad suum creavit, quid magnum si hominibus elementa ministrant, quae propter homines sunt creata? Haec audientes, gaudere nos oportet pariter et timere, quia quanto majora beneficia hominibus sunt constituta, tanto graviora peccantibus judicia sunt praeparata. Et stetit super caput pueri, quasi dicens, Hic est, ut quia loquendo monstrare non poterat, stando monstraret. 10. *Et videntes stellam, gavisi sunt gaudio magno valde*: quia videlicet spes illorum non erat decepta, sed amplius confirmata, quod tanti itineris non sine causa susceperunt laborem. Indicio enim stellae sic occurrentis sibi secundum tempus intelligebant, quia divinitus eis nativitas illa regis est ostensa. Et per mysterium stellae intelligebant, quoniam dignitas tunc nati regis excedebat mensuram omnium mundialium regum: necesse enim erat, ut gloriosiorem putarent regem illum, quam stellam, cui stella sic devote obsequebatur. Aut quomodo non crederent ei subdendos homines, cui etiam caeli ornamenta subdita esse videbant? aut quomodo poterat ei terra esse rebellis, cui famulabatur et caelum? 11. *Et intrantes domum, viderunt puerum et matrem ejus.* Videamus quid tale gloriosum videntes in puero gavisi sunt, qui regem quaerentes tanti itineris susceperunt laborem? Numquid viderunt palatium marmoribus splendidum? numquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? numquid puerum auro et purpura involutum? numquid aulam regiam diversis populis personantem? Sed quid? Pandochium tenebrosum et sordidum, et magis animalibus quam hominibus aptum: in quo nemo contentus erat secedere, nisi itineris necessitate coactus. Matrem ejus vix tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat uxor carpentarii, et haec in peregre constituta. Puerum pannis sordidissimis involutum, et in sordidiore quoque praesepio positum: quia locus ille sic erat angustus, ut nec ponendi infantem spatium invenirent. Si ergo regem terrenum quaerentes, sic invenissent, magis confundendi fuerant quam gavisuri, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent: nunc autem quia caelestem regem quaerebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellae testimonio contenti gaudebant. Oculi eorum contemptibilem puerum aspicere non poterant, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat. Adhuc autem si quasi terrenum regem eum quaesissent, invenientes eum apud ipsum remansissent, sicut saepe fieri solet in saeculo, ut proprio rege relicto, conferant se ad alterum. Nunc autem et hunc adoraverunt, et ad suum reversi sunt: ut istum haberent regem caelestem animarum suarum, illum autem terrenum corporum suorum. *Et adoraverunt eum.* Putas adorassent infantem non intelligentem adorationis honorem, nisi aliquid divinum credidissent in eo? Ergo non pueritiae detulerunt honorem nihil intelligenti, sed divinitati ejus omnia cognoscenti. Sed et qualitas ipsa munerum oblatorum testificabatur eos quamdam divinitatis aestimationem habere de puero. *Apertis enim thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*: adimplentes gentium in Christo confessionem, et

Commented [p31]: Col.642

prophetiam impletam significantes Isaiae dicentis: *Omnes, qui sunt in Saba, venient, aurum offerentes, et lapidem pretiosum, salutare Domini evangelizantes, et omnes oves Cedar congregabuntur, et arietes Nabaioth venient, qui et offerent acceptabilia super altare tuum* (*Isai.* 60. 6. 7). Confestim autem cognoscentes, et aperientes thesauros suos, congrua gentibus in Christo per ipsa dona ostenderunt oblationem. Regem enim cognoscentes eum, primitiam mundam, et pretiosam sanctorum, sibi aurum repositum obtulerunt. Divinum autem et caeleste intelligentes principium ejus, libani obtulerunt odorem, formam mundae orationis in odorem suavem Spiritus sancti oblatae. Humanam autem et temporalem sepulturam ejus intelligentes, obtulerunt myrrham.

Magorum munera quae significent. – Haec autem etsi tunc non intelligebant magi, secundum quale mysterium ista gerebantur, vel quid significaret unumquodque munus eorum, nihil tamen contrarium est. Gratia enim, quae illos haec omnia facere hortabatur, et ipsa ordinaverat universa postmodum cognoscenda. Aurum sunt ergo perfecti fideles et sapientes, dicenti Apostolo: *Si quis aedificat aurum, argentum, lapides pretiosis* (1. *Cor*. 3. 12). Si quis ergo praebet se Christo fidei sapientia plenum, obtulit ei aurum. Thus autem est oratio, sicut scriptum est: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* 140. 2). Si quis ergo Christo mundam offert orationem, obtulit ei thus. Myrrham aestimo esse opera bona: quoniam sicut myrrha corpus defunctorum insolubile servat, sic bona opera Christum crucifixum in memoria hominis perpetuum servant, et hominem servant in Christo. Primum ergo oportet Christo offerre fidem rationabilem, deinde orationem mundam, et tertio opera sancta. Tu ergo quando venis ad ecclesiam ad orandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta: da non habentibus, et pete ab illo qui habet, ut oratio tua bonis operibus commendetur. Sic et in lege scriptum est: *Ne intres in conspectu Domini Dei tui vacuus* (*Exod.* 23. 15): infirma enim oratio est, quae eleemosynarum virtute non est munita. 12. *Et admoniti in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* O fides magorum! Non contradixerunt angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus venientes ante multitudinem civitatum non timuimus, regem terribilem apud illas omnino non expavimus: sed stetimus, et fiducialiter qui natus fuerat regem praedicavimus, et quasi Deo munera digna obtulimus; et quasi servos latenter jubes nunc fugere, ut alia via venientes, alia redeamus? Sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occulte recedere: quia nec erat possibile, ut qui ab Herode ad Christum venissent, ad Herodem redirent. Qui enim relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter revertuntur ad Christum: qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, numquam revertuntur ad Herodem. Id est: qui de Christo ad diabolum transeunt per peccatum, frequenter per poenitentiam revertuntur ad Christum: qui autem relicto diabolo venit ad Christum, difficile revertitur ad diabolum: quia qui numquam fuit in malis, sed in innocentia, dum nescit quid sit malum, facile decipitur, et transit ad diabolum: sed cum expertus fuerit malum quod invenit, et recordatus fuerit bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum unde recessit; qui autem in malis fuerit, et conversus est ad bonum, dum gaudet de bonis quae invenit, et recordatur mala quae evasit, difficile redit ad malum. Sed quid? quia multi cum Christo relicto peccaverunt, non agunt poenitentiam. Illi tales numquam fuerunt Christi; ideo superius dixi, qui toto corde de diabolo venit ad Christum. Qui enim post peccatum non poenitet, non quasi homo carne deceptus peccavit, sed arbitrio suo cum esset malus, malum egit. Nam malus, quod malum est non putat malum; ideo nec poenitet cum fecerit malum. Aut ita: qui enim a

Commented [p32]: Col.643

diabolo venit ad Deum, numquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis, ambula de caetero per viam eleemosynarum. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis, et fis proditor Christi. 13. *Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Tolle puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum.* O angele Dei, nonne tu mihi retulisti, quia quod nascetur ex ea, de Spiritu sancto est? et quomodo jubes nos fugere? quomodo Filius Dei ante hominem fugit? aut quis liberet de inimicis, si et ipse inimicos suos timet? Jam primum quidem fugit, ut regulam humanae naturae, quam suscepit, conservet in omnibus, et in hac parte, quia et humanae naturae et puerili aetati convenit fugere potestatem minantem. Alioqui si illud agat in corpore constitutus, quod est proprium Dei, non dispensat in se humanam naturam, sed mutat. Deinde ut et caeteri Christiani, id est sancti, cum necessitas persequutionis advenerit, fugere non erubescant. Et quare vadit in Aegyptum? numquid alia terra defecit? Semper enim adversus populum ejus Aegyptus exstitit inimica. Sed etiam recordatus Dominus, qui non in finem irascitur, neque in aeternum indignatur (*Psal.* 102. 9), quanta mala fecerit super Aegyptum, ideo mittit Filium suum in eam, et dat illi magnae reconciliationis signum, et perpetuae amicitiae pignus, ut decem plagas Aegypti una medicina sanaret. *O commutatio dexterae Excelsi* (*Psal.* 76.11)! Ut populus qui ante fuerat persequutor populi primogeniti, postea fieret custos unigeniti Filii. Ut qui illi populo violenter dominati sunt, isti cum devotione servirent. Ut jam non irent ad mare Rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis vivificandi. Ut impleatur quod dictum est: *Ecce Dominus descendit in Aegyptum, sedens super nubem levem* (*Isai.* 19. 1). Nubes est corpus ipsius: leve autem, sine pondere peccatorum. 16. *Tunc Herodes videns quoniam delusus esset a magis, iratus est vehementer.* Postquam parvulus Jesus magos subjugavit sub imperio suo, non potestate corporis, sed gratia Spiritus, non exercitum Christus misit post illos, sed stellam modicam ante illos. Religione illos subdidit, non timore. Non enim persequutus est illos, sed ipse requisitus est ab eis. Ideo merito irascebatur Herodes, quia quibus ille sedens in throno regni et vestitus purpura suadere non poterat, his Jesus parvulus, et jacens in praesepio, et pannis involutus placuit. Herodes autem, qui dum vellet deludere, delusus est, devotionem promittebat puero dicens: *Exquirite de puero, ut et ego veniam, et adorem eum.* Insensatus, qui unigenitam Dei sapientiam humana fraude circumvenire tentabat. Jam enim quasi successorem regni sui timens fremebat. Nam reges si quidem ex aliis causis irascuntur, cito placantur: illa autem ira eorum inexstinguibilis est, quam regni zelus accendit. Deinde contemnentes eum magi addiderunt causas doloris. Quemadmodum si quis infundat oleum super ignem ardentem, magis crescit incendium: sic ardentem zelum Herodis delusionis opprobrium amplius excitavit. Quid fecit? *Misit et occidit omnes pueros in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis.* Ut quid? Quia delusus erat a magis. Sicut fera bestia habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem ejus duplicat ira doloris, et quasi caeca furore, jam non aspicit vulnerantem, sed quicumque ante oculos ei occurrerit, sive homo, sive alterum animal, quasi auctorem vulneris sui dilaniat: sic et ille delusus a magis, iram suam super parvulos effundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certe magi invenerunt puerum illum, quem regnaturum dicebant, et aut aurum acceperunt a parentibus ejus, aut largis promissionibus sunt placati; ideo ad me reversi non sunt. Nam rex quidquid adversus regnum suum putaverit, totum verum aestimat. Animus ejus semper suspectus est, regni zelo repletus; dum omnia

Commented [p33]: Col.644

timet, omnia suspicatur. Facile credit quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet uxorem, aut uxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo: etsi non sit auditio ipsa digna, et idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. Ideo ergo forsitan talia dicebat apud se: Quis est puer ille, qui antequam nascatur in terra, jam apparet in caelo? Necdum seipsum ostendit, et jam omnes illum quaerunt. Et necdum terrenum populum habet, et jam militiae caelestes stellarum illi ministrant. Quis est ille, qui antequam mecum pugnet, jam me vincit: antequam vincat, regnat: antequam regnet, jam dominatur? Quid putas facturus est ille homo in regno meo, si creverit? Ego et dona hominibus spargo, et gladium porto: ut qui non timet, vel diligat; qui non diligit, vel timeat. Ille nec populum habet, nec divitias congregavit: et quomodo sine auro diligitur, et sine ferro timetur? Sic misit et interfecit omnes parvulos, ut unum inveniret in omnibus. Sed nec unum invenit in omnibus, et omnibus vitam aeternam praestitit propter unum. Ipse se fallere voluit, qui inter homines Deum quaerebat tenere. Quid agit insensata ira tua, Herodes? Si non credis verbis quae magi dixerunt de rege futuro, quare sine causa insanis in pueros? si autem credis verum esse quod dictum est de puero et de stella, iterum dico, quare sine causa insanis in pueros? numquid potes tu mutare sententiam Dei, aut perdere illum, quem Deus defendit? Sed quid mirum, si Herodes homo iniquus putabat se posse mutare consilium Dei? Ipse denique sapientissimus Salomon, cum propter peccatum suum audisset a prophetis Hieroboam regem futurum, posuit persequi eum, putans posse illum perdere quem Deus producit: quia zelus sapere nescit, et ira non potest habere consilium. 18. *Vox in Rhama audita est.* Rhama civitas erat Saul, Saul autem erat de tribu Benjamin, Benjamin vero filius erat Rachel, cujus monumentum erat juxta Bethlehem, ubi haec agebantur mala. Quoniam ergo in Bethlehem interficiebantur parvuli, ubi erat monumentum Rachel, ideo Rachel introducitur plorans. Quamvis autem Rhama non esset prope Bethlehem, tamen dicitur, *Vox in Rhama audita est*: quoniam Rhama Hebraice interpretatur excelsum. Ideo dixit, Vox in excelso audita est: quoniam de morte innocentium mittebatur ad caelum, ideo audiebatur in excelso. Sic enim ait Salomon: *Vox pauperis penetrat nubes, et non discedit, donec audiatur* (*Eccli.* 35. 21). Sic et pauper, quando violentiam patitur a potente, etiamsi non est ausus vociferare, sed latenter lacrymatur, tacitus clamor ejus in excelso auditur: quia non magnus clamor velociter a Deo auditur, sed justus. Quod ait, *Ploratus*, fletum parvulorum ostendit: quod autem dixit, *Ululatus*, matrum significat lamentum. Plorabant enim parvuli, quia separabantur a matribus: ululabant matres, quia desolabantur a filiis, et quasi viscera earum separabantur ab eis. Et erat videre majorem dolorem in matribus remanentibus, quam in parvulis morientibus. Parvuli enim unum patiebantur dolorem, quia separabantur a matribus, et non quia ducebantur ad mortem. Nec enim sciebant adhuc mortis timorem. Matres autem duplicem: unum quidem, quod videbant parvulos suos interfici: alterum, quod ipsae desolabantur a filiis. In parvulis mors eorum beata finem faciebat doloris: in matribus autem parvulorum memoria semper reparatio erat doloris. Post haec autem dignam poenam Herodes suscepit. Nam filios suos tres interfecit, et non interfectos ab alio vidit occidi, ut ne vel paternam super illos pietatem demonstraret in luctu; sed ipse occidit, ut et filios perderet, et de morte eorum crimen acquireret. Viscera sua laniabat in filiis, et dolorem eorum non sensit. Ut quemadmodum parvuli mortem suam non senserunt propter infantiam, sic et ille dolorem viscerum suorum non sensit propter insaniam. Deinde ipse multis doloribus apprehensus est, sicut refert historia, quam longum est narrare. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur. Et quia multoties

Commented [p34]: Col.645

mori non poterat, qui multos occiderat infantes, propterea vindicta morientium plurimorum in plurimis ei doloribus reddebatur. Item quando vidit se prope mortem, sciens quia odibilis erat apud omnes Judaeos, et quia mors illius multis gaudium erat factura, congregavit omnes principes Judaeorum, et jussit, ut cum ipse mortuus fuisset, omnes occiderentur, ut in morte ejus omnes civitates lugerent: etsi non propter amorem illius, vel saltem propter suum dolorem. Et hoc consilio Dei factum est. Quando enim magi annuntiaverunt de stella regis futuri, omnes principes consenserunt Herodi, ut requireret puerum et occideret. Hoc unde scimus? Primum quia dicit Scriptura: *Turbatus est Herodes, et omnis civitas cum illo.* Deinde ipsa verba angeli hoc demonstrant, dicentis: 20. *Accipe puerum et matrem ejus, et revertere in terram Juda: defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri.* Non dixit, Mortuus est, qui requirebat animam pueri: sed, Mortui sunt omnes, qui requirebant animam pueri. 19. *Defuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto,* 20. *dicens: Accipe puerum et matrem ejus.* Vides quia Joseph non ad conjugium Mariae erat electus, sed ad ministerium ejus? Eunte autem illa in Aegyptum et redeunte, nisi desponsata illi fuisset, quis ministerium ei tantae necessitatis impleret? Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Joseph conservabat. Revera autem puer matrem nutriebat, et Joseph tutabatur. Ideo non dicit, Accipe matrem, et puerum ejus: sed *Accipe puerum, et matrem ejus*: quia non propter illam matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa praeparata est mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem, sed illius erat beatitudo, istum habere filium. Sicut ipsa dicebat: *Ecce nunc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* 1. 48). 20. *Vade in terram Israel.* Quasi enim medicus descendit in Aegyptum, ut visitaret eam languentem erroribus, non ut remaneret in ea. Nam in prima facie quasi Herodem fugiens, descendit in Aegyptum: revera autem, ut Aegyptii erroris daemones effugaret ex ea, sicut testatur Isaias dicens: *Ecce Dominus descendit in Aegyptum, sedens super nubem levem, et cadent idola Aegypti* (*Isai*. 19. 1). Vides ergo quia ideo descendit in Aegyptum, non mortem fugiens, sed ut mortifera idola dissiparet? Nam numquam invenitur Dominus descendisse, nisi tunc. Notandum autem, quia nocte fugit in Aegyptum, revertitur autem per diem: quoniam fugiens, persequutionem fugiebat Herodis: revertens autem, mortuo revertebatur persequutore. Omnis enim persequutionis angustia nox est, refrigerium autem dies. 22. *Admonitus autem in somnis, secessit in partes Galilaeae,* 25. *et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur.* Dum dicit, *Per prophetas*, non, Per prophetam, manifestat quod non certam auctoritatem prophetiae protulit, sed sensum prophetarum colligens dixit. Nam per omnes prophetas Jesus Nazarenus vocatur, quod est sanctus. Aut forte legerunt et alios prophetas ita dicentes, qui non sunt nobis canonizati. Alii etenim prophetaverunt, et conscripserunt, sicut Nathan, et Esdras. Et quoniam prophetatum erat, hoc ipsum manifestat Philippus dicens ad Nathanael, *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth* (*Joan.* 1. 45. 46). Unde et Nathanael sciens prophetatum esse, hoc ipsum confirmans respondit: *Ex Nazareth potest aliquid boni esse?*

Commented [p35]: Col.646

Homilia tertia ex capite tertio (col.646-57)

1. *In diebus illis venit Joannes Baptista praedicans in deserto Judaeae.* 2. *et dicens: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum.* 3. *Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Isai.* 40. 3). 4. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem ejus locustae, et mel sylvestre.* 5. *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judaea, et omnis regio circa Jordanem,* 6. *et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua*. 7. *Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* 8. *Facite ergo fructum dignum poenitentiae.* Sol appropians ad processum, antequam appareat, mittit radios suos, et facit albescere orientem, ut procedens aurora adventum diei demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, Spiritus sui fulgore transmisso illuminavit Joannem, ut praecedens ille adventum Salvatoris annuntiet: ne forte subito veniens, et dicens se esse Filium Dei, propter ipsam magnam atque terribilem indicationem rei ipsius, magis se incredibiliorem ostenderet. Si enim Joannes praedicavit persona cognitus, genere dignitosus (erat enim filius Zachariae sacerdotis), et conversatione mirabilis, tamen infideles Judaei non acquieverunt credere Christo per illum: quanto magis non erant crediturí, si nulla ante eum denuntiatio praecessisset? Nam quantumvis fuerit persona laudabilis, in sua causa non potest esse testis idoneus. Venit Joannes quasi magni regis praeparator fidelis. Qualis rex, talis et nuntius regis: natus ex gratia, non ex natura. Sicut Christi conceptionem ante angelus nuntiavit, sic et istius. Sicut illius nomen, antequam conciperetur, auditum est, sic et istius. Sicut illius potestas, antequam nasceretur, ostensa est: sic et istius virtus, antequam nasceretur, manifestata est. Haec fuit inter illos differentia: quia Christo concepto, fidelis mater confessa est gratiam Deo, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* 1. 38); Joanne autem concepto, incredulus pater obmutuit: quia Joanne nato, lex de caetero fuerat tacitura; Christo autem nascente postmodum, gratia fuerat loquutura. Joannes quidem parentibus suis donatus est pro munere pietatis ipsorum, quem natura desperabilis in aetate produxit: quoniam et mundus per tot millia annorum sterilis constitutus, illo nascente fructus justitiae erat facturus: quem parentes non ex amore carnis seminaverunt, sed ex unanimitate et concordia disciplinae meruerunt: erant enim justi ante Deum ambo. Nec enim decebat, ut ex carne et sanguine nasceretur, qui ideo nascebatur, ut Filium virginis praedicaret. Vere enim deserta erat Judaea, vacua a justitia, plena peccatis, quam Deus plantaverat, lex irrigaverat, omnes prophetae coluerant. Illa autem nullum fructum produxit, nisi spinas asperrimas, quibus suum Dominum coronabat, *Dicens: Poenitentiam agite.* Quomodo in ipso principio manifestat, quia benigni regis est nuntius: non enim peccatoribus minas intendebat, sed peccatorum indulgentiam promittebat. Solent enim reges nato sibi filio indulgentiam in regno suo donare, sed ante transmittunt acerbissimos exactores, qui omne quod invenerint exigant ita, ut indulgentia ipsa crudelior esse videatur, quam ipsa exactio, ut nihil indulgentiae habeat praeter nomen, ut lugentes illam homines et nudi suscipiant. Deus autem et nato sibi Filio volens donare in saeculo indulgentiam peccatorum, praemisit quasi exactorem Joannem exigentem et dicentem: *Facite fructus dignos poenitentiae.* O exactio, quae non pauperes fecit exactos, sed magis divites reddit! Nam cum quis debitum justitiae suae reddiderit, Deo nihil praestat, sed sibi

Commented [p36]: Col.647

lucrum salutis acquirit. Quid autem agit poenitentia? Cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, et ad susceptionem Christi praeparat humana praecordia, quemadmodum magno judici aut regi aliquo in expeditionem venturo, praeparatores praecedunt, sordida abluunt, diruta componunt, ne forte indecorum aliquid videns rex delicatus abhorreat: sic et Domino nostro ad peregrina loca hujus saeculi venturo, praecessit Joannes, qui ab humanis cordibus poenitentiae scopis peccatorum sordes ejiceret, et quae per longam diaboli indisciplinationem dissipata fuerant, spiritualium praeceptorum ordinatione componeret: insuper aqua baptismatis adornaret, ut veniens rex caelestis, dignum transitum inveniret per corda credentium, propter quod dixit: *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*.

Quomodo vox et verbum differant; cur Joannes appellatur Vox. – Vox est sonus confusus, nullum secretum cordis ostendens, sed hoc tantummodo significans, quia vult aliquid dicere ille qui clamat. Verbum autem est sermo rationabilis, mysterium cordis aperiens. Adhuc vox inter animalia et homines communis est, verbum autem hominum tantum. Ideo ergo Joannes dictus est vox, non verbum: quia per Joannem neque misericordias suas Deus, neque justitias, neque ante constitutionem mundi praeparata consilia demonstravit, sed hoc tantummodo, quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur. Postea autem per Filium suum plenissimum mysterium suae voluntatis aperuit; ideo et dictus est Verbum. *Parate viam Domini.* Poenitentiam agere peccatorum, et facere fructus dignos poenitentiae, hoc est parare viam Domini, et rectas facere semitas ejus. Quo modo signat omnes vias Domini naturaliter in hominibus esse plantatas, sed postea per contumaciam nostram factas esse desertas, et flexuosas. Numquam enim illas hominibus reparare committeret nisi sciret eas in hominibus esse, et hominum negligentia esse subversas. Ecce humilitatis gratia in hominibus fuit: sed dum invicem homines se ad indignationem provocant, humilitatis gratiam corrumpunt; quando se alter humiliat, alter eum accipere recusat. Item si alter se contra alterum humiliaret, adinvicem alterutrum se ad humilitatis gratiam excitarent. Nam sicut omne artificium corporea usitatione servatur, et additur: sic et gratia omnis per exercitationem additur, et per desidiam minoratur. Nunc si minor se humiliaverit ante majorem, aut pauper ante divitem, non accepit illum quasi humilitatis honorem, sed quasi debitum potestatis. Vis autem scire quia ante humilitatis gratia fuit in nobis? Unde didicimus subjecti esse potentibus? Item sapientiam habuerunt homines, sed dum sapientiam suam non ad adjuvandos se per suam sapientiam exercebant, sed ad circumveniendos, sapientia illorum inventa est esse malitia. Unde enim poterat homo habere intellectum, quomodo alteri faceret fraudem, nisi a Deo gratiam intelligentiae accepisset? Ita bono Dei male utentes, fecerunt esse diaboli malum. Secundum haec tria tracta in omnibus rebus bonis. Postquam ostendit, quia ipse est *Vox clamantis in deserto*, dicens, *Parate viam Domini*, prudenter subjunxit confestim et quae esset vita ejus ostendens, quia merito omnes homines eum venerabantur. Nam ipse quidem testificabatur de Christo, vita autem ejus de ipso. Nam testimonium verborum ejus nequaquam fuisset idoneum, nisi eum mirabilis vitae institutio commendasset. Nam nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi prior fuerit suus. *Ipse autem Joannes habuit vestimenta de pilis cameli: et zonam pelliceam super lumbos ejus: et locustas et mel sylvestre edebat.* Non de lana cameli habuit vestimentum, ne ipsa mollities vestimenti delicata faceret membra, et ipsa deliciositas virtutem patientiae emolliret: sed de asperioribus setis cameli, ut ipsa asperitas ad virtutem patientiae animum exerceret: ideo non dixit, De lana cameli: sed, *De pilis cameli.* Nam omne vestimentum ad tres pertinet

Commented [p37]: Col.648

causas, aut ad speciem visionis seu ad vanam gloriam, aut ad delectationem corporis, aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum servis Dei non convenit: similiter ad delectationem corporis, Deo servientibus non est aptum. Sed quid? Tantum ad tegumentum nuditatis. Quoniam autem non de lana camelina, sed de pilis cameli habebat vestimentum, ipse Dominus manifestat dicens de Joanne: *Quid existis in deserto videre? hominem mollibus vestitum? Non: nam hi, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* 11. 7). Vides ergo quia tale habebat vestimentum, ut de virtute animae ejus ipse habitus corporis loqueretur. *Et zona pellicea super lumbos ejus.* Ex eo quod quasi pro novo aliquid significet in Joanne, dicens: *Et zona pellicea circa lumbos ejus:* ostendit quia consuetudo erat apud Judaeos, ut zonis laneis uterentur. Ideo iste, quasi aliquid durius facere volens, zona pellicea cingebat se. Puto quod Joannes in conversatione populi Judaici, pene secundum justitias gentium conversantis, indicabat in habitu vestem religiosiorem, non mollem, neque delicatam, sed cilicinam, gravem et asperam, et conterentem corpus potius quam foventem. Nam extra alias legis justitias, graviores se habere justitias: *Non occides, non adulterabis, non perjurabis, oculum pro oculo, dentem pro dente, diliges amicum, et odies inimicum* (*Infr. c.* 5. 46), gentium tortuosarum justitiae sunt. Unde et evangelista dicit inferius: *Si diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? Nonne et gentes hoc faciunt? Et zona pellicea circa lumbos ejus.* Lumbi sunt voluptates omnium peccatorum, quia omne peccatum cum voluptate committitur. Zona autem pellicea est continentia corporalis. Zonam ergo pelliceam habebat circa lumbos suos, quoniam etsi qui se continere videbantur ex populo Judaico a peccatis, corporali continentia se constringebant, non spirituali, ab opere malo se continentes propter legem, non a voluntate mala propter Deum: utputa non quidem occidebant, tamen irascebantur sine causa. Non quidem adulterabantur, tamen concupiscebant in corde. Forsitan non perjurabant, jurabant tamen. Haec continentia corporalis est, quia legi et hominibus satisfacit, et non Deo. Continentia autem malae voluntatis placat Deum, quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Reddebant malum pro malo, et bonum pro bono: amicos amabant, et inimicos odiebant. Haec justitia corporalis est, non spiritualis: hominibus placens, non Deo. Vides quia omnis continentia eorum corporalis erat, peccata tantum actuum deprimens, non voluntatum? item locustae sunt volatilia quidem munda, tamen parva, et non satis in altum volantia, quae manducabat Joannes constitutus in deserto. Quos docebat Joannes, idem manducabat. Volatilia quidem erant, non autem magna volatilia, nec satis in altum volantia: quia secundum justitiam legis metu poenae corporalis vivebant, non secundum spiritualia et altissima Christi praecepta. Denique quomodo magnae volucres erant Judaei, aut ad alta volantes, quibus a Joanne poenitentia sola injungebatur? Qui enim abstinet se ab opere malo, et non insuper facit opera bona, volat quidem, non autem in altum volat. Parva ergo volatilia, et non in altum volantia manducabat Joannes: majora autem volatilia, et in altum volantia, quae altissima caeli poterant penetrare, Christo post venienti, quasi regi magno servabat. Ille enim postea veniens magna volatilia, et in altum volantia manducavit: id est, docuit beatos apostolos duodecim, et sub apostolis septuaginta discipulos, et caeteros Christianos, quibus et altissima mandavit praecepta. *Antiquis dictum est, Non occides: ego autem dico vobis, Si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit judicii. Antiquis dictum est, Non adulterabis: ego autem dico, Nec usque ad oculum concupiscas. Antiquis dictum est, non perjurare: ego autem dico, omnino non jurare. Antiquis dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico, Non*

Commented [p38]: Col.649

malum reddere pro malo. Antiquis dictum est, Diliges amicum, et odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos vestros (*Matth.* 5. 21. *sqq.*). Vides quia quibus Joannes praedicabat poenitentiam peccatorum, parva volatilia erant, et non in altum volantia: quibus autem spiritualia Christus mandavit, magna volatilia erant, et ipsos penetrantia caelos: ut dicere possint, *Nostra autem conversatio in caelis est* (*Philip.* 3. 20). Ideo forsitan eis dicebat: *Nolite timere, multis enim passeribus meliores estis vos* (*Luc.* 12. 7; *Psal.* 18. 11). Item, Mellea sunt eloquia Dei. Ideo ergo Joannes mel agreste edebat: quoniam adhuc ante Christum, ante Spiritum sanctum constitutus sub lege, legis utebatur eloquiis insipidis, et insuavibus, et agrestibus. Nam si Filius Dei sub lege est factus, quanto magis Joannes, qui vere erat Judaeus? Sed Filius Dei sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant redimeret, et educeret (*Gal*. 4. 4): Joannes autem sub lege natus est, non ut eos qui sub lege erant educeret, sed ut essent sub lege, ut secundum legem et viverent, et docerent. Propterea nihil extra legem aut fecit, aut docuit, sed tantum poenitentiam praedicavit: Christus autem multa extra legem et fecit, et docuit. In sabbato operatus est, leprosum tetigit, et alia multa: quia non insipidis et agrestibus legis utebatur praeceptis, sed suavibus et domesticis, quae a Patre susceperat. Propterea Joannes agreste mel manducavit, Christus autem domesticum. Ac si Joannes legis et prophetarum omnem formam adimplens, speciem gentium divina virtute circa seipsum consummans, capillatiam et peregrinam tunicam induebat, quasi Ecclesiam suam lex et prophetae suis prophetationibus imputrescibilem et incarpibilem texuerunt. Zona autem erat praecinctus, praeparationem ostendens accedentibus et credentibus praedicationibus suis. Edebat autem locustas, et mel sylvestre: ostendens eos, qui longe volabant, prope futuros, sicut et Apostolus ait ad gentes: *Et vos qui aliquando eratis a longe, prope facti estis in sanguine Christi* (*Ephes.* 2. 13). Et qui agrestium gentium dulcedinem futurae fidei docens, quae ad sublationem curationis processerat, mel sylvestre edebat. *Tunc exibat ad eum Jersolyma, et omnis Judaea*, id est, quando vox facta est in deserto, *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Et amplius resonabat conversatio vitae ejus in eremo, quam vox clamoris ipsius. Et magis expavescere faciebat homines operibus suis, quam verbis. Et forsitan nisi sermones suos conversatione hujusmodi commendasset, numquam omnis Judaea ad vocem ejus exisset ad eum. Ex quibus verbis apparet, quia Dominus constitutus in mundo, non tantum visibiliter sermonibus suis docuerat populum suum, sed invisibiliter in cordibus hominum operans, adducebat ad fidem. Nec enim hoc admonebat Joannes, ut viam Domini super terram, sed in sensibus et cordibus hominum pararent. Ergo in prima quidem facie videbatur in corpore ambulans, revera autem per corda hominum et per sensus incedens, singulorum conscientias scrutabatur. *Egrediebatur ad eum omnis Judaea.* Ad comparationem enim illius sanctitatis quis poterat arbitrari se justum? Inimitabilis erat conversatio ejus, omnium vitam apparere faciebat culpabilem, ut jam nemo in operibus suis confideret, sed omnes in misericordiam Dei spem suam collocarent. Quemadmodum enim si videris albam vestem, dicis, Satis candida vestis est: si vero posueris eam juxta nivem, incipit tibi sordida apparere: etsi vere sordida non est, tamen quantum ad similitudinem nivis sordida invenitur: sic quantum ad comparationem Joannis, omnis homo videbatur immundus. Et vere talis debet esse princeps in populo, ut totus populus semper aliquid novi inveniat, quod imitetur in eo. Nam ad cujus similitudinem extendat se populus, et emendet, si videat ipsos principes esse sordidiores quam se? *Et baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Confessio peccatorum est testimonium conscientiae timeatis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata sua non

Commented [p39]: Col.650

erubescit confiteri: qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, ubi futuri judicii poena non creditur. Numquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem, et quia hoc ipsum erubescere poena est gravis? Sed ideo magis nos jubet Deus confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro poena. Nam et hoc ipsum pars est judicii. O misericordia Dei, quem totiens ad iracundiam excitavimus! Sufficit ei solus pudor pro poena. «Videns autem multos Pharisaeorum, et Saducaeorum venientes ad baptismum, dixit eis: Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a ventura ira? Facite fructus dignos poenitentiae.» Sicut artifex medicus, si viderit aegrotantis colorem, intelligit speciem passionis ipsius: sic et Joannes mox ut vidit Pharisaeos venientes ad se, intellexit cogitationes eorum pravas. Forsitan enim cogitaverunt apud se, Imus, et confitemur peccata nostra. Quantum est in una hora erubescere? Justitias a nobis non quaerit, nullum laborem nobis imponit. Baptizamur, et consequimur indulgentiam peccatorum. Sic cogitabant, quomodo et modo omnes qui faciendae justitiae propositum non habent, et ad baptismum veniunt, putantes quia possit eos justificare sola aqua baptismatis, etiamsi non praecesserit bona voluntas. Insipiens, pone Joannem medicum esse, verbum autem ipsius quasi ferrum medicinale, quo repletae peccatis conscientiae praeciduntur: confessionem puta esse digestionem impuritatis et spurcitiae quae intus erat inclusa, baptismum esse lotionem sordium egressarum: numquid facta digestione impuritatis, jam statim sanus factus es? numquid jam non habes vulnus? numquid non est tibi necessaria superpositio medicinae? Sic multa diligentia necessaria est homini post confessionem et baptismum, ut vulnus peccatorum ejus et confessionis apertura sanetur. *Genimina viperarum*. Natura enim viperarum talis est, cum momorderit hominem, statim currit ad aquam; si autem aquam non invenerit, moritur. Ideo et istos vocabat genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad baptismum, ut quemadmodum viperae, per aquam periculum mortis evaderent. Item viperarum natura est, rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo Judaei assidue persequentes prophetas, corruperunt matrem suam synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Canticis: *Filii mei dimicarunt in me* (*Cant.* 1. 5): ideo viperarum genimina nuncupantur. Item viperae a foris speciosae sunt, et quasi pictae: ab intus autem veneno plenae sunt. Ideo et hypocritas et Pharisaeos viperarum genimina appellat, quia hypocritae pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu, et venenum malitiae portabant in corde. Quis vobis ostendit? Nonne Isaias propheta ostendit vobis, dicens: *Lavamini et mundi estote* (*Isai.* 1. 16)? Absit. Ille enim sicut dicit, *Lavamini et mundi estote* (*Ibidem*): ita etiam, *Auferte nequitiam ab animabus vestris, discite benefacere.* Si vos Isaias docuisset, numquam spem vestram in aqua tantummodo poneretis, sed etiam in operibus bonis. Numquid David propheta vobis ostendit dicens, *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* 50. 9)? Absit. Ille enim sic dicit postea: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humilitatum Deus non spernit* (*Ibid. v.* 19). Si ergo discipuli essetis David, cum spiritu tribulato et cum gemitu cordis ad baptismum veniretis. 9. *Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham*. Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe? nonne separatus de medio filiorum? Qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animum factus est servus. Nec familia ejus sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahae, quod patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? nonne

Commented [p40]: Col.651

separatus a genere suo positus est in caput fidelium, ut jam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam ejus sordidare paterni errores. Nam et aurum de terra nascitur, sed non est terra, et aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur. Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum collatum servatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis ejus non est ejus solius, sed communis videtur cum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis ejus, ejus solius est. Item, qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis illius non ejus solius, sed etiam generis ejus. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo illius, ejus solius est. Ideo melius est, ut in te glorientur parentes, qui talem filium habent, quam tu glorieris in parentibus. Sic et vos nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham: sed magis erubescite, quia filii ejus estis, et sanctitatis ejus non estis heredes. Ipse enim suo testimonio se convincit, quia de adulterio natus est, qui non similatur patri. Sermonem dictum ad Judaeos convertamus ad Christianos: quia sicut Judaei putabant se propter hoc solum esse salvandos, quia erant filii Abrahae: sic et multi insipientes Christiani per hoc solum putant se esse salvandos, quia sunt Christiani; ad quos convenienter dicit Joannes: Nolite dicere, quia sumus Christiani, sed facite dignos poenitentiae fructus. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* Lapis quidem durus est ad opus: sed cum factum fuerit opus ex eo, deficere nescit. Sic et gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in aeternum in fide. 10. *Jam securis ad radicem arboris posita est.* Securis autem est acutissima ira consummationis, quae totum praecisura est mundum. Et si posita est, quare non praecidit? aut si interim praecisura non fuerat, quare posita est? Quia rationabiles sunt arbores, et in potestate habent facere bonum, aut non facere: ut videntes ad radices suas positam esse securim, timeant praecisionem suam, et faciant fructum. Nam quamvis malus nec timore corrigitur, tamen bonus nisi timuerit peribit. Ergo denuntiatio irae etsi in malis nihil agat, tamen a malis segregat bonos. Vide autem quod non ad ramos posita dicitur esse securis, ut cum praecisae fuerint, iterum reparentur: sed ad radices, ut irreparabiliter exstirpentur. Quare? Quoniam quamdiu mundus iste iniquus, et totus positus in maligno, non erat circa finem (1. *Joan.* 5. 19), castigabantur peccatores, non exterminabantur, propter duas causas. Primum quidem, quoniam oportebat homines esse in mundo, quamvis essent iniqui, quoniam et ipse mundus iniquus est. Deinde, quia mundo manente exspectatio erat, si forte aliqui nascerentur justi ex generationibus injustorum. Nunc autem hoc quidem modo jam finiente, illo autem sancto jam appropinquante, non castigantur jam peccatores, sed evertuntur, propter duas causas. Primum quidem, quia jam nec exspectatio potest esse, si forte ex generationibus injustorum aliqui aliquando justi nascantur. Deinde, quia nec convenit ut in illo sancto mundo homines sint non sancti, sicut scriptum est: Quoniam sancti inhabitabunt terram, iniqui vero expellentur ex ea (*Psal.* 36. 11). Et iterum orat Isaias: *Tollatur impius, ut non videat honorem Domini Dei* (*Isai.* 26. 10). 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua ad poenitentiam: qui autem post me venit, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta solvere. Ipse baptizavit vos in spiritu et igne* (1. *Joan.* 26). Quoniam missus erat Joannes ad baptizandum, non tamen propter necessitatem dandi baptismatis, sed ut per occasionem ad baptismum venientibus praesentiam Filii Dei in corpore praedicaret, sicut ipse testificatur alibi dicens: *Sed ut manifestetur in Israel, ideo ego veni in aqua baptizare*

Commented [p41]: Col.652

(*Joan*. 1. 31): ideo nunc ad baptismum venientibus et ipsum praedicabat appariturum confestim, et eminentiam potestatis ejus annuntiat. Pedes autem Christi intelligere possumus Christianos, in quibus ambulat, praecipue apostolos, caeterosque praedicatores, per quos discurrit: inter quos fuerat et Joannes Baptista. Calceamenta autem, quibus operit pedes, possumus intelligere firmitates quibus omnes operit praedicatores. Vis scire quam fortia sint calceamenta ipsius? Audi ipsum dicentem ad Jeremiam: *Ecce posui te in hodierna die sicut civitatem firmam, et sicut murum aereum* (*Jer*. 1. 18). Haec ergo calceamenta Christi omnes praedicatores portant, et Joannes ipse praeportabat: sed dignum se non esse pronuntiabat portare, ut majorem ostenderet gratiam Christi meritis suis. Joannes corporalis est, et aqua corpus est: ideo corpus cum corpore corpus baptizat. Christus autem spiritus est, et Spiritus sanctus spiritus est, anima quoque spiritus est: ideo spiritus cum spiritu spiritum baptizat. Et quoniam judex est qui baptizat in igne, id est in tentationibus, Joannes cum sit corporalis, spirituale baptismum non potest dare, quia omnis beneficus major est quam beneficium ejus. Nemo potest dignius beneficium dare, quam ipse est: nec facit aliud quam ipse non est. In igne non potest baptizare homo, quia homo hominis non potest esse judex. Ille enim tentandi habet licentiam, qui habet remunerandi potestatem. Ergo Christi baptismus non solvit Joannis baptismum, sed in se inclusit. Qui enim baptizatur in nomine Christi, utrumque baptismum habet, et aquae et spiritus: quia Christus spiritus erat, et corpus suscepit, ut et spirituale et corporale baptisma daret. Joannis autem baptismus non inclusit in se baptismum Christi: quia quod majus est, minus in se includit; quod autem minus est, majus in se includere non potest. Ideo Apostolus cum invenisset quosdam Ephesios Joannis baptismate baptizatos, iterum baptizavit eos in nomine Christi, quia in spiritu non erant baptizati (*Act.* 19. 3-5). [Si ergo super Joannis baptisma, quod plenum quidem non erat, tamen rectum erat, iterum baptismum Christi dare licuit Apostolo, quomodo tu dicis, quia super baptismum meum melius non debes baptizare, quod nihil habet in se praeter baptismi nomen? Deinde baptizantes, secundum mortem illius baptizamus, qui crucifixus est. Si ergo non Deus est crucifixus in carne secundum te, sed homo purus, jam secundum mortem puri hominis baptizas.] Homo autem purus spirituale baptismum non potest dare, sicut supra diximus: et ideo baptismum tuum etsi non esset rectum, tamen baptismum erat, id est, simile baptismo Joannis erat, id est, in aqua, non in spiritu, Ergo Paulus, Christi sequutus exemplum, baptizabat eos qui baptismate Joannis fuerant baptizati: quoniam et Christus iterum baptizavit eos qui a Joanne erant baptizati: sicut sermo demonstrat dicens: *Ego quidem vos baptizo in aqua, ille autem vos baptizabit in spiritu.* Nec videbatur iterum baptizare, sed semel: in quo enim amplius erat Christi baptismum quam Joannis, in hoc novum baptismum videbatur; et non iteratum. [Si ergo post baptismum Joannis, quod etsi perfectum non erat, tamen legitimum erat, baptizabat Christus, ut aliquid amplius daret hominibus, quomodo post impium baptismum non licet dare sanctum?] Videamus nunc et uniuscujusque baptismatis qualis sit utilitas. Et quamvis verbi baptismum non sit positum in hoc loco: tamen quia est, et Dominus dixit de eo, *Et vos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis* (*Joan*. 15. 3), et Apostolus ait, *Mundans eam lavacro aquae in verbo* (*Ephes.* 5. 26): dicimus et de illo, quoniam verbum a sordibus ignorantiae mundat, scientiae lumen infundens: sed peccata non diluit, animam non adjuvat, nec concupiscentias malas praecidit ab ea, nec carnem a mala voluptate compescit. Hoc facit verbum fidei mundum quod faciebat antea lex: justitiam quidem ostendebat, animam autem non adjuvabat: quoniam omne verbum lucerna est, et non

Commented [p42]: Col.653

virtus. Item aqua proficit, quia peccata quidem, quae jam processerunt in opus, abluit, et hoc, si poenituit: animam autem non sanctificat, nec concupiscentias cordis aut cogitationes malas praecidit, nec repellit eas, sed nec carnales concupiscentias reprimit. Qui ergo non fuerit sic baptizatus, ut mereatur accipere Spiritum sanctum, in corpore quidem baptizatus est, et peccata ejus indulta sunt, sed in animo catechumenus est. Sic enim scriptum est: *Quia qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* 8. 9): propter quod caro ejus postea pejora ei germinabit peccata, quia non habet in se Spiritum sanctum conservantem se, sed vacua est domus corporis ejus. Propterea spiritus ille inveniens vacuam domum, et mundatam doctrinis fidei, quasi scopis, intrans septempliciter habitat in ea, quoniam verba fidei, quae appellantur scopae, ab ignorantia mundant, non a peccatis, vel concupiscentiis. Baptismum autem spiritus proficit, quia ingrediens spiritus circumplectitur animam et quasi muro quodam inexpugnabili circuit eam: et non permittit ut carnales concupiscentiae et cogitationes praevaleant contra eam. Non quidem facit, ut caro non concupiscat: sed tenet animam, ut non ei consentiat, neque vincatur ab ea. Ergo qui Spiritum sanctum habet, concupiscit quidem secundum carnem, sed secundum animam adjuvatur a spiritu, ut concupiscentiae ejus non veniant ad perfectum. Tentationis autem et tribulationis baptismum igni hic comparatur: comburit enim carnem et coquit, ut nec concupiscat cito, sed ut nec germinet concupiscentias. Nam anima spiritus est, et spirituales poenas timet, carnales autem non timet. Unde et sancti poenas hujus saeculi contemnunt et futurum judicium timent, ubi spiritus cruciantur. Caro autem spirituales quidem poenas non timet, carnales autem timet. Ideo mali non cessant peccare, nisi eos judicia carnalia et terrena compescant. Ideo ergo sciens Dominus, quia caro carnales tantummodo poenas timet, spirituales autem non timet, super servos suos concupiscentias carnales mittit, tentationes et tribulationes, ut combusta caro timeat disciplinam, et timens angustias suas non concupiscat malum. Quia caro importuna, et concupiscens, si secura fuerit, etsi non vincit servos Dei, tamen sordidat sanctitatem eorum, et inquietat, et requiescere non permittit.

Justitia in tentationibus floret; variae tentationum species. – Unde justitia in tentationibus floret, in prosperitate autem marcida est. Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarum, et ut in loco illo jam non facile nascatur herba: sic et tentationis ignis positus super carnem, comburit radices concupiscentiarum in ea, ut non facile concupiscat. Vides ergo, quia aqua praeterita lavat peccata: spiritus autem repellit concupiscentias, et praevalere non sinit: ignis autem ipsas concupiscentiarum radices comburit? Et aqua praeterita tollit, spiritus praesentia impedit, ignis adversus futura praemunit. Quid est autem baptizare in igne, etiam sequens sermo demonstrat dicens: 12. *Habens ventilabrum in manu sua*. Ventilabrum est judicium, per quod Dominus singulos homines tentat, et cunctorum corda dijudicat. Ergo non mox ut quis in aqua vel spiritu fuerit baptizatus, statim ad perfectum est baptizatus, nisi Dominus eum invisibiliter baptizaverit in igne tentationis: quoniam si non fuerit quis tentatus, non potest esse probatus. Species autem tentationum sunt multae. Tentantur etenim homines aut in infirmitatibus, aut in damnis rerum suarum, aut in mortibus carorum suorum, sicut Job et Tobias. Alii in cogitationibus perversis, aut in diffidentiis, sicut dicit propheta: «Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos, et cor meum: quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua» (*Psal.* 25. 2. 3). Item Salomon dicit de Christo: «Quoniam cum tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum: timorem et metum adducet super eum, et cruciabit eum in tribulatione doctrinae suae, donec tentet

Commented [p43]: Col.654

eum in tribulationibus ejus, et credat animae ejus (*Eccli.* 4. 18. 19). Alii in persequutionibus, dicente propheta ex persona martyrum: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum*, etc. (*Psal.* 65. 10). Unde sciens Salomon, quoniam servos Dei oportet tentari, admonet dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* 2. 1). Et ut breviter dicamus, omnis adversitas, quae nos sine nostra occasione tribulat in hoc mundo, baptismum ignis est: quam si magnanimiter sustinueris, nihil murmurans contra Deum, imputatur tibi illa carnalis afflictio pro peccato quod commisisti. Si autem non peccasti, quod est difficile, et ignis ille tentationis circa animam tuam non invenit sordes peccatorum quas comedat, ipsam animam tuam facit splendidiorem: et quanto gravior fuerit tentatio, tanto magis facit clarescere animam. Et in aqua quidem semel baptizamur, in igne autem pene dum vivimus. Sicut enim vita nostra in mundo hoc numquam munda est a peccato (aut enim videndo, aut audiendo, aut loquendo, aut cogitando, quae non expediunt, semper animus sordidatur), sic numquam a nobis ignis tribulationis recedere potest. Et vere optabilis res est sapientibus, quoniam scriptum est: *Beatus homo, quem Dominus arguerit super terram* (*Psal.* 93. 12). Quamvis autem, secundum exitum rei, ignis et ventilabri unus est sensus: tamen sequens proprietates sermonum, puto differentiam ignis esse et ventilabri: ut omnis tribulatio, quae contingit Christianis secundum carnem, sit baptismus ignis: persequutio autem gentilium vel haereticorum sit ventilatio ventilabri caelestis. *Et permundabit aream suam*, etc. Area est Ecclesia, horreum autem regnum caeleste, ager vero hic mundus. Sicut ergo paterfamilias, mittens messores, metit festucas de agro, et comportat eas in aream, ut illic trituret et ventilet, et discernat triticum a paleis: sic et Dominus mittens apostolos, caeterosque doctores, quasi messores, praecidit omnes gentes de mundo, et in aream Ecclesiae congregat. Hic ergo triturandi sumus, hic ventilandi. Sicut enim granum tritici, inclusam in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratura: sic et homo de impedimentis mundialibus et de rebus carnalibus, quasi in palea involutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Nam sicut quidem plenum granum mox ut leviter percussum fuerit, de palea sua exsilit foras: si autem subtile fuerit, tardius egereditur: quod si vacuum fuerit, numquam egreditur, sed illic conteritur in palea sua, et ita cum paleis foras jactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, et boni cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens quae sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit et vadit ad Deum. Qui autem infidelis est et vacuus, quamtumvis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur: sic nec ille de carnalibus rebus, et de impedimentis mundialibus numquam egreditur, nec transit ad Deum, sed illic in malis constitutus conteritur, ut cum infidelibus quasi cum paleis foras projiciatur. Et sicut triticum primum quidem trituratur, et cum trituratum fuerit, in uno loco jacet cum paleis confusum; postea autem ventilatur, ut quae fuerant jam disjuncta corporibus, separentur et locis: sic et populus in Ecclesia aut motibus conteritur carnalium passionum animam semper urgentium; aut castigationibus corporalibus, quasi virgis quibusdam; aut conculcationibus iniquorum et superborum, quasi calcibus irrationabilium jumentorum: ut disjungantur fideles ab infidelibus per diversas contritionum species. Cum autem disjuncti fuerint ab invicem actibus, adhuc in una Ecclesia habentur commixti. Ideo orietur persequutio quasi ventus, ut ventilabro Christi jactati, qui jam disjuncti fuerant actibus, separentur et locis: ut sicut triticum mundum in

Commented [p44]: Col.655

granariis, sic sancti probati in regnis caelestibus reponantur. Vides ergo quia tentatio non perdit, sed manifestat eos, qui in pace non apparebant? Sed forte dicis, Nonne melius erat ut ab initio Deus omnes electos homines ad Christianitatem vocasset, ut non semper ventilaretur Ecclesia, sed magis in pace consisteret? Audi. Numquid tu potes, cum sit messis tua in agro, triticum a paleis separare? Etsi tentaveris, nec paleas a tritico separas, et triticum similiter cum paleis perdis. Sic non poterat fieri, ut Deus de Judaeis aut gentibus jam electos sine tentatione discerneret et vocaret: quoniam qui non cognoscit Christum nec veritatem ejus, si erret aut peccet, non apparet utrum propter malum propositum suum peccet, aut propter ignorantiam. Qui autem cognoverit Christum et justitiam ejus, et erraverit aut peccaverit, tunc manifestum est, quia non ideo errat aut peccat, quia nescit quis sit Deus, aut quae voluntas ipsius; sed quia non diligit voluntatem Dei. Haec sine tentatione quomodo fieri possunt? Ecce enim si palma proposita non sit in stadio, athletam nolentem luctari culpare non potes quasi infirmum. Incertum est enim utrum ideo luctari non velit, quia infirmus est, aut quia non videt propositam palmam. Quod si palmam viderit, et luctari noluerit; tunc est manifestum quia propter desidiam suam non vult luctari. Sic et gentilis, qui resurrectionis praemia nescit, nec futurum esse judicium credit, non potest cognosci utrum ideo non faciat justitiam, quia non amat justitiam, aut quia nullam mercedem speret de ea. Si vero factus fuerit Christianus, et cognoverit futurum esse judicium; tunc peccans, manifestum est ideo peccare, quia non amat quod est bonum. Ad haec forte dicis: Haec secundum hominem dicis; Deus autem, qui cordium et futurorum cognitor est, poterat scire quis et qualis erat futurus. Sed audi. In judicio Christi justo non solum quaeritur, ut Christus cognoscat se juste hominem judicare, sed etiam ut homo ipse cognoscat se juste judicari a Christo, testimonio cogitationum suarum et operum comprobatus: sicut scriptum est: «Cogitationibus invicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicaverit Deus occulta hominum» (*Rom.* 2. 15. 16). Item: «Ecce homo et opera ejus.» Item: «Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua» (*Psal.* 49. 21). Si ergo homo non cognoscens Christum neque justitiam ejus, secundum scientiam Dei condemnetur a Deo, quomodo cognoscet se juste condemnatum? Nam Deus quidem cognitor cordis scit, quia juste eum condemnat: ipse autem peccator juste se condemnatum non intelligit, et dicere potest: Quoniam et ego, si cognovissem Christum, et mandata ipsius, servassem fidem ejus, et non declinassem a mandatis ipsius. Ideo ergo omnes ad agnitionem veritatis adduxit, ut manifesti sint peccatores quia non ignorantia justitiae, sed malo proposito peccaverunt: et non ignorantes Christum recesserunt a Christo, sed magis partes diaboli diligentes. Si ergo quando ex Judaeis et gentibus vocabantur, electi vocari non poterant: quanto magis modo non possunt fieri electi Christiani, cum omnes de Christianis parentibus generentur? Et non tantum ideo fiunt Christiani, quia credunt in Christum aut diligunt eum: sed quia de Christianis parentibus procreantur: et vocatio eorum fit non secundum fidem, sed secundum genus. Necessarium ergo est, ut omnes boni et mali fiant Christiani, et omnes agnitionem veritatis accipiant, ut et postea immissis tentationibus pauci eligantur de multis, ut impleatur quod dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* 20. 16). Numquid tu reprehenderis, quare a tritico paleas separas et ita recondis? Nec enim ratio est, ut cum tritico reponas et paleas, quia nec sunt necessariae tibi ad usum. Et quomodo Deum culpemus, qui a fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam ejus? Et illae quidem paleae per naturam habent, ut sint paleae, et triticum esse non possunt: infideles autem non per naturam habent, ut sint infideles, sed fiunt

Commented [p45]: Col.656

paleae propria voluntate, expellentes a se medullam justitiae. Si ergo illae paleae, quae non possunt esse triticum, comburuntur in igne: quanto magis infideles dignius comburuntur, qui potuerunt esse triticum, nisi a se medullam justitiae projecissent? Et vide quoniam non dixit, Mundabit aream suam, sed, Permundabit. Propterea enim usque ad consummationem semper necesse est ut diversis modis tentetur Ecclesia, donec permundetur. Et ideo Ecclesia Christi numquam sine tentatione dimissa est. Et primum quidem ventilaverunt Judaei eam, deinde gentiles, modo haeretici: postmodum autem perventilabit Antichristus. Sicut enim quando permodica aura est, non permundatur tota tritici massa, sed leviores quidem paleae modica aura jactantur, graviores autem remanent: similiter remanent et vacua grana. Necesse est ergo, ut major exspectetur ventus, ut et graviores paleae, et vacua grana jactentur: sic et quando modica est tentatio, illi projiciuntur de Ecclesia, qui multum sunt infideles. Ideo necessaria est tentatio major, ut omnes infideles plenius expellantur, ut perpurgetur Ecclesia. Et modo quidem modico flatu tentationis sufflante pessimi homines recedunt: si autem surrexerit major, sicut erit sub Antichristo, tempestas, etiam illi qui videntur stabiles sunt exituri.

Commented [p46]: Col.657

Homilia quarta ex capite tertio (col.657-61)

13. *Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem.* Quando? Quando Joannes praedicabat dicens: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum* (*Matth.* 3. 2), tunc venit Jesus, ut testimonium acciperet a Joanne, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* 1. 29), et ut confirmaret praedicationem ipsius, ut videntes homines Christum, cum esset sine peccato, quasi peccatorem baptizari dicant apud se: Si ille de cujus innocentia ipse Baptista testimonium dedit, baptismum se necessarium habere putavit: quomodo nos contemnimus poenitentiam, qui sumus cooperti peccatis? Item testificatus erat Joannes, quoniam *Ego baptizo vos in aqua, post me autem veniet fortior me, ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Ideo tunc venit, ut etiam hoc testimonium ejus ostenderet verum, ut in baptismo ejus aperiantur caeli, descendat Spiritus, Pater clamet de caelo, et per hoc manifestum efficiatur, quia vere dignior erat Joanne qui baptizatus est a Joanne. Sicut enim cum processerit lucifer, lux non exspectat occasum luciferi, ut ita procedat, sed adhuc eo ascendente egreditur et suo lumine obscurat illius candorem: sic et Joanne praedicante ante Christum, Christus non exspectavit ut cursum suum Joannes impleret, et sic ipse veniret ad medium: sed eo adhuc docente apparuit, ut per comparationem doctrinae suae vel operis, praedicationem Joannis faceret non videri justitiam. Unde postquam coepit Jesus praedicare, ad se currentibus universis, viluit doctrina Joannis. Unde discipuli ejus videntes dicebant ad eum: *Rabbi, ecce cui tu testimonium perhibebas, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum* (*Joan.* 3. 26). Deinde venit ad baptismum, non ut ipse remissionem peccatorum acciperet per baptismum, sed ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis. Adhuc autem, ut qui humanam suscepit naturam, totum humanae naturae inveniatur implesse mysterium. Nam quamvis ipse non erat peccator, tamen naturam susceperat peccatricem: propterea etsi ipse baptismate non egebat, tamen carnalis natura opus habebat. 14. *Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quo ego desidero ascendere, tu inde descendis. Ergo ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut justus efficiar, et

dignus caelo. Ut autem ego te baptizem, quae est ratio? Ut justus efficiaris? Sed ipse es justitiae radix. Ut in caelum ascendas? Sed ipse natura in caelo es, etsi voluntate de caelo descenderis. Tu es spiritus, ego caro. Numquid caro spiritum sanctificare potest? Magis autem spiritus sanctificat carnem. Cujus enim creandi est virtus, ipsius est et sanctificandi potestas. Quis dives a paupere divitias quaerit? Magis autem pauper a divite divitias quaerit. Omne bonum de caelo descendit in terram, non de terra ascendit in caelum (*Jacob*. 1. 17). Ille antiquus Lucifer, qui mane oriebatur, cogitavit apud se dicens: *Super caelum ascendam*, etc. (*Isai*. 14. 13). Si ergo ille angelus constitutus, pro sola cogitatione superbiae depositus est de angelica gloria ad ignominiam tenebrarum: ego quid merear pati, si homo carnalis et corruptibilis constitutus, tantae superbiae opus implevero, et dignum me existimavero totius creaturae dominum baptizare? 15. *Et ait ei Jesus, Sine modo: sic enim nos oportet implere omnem justitiam.* Non denegat eminentiam potestatis suae, sed mysterium dispensationis ostendit, dicens: *Sine modo*. Id est, Scio quia hoc est justum, ut tu a me baptizeris: sed *Sine modo,* ut justitiam baptismatis non verbis, sed factis adimpleam. Prius suscipiam, et postea praedicabo. Quod ergo dicit, *Sic oportet nos implere omnem justitiam*, non hoc signat, ut si fuerit baptizatus: sed *Sic*, id est, quemadmodum baptismatis justitiam prius factis implevit, postea praedicavit; sic omnem justitiam non prius verbis quam factis implevit. Unde etiam Lucas testatur de illo, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quae coepit Jesus facere et docere* (*Act.* 1. 1). Aut ita: *Sic oportet nos omnem justitiam implere*: id est, Quomodo et baptismi implevimus justitiam. Quomodo implevit baptismi justitiam Christus? Sine dubio secundum dispensationem humanae naturae: hominum enim est opus habere baptismatis, qui secundum naturam carnalem omnes sunt peccatores. Sicut ergo implevit justitiam baptismi, sic implevit et justitiam nascendi et crescendi, manducandi et bibendi, dormiendi et lassandi: sic et suscipiendae tentationis, sic et timoris, et fugae, et tristitiae: sic et passionis, et mortis, et resurrectionis implevit justitiam: id est, secundum dispensationem quam suscepit humanae naturae, omnes justitias istas implevit. Ergo sic et natus est, non ut homo purus, sed ut Deus et homo. Quasi homo, sic crevit, sic esurivit, sic tentatus est, sic lassatus est: non homo purus, sed Deus in homine; quasi homo, sic alligatus est, sic flagellatus, sic crucifixus et mortuus est: non ut homo, sed per dispensationem, Deus quasi homo. Si autem haec omnia purus homo implevit, jam non secundum dispensationem humanam implevit omnia, sed secundum naturam. Quid autem dispensationis est, aut contra naturam, si ea, quae passionis sunt, sicut homo passibilis patiatur? Dum autem dicenti Joanni, *Ego a te debeo baptizari*, respondit, Modo interim sine: ostendit, quia postea Christus baptizavit Joannem, quamvis in secretioribus libris manifeste hoc scriptum sit. Et Joannes quidem baptizavit illum in aqua, ille autem Joannem in spiritu. 16. *Jesus autem baptizatus confestim ascendit de aqua.* Non invenio, qua causa positum est, quia *Confestim ascendit de aqua.* Quid enim interesset, si tardius ascendisset? Ergo potuit sic dicere: Jesus autem baptizatus ascendit de aqua. Puto autem factum Christi ad mysterium pertinere omnium qui post modum fuerant baptizandi: ideo dixit, *Confestim*, et non dixit, Egressus est, sed *Ascendit*: quia omnes, qui digne secundum omnia membra justitiae formati et consummati baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt: id est, proficiunt ad virtutes, et ad dignitatem sublevantur caelestem. Qui enim ingressi fuerant in aquam carnales et filii Adam peccatoris, confestim de aqua ascendunt spirituales filii Dei facti. Et ne mihi dicas, quia multi quales fuerant ante baptismum, tales permanent post baptismum, etiam qui non in poenitentia

Commented [p47]: Col.658

baptizantur, nec toto corde poenitent se illos fuisse quod fuerunt, sed retento peccandi proposito baptizantur, ideo non proficiunt confestim de aqua. Si ergo quidam ex sua culpa non proficiunt baptizati, quid ad baptismum? Scriptura enim de potestate baptismatis loquitur. Quid potest eis praestare baptismum, qui indigne fuerint baptizati? Aut certe confestim ascendit de aqua, festinans ad tentationem contra diabolum, ad liberandum genus humanum. Misercordia ejus urgebat eum. Sicut enim dux contra tyrannum deputatus ad bellum, mox ut signum expeditionis et profectionis acceperit, festinat exire, sciens quia tarditas ejus perditio est provinciae (nam tyrannus sciens adversus se principem deputatum, etsi lenius acturus fuerat, crudelius agit), sic et Christus, ex quo baptismatis signum accepit, festinabat accipere Spiritum sanctum, quasi arma caelestia, et exire, sciens quia tarditas ejus interitus erat mundi. Nam diabolus, audito quod Filius Dei descenderat in hunc mundum, adversus ipsum vehementius festinabat omnium hominum corda in peccatis et infidelitate concludere, putans se tantum posse perdere, quantum non posset Christus salvare. *Et aperti sunt ei caeli.* Non rupta est ei ipsa creatura caelorum, sed per baptismum oculi sensus ejus aperti sunt, ut videant quae sunt super caelos. Si enim ipsa creatura rupta fuisset, non dixisset, *Ei aperti sunt*, non tantum ei aperti fuissent: quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum: quod autem spiritualiter, illis solis qui illuminantur in Spiritu sancto: sicut Stephanus repletus Spiritu sancto dicebat: *Video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* 7. 55). Sed dicit aliquis, Quid enim? ante oculos Filii Dei clausi fuerant caeli, qui etiam in terra constitutus, erat in caelo? Si ea quae superius dixit, *Sic oportet, nos implere omnem justitiam*, bene intellexisti, non dubitas quod secundum mysterium aperti sunt ei caeli. Nam sicut secundum dispensationem humanam baptizatus est, secundum naturam autem divinam baptismo non egebat: sic secundum humanam dispensationem aperti sunt ei caeli, secundum naturam autem suam erat in caelis. Ergo non Deo aperti sunt posito extra carnem, nec puto homini extra Deum: sed Deo quasi homini, ut exemplo ejus intelligamus quia omnes homines recti, qui baptizati Spiritum meruerunt accipere sanctum, similiter aperiuntur eis caeli, et vident ea quae sunt in caelo: non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Qui enim non credit ea quae gloriosa et terribilia a Deo reposita promittuntur in caelis, ante oculos cordis ejus obturati sunt caeli: qui autem firmiter credit, et quasi ad illud quod videt tendit, illi aperti sunt caeli: et cum corpore sit in terra, animo est in caelo. Si autem oportet credere, quia vere aperti sunt ei caeli, quia forte erant invisibilia quaedam obstacula prius, quibus obsistentibus animae defunctorum introire non poterant caelos: quae homines nec clausa possunt aspicere, nec aperta: tamen sive hoc modo, sive alio intelligantur caeli aperti, omnino sic est intelligendum, *Aperti sunt ei caeli*, id est, propter eum, gratia ejus. Aperti sunt autem caeli, non solum ei, sed omnibus propter eum. Etsi in singulis quibusque generationibus erant justi, quibus aperirentur, tamen iterum caeteris peccatoribus claudebantur: et nullus poterat esse tam justus, ut dignus esset aperire portas caelorum ad introitum omnium hominum. Postquam vero natus Christus, baptizatus est, sanctificatus est, gratia illius solius aperti sunt caeli. Utputa, si ab Imperatore quaerat homo aliquod beneficium dignitatis et ipse non habet tantummodo fiduciam petendi, neque amicitiam impetrandi, vadit ad fratrem Imperatoris, aut ad amicum carissimum, ut intercedat ad illum: sic dicit illi Imperator, Ecce ego hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, propter te illi do (nam non illi donatur, cui datur, sed illi propter quem datur); sic et hic dicit: *Ei aperti sunt caeli*, id est, propter eum nobis aperti sunt. Vis autem manifeste scire, quoniam ante

Commented [p48]: Col.659

Christum caeli si aperiebantur, iterum claudebantur. Nam justi quidem forsitan ascendebant in caelum, peccatores autem nequaquam. Ideo autem dixi, forsitan, ne quibusdam placeat etiam ante Christi adventum justorum animas ascendere potuisse in caelum. Alioqui nullam animam ante Christum arbitror ascendisse in caelum, ex quo peccavit Adam, et clausi sunt ei caeli: sed omnes in inferno detentas propter quas etiam descendit ad inferos, sicut ipse testatur in Sapientia dicens: *Descendam ad inferiores partes terrae, et visitabo omnes dormientes, et illuminabo sperantes in Deum* (*Eccli*. 24. 45). Aperti sunt ei caeli. Sic aperti sunt, ut numquam claudantur. Ecce baptizato quidem Christo, aperti sunt ei tantum; postquam vero tyrannum vicit per crucem, et resurgens ab angelis portabatur in caelum, videntes angeli portitores, quia caeli jam numquam erant claudendi, sed omnes justi et peccatores pariter ascensuri erant in caelum, et staturi ante tribunal Christi, quia non erant necessariae portae caeli, caelo postea numquam claudendo: ideo non dicunt, Aperite portas et introibit rex gloriae, jam enim erant apertae: sed, *Tollite portas, principes, vestras* (*Psal*. 23. 7). Aut ita. Caeli sunt Scripturae divinae prophetarum et apostolorum, in quibus habitat Deus, de quibus scriptum est: *Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quae tu fundasti* (*Psal*. 8. 4). Ergo quando baptizatur, et meretur accipere Spiritum sanctum, adaperiuntur ei omnes Scripturae, ut intelligat quae ibi posita sunt mysteria veritatis. Propterea autem omnibus non aperiuntur, quoniam quidam falsum baptismum habentes, non possunt accipere spiritum veritatis. Quosdam autem non baptismum impedit, ne accipiant spiritum veritatis, et aperiantur eis Scripturae, sed propositum malum, quamvis bene fuerint baptizati. Sicut enim in caelo celatur Deus, sic in Scripturis absonditur. Et sicut hoc caelum corporale omnes quidem homines vident, non autem aspiciunt Deum inhabitantem in eo: sic et Scripturas divinas omnes quidem homines legunt, non tamen omnes intelligunt Deum veritatis positum in Scripturis, nisi qui fuerit sic baptizatus, ut accipiat Spiritum sanctum. Unde et apostoli priusquam baptizarentur in Spiritu sancto, clausae eis erant Scripturae prophetarum exponentes de Christo, sicut scriptum est: *O tardi corde ad credendum in omnibus quae prophetae dixerunt* (*Luc.* 24. 25)! Postquam vero aperuit eis sensum, insufflato Spiritu sancto, tunc reseratae sunt omnes Scripturae ante oculos cordis eorum, ut intelligerent quae scripta erant de Christo. Et ideo forte hic dicitur, *Aperti sunt ei caeli* (*Marc*. 1. 10). Apud Marcum autem vidit scindi caelos: quoniam secundum hunc evangelistam Scripturae manifestae sunt, non conscissae: nam quotidie ad confirmationem fidei ex eis accipiuntur exempla. Secundum Marcum autem etiam scissae sunt, et inutiles factae, quia post Christum jam lege et prophetis non utimur, sed Evangelio Christi, quasi caelo sublimiore et nobiliori. *Et vidit Spiritum descendentem sicut columbam, et venientem super se.* In quo mysterio natus est Christus, in hoc mysterio et Spiritum sanctum accepit. Etenim Filio Dei baptismum recipiente, et Spiritu descendente, unus in forma stabat humana, alter in specie descendebat columbae, tertius autem nec in forma stabat humana, nec in specie descendebat columbae, sed in voce tantum audiebatur de sursum descendente. *Sicut columbam*. Ideo Spiritus sanctus speciem columbae suscepit, quoniam prae omnibus animalibus haec cultrix est caritatis. Omnes enim species justitiae, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere et servi diaboli in simulatione. Habet enim diabolus et mansuetos et humiles, habet castos et eleemosynarios et jejunos: et omnem speciem boni quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem et diabolus introduxit ad seductionem, ut inter bonum verum et bonum simulatum confusio fiat: ut simplices homines, qui boni veri et boni simulati

Commented [p49]: Col.660

differentiam intelligere caute non possunt, dum quaerunt bonos Dei viros, incurrant in seductores diaboli. Solam autem caritatem sancti Spiritus non potest immundus spiritus imitari. Omnis ergo species justitiae in impostoribus invenitur, sola autem gratia verae caritatis non invenitur nisi in solis servis Dei. Ideo ergo hanc privatam speciem caritatis sibi soli servavit Spiritus sanctus, ut per nullius justitiam et testimonium sic cognoscatur ubi est Spiritus sanctus, quemadmodum per gratiam caritatis. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui.* Et vide quoniam in monte sic dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui, ipsum audite* (*Matth.* 17. 5). Hic autem tantummodo dixit, *In quo complacui*: quia illic jam cognoscebant ex parte Filium Dei. Sed quia putaverunt errantes, Christum Moysi et Heliae similem esse: ideo addit, *Ipsum audite*: non ut legem et prophetas non audiant, sed ut Evangelium amplius audiant, quam legem et prophetas, ut scirent quia ipse esset Dominus legis et prophetarum. His autem, cum non adhuc cognosceretur Christi persona, non conveniebat dicere, *Ipsum audite*: quoniam quando persona firmiter cognoscitur, tunc et doctrina fideliter suscipitur, quoniam personae dignitas commendat personae doctrinam.

Commented [p50]: Col.661

Homilia quinta ex capite quarto (col.661-71)

1. *Tunc Jesus ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.* Ex eo quod subjunxit dicens, *Ut tentaretur a diabolo*, ostendit quia a Spiritu sancto est ductus, sed non quasi minor majoris praecepto, sed nec quasi major minoris hortatu. Nam non solum ductus aut adductus dicitur, qui alicujus potestate ducitur: sed etiam ille qui alicujus rationabili exhortatione placatur: sicut scriptum est de Andrea: *Hic invenit Simonem fratrem suum, et dicit ei, Invenimus Messiam qui dicitur Christus, et adduxit eum ad Jesum* (*Joan.* 1. 41. 42). Ecce non potestate eum adduxit, sed ratione placavit. Quemadmodum si magister militum videat dominantem tyrannum, et det consilium regi, dicens: Exi obviam illi, quia tota perit provincia: nam fortior est tua fama, quam mea virtus. Et ecce rex a magistro militum ducitur, et tamen non est minor eo qui ducit. Ad diabolum Jesus ductus est, ut tentaretur: ad homines quidem diabolus vadit, ut tentet eos: non homines ad diabolum, ut tententur ab eo. Quoniam autem adversus Christum diabolus ire non poterat, ideo contra diabolum Christus processit. Constat in nobis quinque baptismata esse. Unum in verbo, sicut et Christus dicit: *Et vos mundi estis propter verbum quod loquutus sum vobis* (Joan. 15. 3). Secundum in aqua, sicut cunctis est manifestum. Tertium autem in spiritu, sicut scriptum est: *Joannes quidem baptizavit in aqua, vos autem in Spiritu sancto baptizabimini* (*Act.* 1. 5). Quartum vero in igne, quod est tentatio praesens. Quoniam autem baptizantur homines et in igne, testis est Dominus per Isaiam: *Et auferam*, inquit, *sordes filiorum Israel de medio eorum, et sanguinem eorum mundabo in spiritu judicii, et spiritu combustionis et ardoris* (*Isai.* 4. 4). Consequenter enim ait propheta: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum* (*Psal.* 65. 10). Et postmodum: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (*Ibid. v.* 12). Sicut enim aurum vel argentum combustis in fornace sordibus colatur, sic homo in fornacem tentationis missus, depositis peccatis sanctificatur. Quintum in morte, sicut ipse dicebat: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo turbor usque dum perficiatur* (*Luc.* 12. 50)? Quoniam autem peccatum et in

morte remittitur, docet Apostolus, dicens: *Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato* (*Rom.* 6. 7). Quale autem peccatum in morte remittitur, scit qui intelligit pro quali peccato introducta est mors. Nam si propter peccatum moritur homo, sine dubio solvitur propter quod moritur. Ideo Dominus postquam baptizatus est in verbo, factus est sub lege. A Joanne autem in aqua, a Patre vero in Spiritu: nunc a Spiritu ducitur in desertum, ut baptizetur in igne tentationis, postmodum baptizandus in morte. Age, nunc videamus qui sunt, qui baptizantur in igne, et quando baptizantur in igne. Ut autem sciamus, videndum nobis est, quid est quod dicit, *Tunc ductus est.* Quando? Quando Pater clamavit de caelo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo complacui*. Vides ergo quia nemo baptizatur in igne tentationis, nisi qui factus fuerit filius Dei? Quamdiu enim catechumenus est homo, nondum abrenuntiat diabolo, et omnibus operibus ejus plenius. Baptizatus autem Christo se tradit, dicens: Abrenuntio satanae, et omnibus operibus ejus. Ideo catechumeno et constituto, quasi suo, parcit adhuc: post baptismum autem, quasi alienum factum, tota virtute satanas persequitur. Baptismum autem signaculum fidei est. Numquid miles post militiam signatur ut jam sedeat, et requiescat? Sed magis ante militiam, ut postmodum militet et laboret. Nam et athleta ante certamen ungitur ut luctetur: sic et homo spiritualiter ideo oleo chrismatis ungitur, ut contra diabolum, quasi spiritualis athleta luctetur. Sed quid, quia multi cum tentati fuerint, superantur, et pereunt? Illi tales non a Spiritu ducuntur ad tentationem suscipiendam, nec sunt filii Dei: *Quoniam qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* (*Rom.* 8. 14): sed a peccatis expelluntur propriis. Qui autem a Spiritu Dei ducuntur ad tentationem, non superantur. Servi autem diaboli in igne non baptizantur. Quare? Quia non potest fieri ut depositis sordibus emundetur, qui totus est sordidus. Incipe laterem aqua lavare, numquid aliquando mundatur? Non, sed magis commoto luto, amplius sordidatur. Ille enim mundatur, in quo est aliquid boni, quo emundetur. Ut puta bonus homo, si carnalibus vitiis fuerit sordidatus, tentatur, ut illud bonum ejus mundetur. In illo autem quid mundandum est in quo nihil est boni? Secundum hoc, cum videris aliquem perversum Christianum numquam tristari, aut periclitari: cum videris haereticum numquam persequutionem tentationum pati, noli scandalum pati: nec dicas, Quomodo haeretici persequutiones numquam patiuntur, sed semper fideles? quomodo mali homines numquam periclitantur, sed semper boni?

Filii Dei baptizantur in tentationis igne. – Scito quoniam qui filii Dei sunt, hi tantummodo in tentationis baptizantur igne. Veniat tibi in mentem quod te docuit apostolus Paulus dicens: *Et omnes, volentes pie vivere in Christo, persequutionem patiuntur* (2. *Tim.* 3. 11). Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Nunc videamus quando baptizantur in igne. Postquam fuerit homo baptizatus in verbo, instructus in fide, et postquam fuerit baptizatus in aqua, et postquam fuerit baptizatus in spiritu: in quarto loco baptizatur in igne. Multi autem et cum in aqua baptizati fuerint, non baptizantur in spiritu. Nisi enim quis ante baptismum aquae sic deposuerit a se totum peccandi propositum, ut dignus sit Spiritum sanctum in templum sui cordis suscipere, non baptizatur in spiritu: quia Spiritus sanctus fugit hominem fictum, et non habitat in corpore subdito peccatis: et ideo non fit filius Dei (*Sap*. 1. 4. 5). Et hi sunt qui, cum tentati fuerint, superantur et pereunt: videntur quidem filii Dei facti, propter aquam baptismatis; revera autem non sunt filii Dei, quia non sunt in spiritu baptizati. Nam corpore quidem baptizati sunt, animo autem catechumeni sunt: quia aqua corpus baptizat, spiritus autem animam. Ergo non solum Christus ductus est in desertum a Spiritu, sed et omnes filii Dei habentes Spiritum sanctum ducuntur a Spiritu in

Commented [p51]: Col.662

desertum, ut et ipsi tententur a diabolo. Qui enim habent spiritum Dei, hi non sunt contenti sedere otiosi: sed ipse spiritus, qui est in eis urget eos ad aliquod opus apprehendendum magnum, cui diabolus adversatur, qui est in deserto. Ut autem intelligas, quia omne bonum, quod secundum Deum bonum est, in deserto est: videamus quid est desertum. Est autem desertum secundum Deum, et est desertum secundum diabolum. Natura carnalis domus diaboli est, et omnis injustitia epulatio ipsius est. Quantum ad Deum autem desertum est, quoniam non est in eo justitia Dei. Spiritus autem domus est Dei, et omnis justitia ejus epulatio est ipsius. Quantum ad diabolum autem desertum est, quia injustitia non est in eo, qua diabolus delectatur. Et quare natura carnis domus diaboli est? Quia omne malum intus in carne est, quia secundum voluntatem carnis est: et intus in mundo est, quia secundum voluntatem mundi est. Omne autem bonum foris est extra carnem, quia non est secundum voluntatem carnis: et est foris extra mundum, quia non est secundum voluntatem mundi. Vides ergo quia omnis res spiritualis extra fines carnis est foris, et quasi in deserto est, et extra fines mundi est foris? Unde qui vivunt secundum Dei mandatum, exisse de mundo dicuntur: non corpore, sed conversatione exisse dicuntur de carne, et in spiritu esse. Domus autem Dei spiritus est, quia omne bonum intus in spiritu est, quia secundum voluntatem spiritus est. Omne autem malum foris extra spiritum est, quia non est secundum voluntatem spiritus. Vides ergo quia omnis res carnalis foris, extra fines spiritus est, et in deserto est? Ergo quantum ad Deum, desertum est natura carnalis, ubi non est via justitiae, in qua non invenitur aqua Spiritus sancti, et est vituperabile desertum, de quo et propheta dicebat: *Sitivit in te anima mea in terra deserta, et invia et inaquosa* (*Psal.* 62. 2. 3). Quantum autem ad diabolum, desertum est omnis res spiritualis, et est laudabile desertum. De tali deserto dicebat Deus ad Pharaonem: *Dimitte populum meum, ut serviat mihi in deserto* (*Exod*. 5. 1). In tali enim deserto vult Deus omnes suos sibi servire. Ad tale desertum omnes filii Dei, qui habent Spiritum sanctum, exeunt ut tententur. Utputa proposuisti non ducere uxorem, duxit te Spiritus sanctus in desertum: id est, ejecit te extra fines carnis et mundi, ut tenteris a concupiscentia carnis: quia non habet castitas in se ut delecteris in ea secundum carnem. Si autem intus eras in carne et in mundo, id est, secundum naturam carnis et mundi habebas uxorem, non tentabaris. Quomodo enim tentetur libidine, qui quotidie est cum uxore? Proposuisti jejunare, extra fines carnis existi, et mundi, ut tenteris in fame a spiritu gulae. Si autem in finibus carnis et mundi positus manducabas et bibebas, non tentabaris a spiritu gulae in fame. Quomodo enim tentetur in fame a spiritu gulae, qui numquam esuriit? Sic et Dominus numquam tentatus fuisset in fame, nisi quadraginta diebus jejunasset et tunc esurisset. Item eleemosynas facere proponis, foras existi: quia natura carnis et mundi non delectatur dare, sed semper accipere. Si autem non dabas, non tentabaris a spiritu avaritiae. Item proponis humilitatem servare, existi in desertum, ut tenteris a spiritu superbiae: quia caro et mundus in humilitate non delectatur. Exsurget aliquis diaboli angelus, qui te conculcet, et irritet humilitatem servasse, dum vides quod in hoc saeculo humilitas contemnitur, et superbia honoratur. Et cum hos omnes spiritus viceris, novissime tenteris a spiritu vanae gloriae. Incipis enim gloriari, quia vicisti: quia spiritus vanae gloriae praecipue a sanctitate nutritur. Scire autem debemus, quod filii Dei non possunt tentari a diabolo, nisi in desertum exierint, secundum ea quae diximus: hoc est, nisi proposuerint circa aliquas studere virtutes. Filii autem diaboli, et intus in carne, et in mundo constituti, confringuntur et pereunt. Quomodo? Utputa bonus homo, si uxorem habuerit, hoc est enim, esse intus in carne, non tentatur in libidine: id est, non fornicatur,

Commented [p52]: Col.663

sed sufficit ei uxor sua. Malus autem et intus in carne constitutus, id est, habens uxorem, fornicatur, et non est contentus una. Item filius Dei, id est, bonus homo, si intus in carne fuerit manducans et bibens, non tentatur in esca: id est, non inebriatur, non deliciatur, sed mensurate manducat et bibit. Filius autem diaboli, et intus manducans et bibens, non est contentus mediocribus cibis et potibus: sed inebriatur, et ad lasciviores cibos extenditur. Item servus Dei, etsi intus sit in carne, nemini aliquid dans, non tentatur, quia alteri non tollit: malus autem intus nemini dat, et tamen alienum tollit: et sic in omnibus rebus tractans invenies. Vides ergo quia est et ista differentia inter filios Dei, et inter filios diaboli? Quia filii diaboli non exeunt ad diabolum ut tententur, sed diabolus venit ad eos ut tentet: id est, non exeunt extra carnem ad illum, sed intus in carne dominantur ab illo. Quid enim opus habet foras ad certamen exire, qui non desiderat vincere? Sed diabolus venit ad illos, quasi ad familiam suam. Filii autem Dei foras exeunt, ut tententur ab illo, id est, extra fines carnis: quia si intus fuerint in finibus carnis, non potest ad illos venire diabolus, quia filii Dei sunt: nec potest illos tentare, sicut supra diximus. Ergo quia diabolus non potest intrare ad illos, ideo qui sunt gloriosiores filii Dei, extra fines carnis exeunt contra illum, quia victoriae gloriam concupiscunt: propterea in hoc loco non diabolus venit ad Christum ut tentaret eum, sed Christus exiit ad diabolum, ut tentaretur ab eo, dans dilectis suis exemplum. Haec omnia diximus propter illud quod ait: *Tunc Jesus ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo.* 2. *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Non solum ideo tentabatur, quia jejunabat, sed ideo jejunabat, ut tentaretur. Jejunium autem non est tantum irritatio passionis, sed repugnatio. Si ergo jejunaveris, ut non intres in tentationem, placuerit autem Deo inducere te: non dicas, quia perdidi fructum jejunii mei. Nam etsi non tibi proficit jejunium tuum, ut non tenteris: tamen ad illud sine dubio tibi proficiet, ut a tentationibus non vincaris, sicut Christo profuit. Multis modis diabolus audierat, quia Christus natus est in hoc mundo, aut angelis praedicantibus ad pastores, vel pastoribus referentibus ad Mariam, vel magis quaerentibus in Jerusalem eum adorare, cujus viderant stellam, vel Joanne ostendente: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan*. 1. 29). Sed faciebat eum incertum natura ejus carnalis. Dicebat enim apud se: Hic non potest esse filius Dei, qui de muliere et de viro natus est. Nam et ideo de desponsata et in domo habita natus est, ut partus virginis diabolo celaretur. Si autem de simplice virgine natus fuisset, facile poterat cognoscere diabolus, quia filius est Dei. Cogitaret enim apud se: Maria fornicata non est: si autem fornicatio me ministrante committitur. Sine dubio iste Filius Dei est. Nec enim potest fieri, ut de muliere homo sine viro nascatur. Ideo desponsata intravit demum Joseph, ut dum maritalis conceptio aestimatur, unigeniti Dei nativitas non cognoscatur? Hic est rex gloriae, qui pannis involutus, nec locum in diversorio potuit invenire, sed in praesepio positus est? Hic est creator rerum, qui crevit, et per singulos aetatis gradus ascendit? Hic est ille sanctus, qui cum peccatoribus, ut peccator, est baptizatus? Quid ergo? Ipse eum tentabo, et si quidem invenero eum hominem, sicut puto, dominabor illius, sicut omnium hominum: si autem invenero eum, sicut audio, Filium Dei, postmodum recedam ab eo, nec congrediar contra eum: quoniam qui vadit contra fortiorem, occasionem illi victoriae providet: si autem subduxerit se, evacuat virtutem ipsius. Sciens ergo Dominus cogitationes diaboli, quia volebat eum tentare, processit contra eum: non quasi Deus, sed magis quasi homo, nec in toto quasi Deus, nec in toto quasi homo. Nam quemadmodum quadraginta diebus non esurire non erat hominis: sic aliquando esurire non erat Dei. Jejunavit ergo quadraginta diebus

Commented [p53]: Col.664

propter duas causas: primum, ut nobis adversus tentationes jejunandi daret exemplum: deinde, ut quadragesimi jejunii nostri poneret mensuram. Esurivit autem, ut ne nimis supra mensuram jejunans manifeste intelligeretur Deus, et sic diabolo quidem spem tentandi exstingueret, suamque victoriam impediret. Itaque diabolus, quia videns per quadraginta dies jejunantem desperaverat, postquam sensit esurientem, iterum coepit sperare, et sic accessit ad extra esurientem, et invenit intus numquam esurientem. Et dum tentat esurientem, vincitur a non esuriente. 3. *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* O caecitas diaboli manifesta! Quomodo suspicatus est eum non esse Filium Dei, quem post quadraginta dies esurientem sensit, et per quadraginta dies non esurientem non intellexit? Nam sicut esurire hominis est, ita per quadraginta dies non esurire hominis non est. Non cogitavit, quoniam qui vere non esurit, voluntarie esurire potest; qui autem vere esurit, per tot dies non esurire non potest. Fortis ad ea quae infirma sunt descendere non potest, infirmus autem ad ea quae fortiora sunt ascendere non potest. Sic ergo magis ex eo, quod per tot dies non esurierat, intelligere debuerat, quia Deus est, quam ex eo quod post tot dies esurit, quia homo est. Nam Deus quae hominis sunt agere potest: homo autem quae sunt Dei agere non potest. Sed forsitan tu dicis: Moses et Helias quadraginta dies jejunarunt, et homines erant. Sed illi jejunantes esuriebant, et sustinebant: iste autem quadraginta diebus non esuriit. Hoc est enim quod dicit: *Et cum jejunasset quadraginta diebus, postea esuriit.* Esurire enim et non manducare patientiae est humanae: non esurire autem divinae naturae. Qui ergo quadraginta diebus non esuriit, postea esuriens, demonstravit quia esuritio ejus voluntaria fuit, non necessaria. Quid ergo est? Sicut semper diabolus omnes homines excaecabat, ut non intelligerent quod est bonum: sic modo invisibiliter ipse a Christo est excaecatus, ut non cognosceret verum. Cogitavit enim apud se: Si poterit de lapidibus facere panes, vere Filius Dei est: si autem non poterit, homo est. Sed quae fuit cogitatio ista? Per hoc enim numquam poterat cognoscere, si Filius Dei erat, an non. Primum si Filius Dei erat, nec esuriebat. Quomodo enim non vincat necessitatem naturae carnalis, qui ipsam necessitatem in natura creavit? Et ut quid faceret de lapidibus panes, qui panem cum omnibus aliis ex nihilo, cum voluit, fecit? Deinde etsi esuriebat propter corpus, et volebat facere, faciebat quando ipse volebat, non quando diabolus provocabat. Si ergo non faceret, quod et fecit: unde sciebat, utrum ideo non fecit, quia non potuit quasi homo, aut quia noluit quasi Deus, quod et fecit? Nam nec fecit, nec dixit, Possum, et nolo, ut ne se ostenderet Filium Dei. Nec dixit, Non possum, ut non se ostenderet mendacem, confitens se hominem, cum esset Deus. Sed quid? 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Deut.* 8. 3). Non dixit, Non in pane solo vivo, sed in omni verbo Dei, ut non videatur de se dixisse: sed medie, *Non in solo pane vivit homo.* Quid aliud poterat respondere et Filius Dei abscondens se, ne ostendatur quod potest, et homo astutus excusans se, ut non ostendatur quod non potest. Sic ergo cum ex hoc responso nihil certum addiscere potuisset, utrum Deus esset, an homo, asumpsit eum ad aliam tentationem, dicens apud se: Iste qui in fame non vincitur, etsi non est Filius Dei, tamen sanctus est. Valent enim homines sancti et spirituales fame non vinci. Sed postquam omnem necessitatem carnis vicerint, per vanam gloriam cadunt. Ideo coepit eum tentare in vana gloria. 5. *Et assumpsit Jesum in sanctam civitatem.* Quando audis dicentem, Ductus a diabolo, nihil cogites de potentia diaboli, quia potuit ducere Christum: sed de patientia Christi mirare, quia sustinuit ut a diabolo duceretur. Ergo in sequente Domino non infirmitas, sed patientia est; in ducente autem diabolo non virtus, sed superbia est:

Commented [p54]: Col.665

quia volentem Christum non intelligens, quasi invitum ducebat. Ille ductus est, ut nos voluntatem diaboli non sequamur. *Et statuit eum supra pinnaculum templi.* Sed forte cogitamus, quo modo in corpore constitutum, omnibus videntibus statuit illum super templum? Si potentiam Christi consideramus, intelligibilia invenituntur omnia. Forsitan enim diabolus, quantum ad se, sic eum assumebat, ut ab omnibus videretur: ipse autem nesciente diabolo invisibiliter sic agebat, ut a nemine videretur: sicut scriptum est de eo: *Ipse autem transiit per medium eorum, et abiit sic* (*Luc*. 4. 30). Si enim Habacuc homo constitutus, a nullo est visus, quando ab angelo per comam capitis portabatur de Judaea in Babyloniam: quanto magis est credibilius de Christo non fuisse visum, cum volens a diabolo assumeretur? *Et statuit eum supra pinnaculum templi.* Cogitavit enim apud se: si miserit se per aerem, scio quoniam est Filius Dei: sine dubio enim mittet se, ut cognoscatur quod est; si autem non potuerit se mittere, scio quoniam homo est. Sicut ergo concupiscentia vanae gloriae ipse ruit de caelo: nam cum esset angelus, volens se ostendere Deum, perdidit et illud quod erat, dum voluit apparere quod non erat: sic putavit et Christum concupiscentia vanae gloriae ferri. Nam sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus: sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus. Et dicit ei: 6. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Per hanc propositionem, quomodo poterat cognoscere si Filius Dei est, an non? Primum volare per aerem non est proprium opus Dei, quia nec hoc est utile alicui, vel ad animam, vel ad corpus. Si ergo nulli necessarium est, neque proficit ad salutem: volaverit autem aliquis provocatus, propter ostentationem solam hoc facit: et est hoc ex diabolo magis quam ex Deo. Si ergo homini dignitoso et sapienti sufficit esse quod est, et non est necessarium ei apparere quod non est, quia hoc non homini prodest, quod videtur ab aliis, sed quod est apud se: quanto magis Filius Dei ostendere se necessarium non habet sine causa alicujus utilitatis, cui nihil necessarium est, sed totum possidet in natura, de quo nemo potest tantum cognoscere, quantum est apud se? Si ergo non volaverit, quomodo poterat per hoc cognoscere, utrum non potuit propter infirmitatem quasi homo, aut noluit propter vanitatem quasi Deus? Quia non creditus fuerat, sed tentatus. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vide superbiam inimici, quomodo ipsa invitatio ejus injuriosa est. Numquid non poterat dicere, Descende per aerem ambulans? Sed quid? *Mitte te deorsum.* Nec timuit cogitans, Ne forte si inventus fuerit Filius Dei, inveniar illi fecisse injuriam. Sed nihil dubitat dicere, nec facere, qui nihil sibi reliquit quod speret. Et vide, non impulit, non tetigit, non appropinquavit: sed tantum dixit: Mitte te deorsum, si es Filius Dei: ut sciamus, quia omnis, qui obaudit diabolo, ipse se deponit deorsum. Nam diabolus ad malum hortari potest, cogere autem non potest. *Scriptum est enim: Quoniam angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te* (*Psal.* 90. 11). O diabole, quomodo Filius Dei angelorum manibus portatur legisti, et quia super aspidem et basiliscum calcat non legisti *(Ibid. v.* 13)? sed exemplum illud quidem profert, quasi superbus: hoc autem tacet, quasi astutus. Nam et vere Filius Dei angelorum manibus non portatur, sed ipse magis angelos portat. Nec enim creatura portat Creatorem, sed Creator creaturam. Si autem creatura bajulat Creatorem: ergo Creator antequam faceret creaturam, a quo portabatur? Nam vere, etsi portatur manibus angelorum, non ideo portatur ut non offendat ad lapidem pedem suum quasi infirmus, sed propter honorem potestatis, quasi Dominus. Scriptum est: *Qui sedes super Cherubim, appare* (*Psal.* 79. 2). Et illud quidem, quod diabolus refert, quia in persona Christi dicitur, verum est. Sicut enim dicitur: *Quoniam tu es, Domine, spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum,* etc. (*Psal.* 90. 9). Sed non de

Commented [p55]: Col.666

Christo dictum est tantum, sed de omni homine justo, quorum personam Christus suscepit. 7. *Respondit ad eum. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Non dixit, Non tentabis me Dominum Deum tuum, ne se manifestaret Deum: sed ita, *Non tentabis Dominum Deum tuum*: quod poterat dicere et omnis homo Dei, tentatus a diabolo: quoniam et qui hominem Dei tentat, membrum diaboli est.

Tria retia diaboli, quibus illaqueat animas. – Sic ergo ex hoc responso incertus transit ad tertiam. Dixit enim apud se: Tria haec retia habeo extensa super omnem mundum, ut quisquis evaserit de retibus gulae, incurrat in retia vanae gloriae: qui evaserit de retibus vanae gloriae, incidat in retia avaritiae. De his autem tribus retibus nullus hominum ad perfectum evasit: et si evasit, non integer, sed contritus evasit. Hic autem jam retia ventris dirupit, retia vanae gloriae transivit. Ponam ei nunc retia avaritiae, et ostendam illi omnia regna mundi. Si concupierit ea, scio quia homo est. Nam omnes homines propter gulam, et propter pecuniarum avaritiam, et propter vanos honores serviunt mihi: si autem contempserit ea, scio quia Filius Dei est. Nec enim potest desiderare quae ipse creavit, nec delectatur terrenis, qui fruitur caelestibus. Nam etsi aliis mentiebatur diabolus, sua esse omnia, apud se tamen sciebat quia non erant ejus, sed Dei. 8. *Et sic assumpsit eum super montem excelsum valde,* quem ipse diabolus, circumiens omnem terram, excelsiorem caeteris cognoscebat, *et ostendit illi omnia regna mundi, et honores eorum.* Forte tractas apud te, qualis potuit esse ille mons, de quo omnis terra videbatur: aut si erat super omnem terram, quomodo tamen poterat inde, quantum ad carnem, totam terram illi ostendere? Nam etsi, quantum ad divinitatem suam, videbat: tamen, quantum ad diabolum, ostendere illi non poterat, quem hominem aestimabat. Sed ita intelligendum est, *Assumpsit eum super montem excelsum valde*: quia quanto magis excelsior fuerit mons, tanto magis aspicienti ex eo spatiosior terra videtur. Ostendit autem ita, non ut ipsa regna, vel civitates eorum, vel populos, vel argentum, vel aurum videret: sed partes terrae, in quibus unumquodque regnum, vel uniuscujusque regni civitas posita erat: ut puta si ascendas super excelsum locum, digito extenso dicam tibi, Ecce ibi est Roma, aut ibi est Alexandria, non sic ostendo tibi, ut ipsas videas civitates, sed partes terrae in quibus positae sunt. Si enim nautae unam stellam aspicientes, non dicam ad unamquamque provinciam, vel insulam, sed ad unamquamque civitatem, et ad singula loca, quae petunt, sine aliquo errore aut devagatione dirigunt cursum: quanto magis diabolus, qui princeps aeris constitutus, totam terram non solum sciebat, sed etiam et videbat, poterat Christo ergo et singula loca certissime digito demonstrare, et uniuscujusque regni honores et statum verbis exponere? Nam non solum ostensum dicitur, quod ostenditur ad videndum, sed etiam quod exponitur ad intelligendum, sicut scriptum est: *Ascendamus in domum Dei Jacob, et ostendet nobis viam suam, et ambulabimus in ea* (*Isai.* 2. 3). 9. *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Considera quomodo omnis promissio ejus irrationabilis est, et mendax. Certe uni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus omnia tolleret; si autem ab omnibus omnia tolleret, a nemine adoraretur, cum diabolus neque ex amore, neque ex timore adoretur ab aliquo, sed quia promittit divitias, aut dat. Quomodo autem expediebat diabolo ab omnibus omnia tollere, et uni dare, ut ab omnibus contemnatur, et ab uno colatur? Sed neque illud dicere possumus, ut unusquisque quidem sua teneret, iste autem super omnia esset. Unus enim super omnem mundum neque est, neque fuit aliquando, neque fieri potest, ut non sit illi aliquis non subditus. Primum, propter Deum, quia non concedit diabolo et hoc facere posse. Secundo, propter ipsum diabolum. Gaudium enim, et gloria, et potestas diaboli, in

Commented [p56]: Col.667

quo est, nisi in superbia, et in invidia, in ira, in vana gloria, et his similibus? Ubi haec exercentur, unum regnum stare non potest, sed necesse est, ut dividatur in plura. Ubi autem haec non exercentur, diabolus non colitur, neque regnat. Quomodo ergo regnum sibi tolleret, et illi daret? Deinde, quid si sancti erant in mundo aliquod regnum tenentes? Nam si peccatori dare et tollere potest divitias, sanctis neque dare, neque tollere potest. Putasne, semper voluit tollere divitias Job? Sed non potuit, nisi quando permissus est. Numquid non voluit, si potuisset tollere regnum de manu David? Nam vere non est mundus diaboli, neque regna illius. Scriptum est enim: *Per me reges regnant, et per me tyranni scribunt justitiam* (*Prov.* 8. 15). Sed ea, quae per iniquitatem aguntur in mundo, ut puta per furtum, aut per vim acquisisti divitias, aut aliqua perditione animae tuae suscepisti honores: illas tibi divitias diabolus dedit, sed non ipsae divitiae diaboli sunt, sed provisio earum. Res autem ipsae illius sunt, qui creavit eas ad probationes sanctorum et peccatorum. Et inter duas conditiones posuit illas in medio, ut et diabolus possit illas dare, et Deus. Nam dans potestatem diabolo, non a se dimisit, ut si quidem cum peccato acquirantur, per diabolum dentur: sin autem sine peccato, per Deum. Ecce enim oculos nostros, et aures, et os, et caetera membra, inter duas conditiones sic creavit in medio, ut et diabolus aperiat oculos hominis, et Deus. Si enim ad turpem rem aperuit homo oculos, diabolus aperuit oculos ejus: si autem ad justitiam, Deus. Numquid ex hoc, quia membra nostra interdum a diabolo aguntur, volentibus nobis, jam membra nostra diaboli sunt? Sic et divitiae quamvis interdum a diabolo dentur, tamen diaboli non sunt. Si enim vere consideres, magis divitiae ipsae in potestate sunt hominis, quam in potestate diaboli. Nam diabolus non quibus ipse vult, divitias dare potest, sed qui volunt ab illo accipere. Homo autem in potestate habet, a quo vult eas accipere, sive a diabolo, sive a Deo. 10. *Tunc dicit ei Jesus: Vade retro, satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* 6. 13). Finem tentandi diabolo imponit dicens, *Vade retro, satana*, ut ne progrediatur ulterius tentans. Diabolus autem, sicut rationis est intelligere, id est, sicut rationabiliter intelligi potest, non quasi obaudiens ad praeceptum, recessit: sed aut ipsius Christi divinitas, aut Spiritus sanctus, qui erat in eo excussit inde diabolum: quod ad nostram consolationem proficit maxime, quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat, quamdiu vult, sed quamdiu Christus eum permittit, vel Spiritus sanctus, qui est in eis. Diabolus enim, quantum ad se, numquam cessaret tentans: nec enim habet alium actum. Non manducat, non bibit, non dormit, non opus aliquod aliud operatur, nisi ut tentet, ut fallat, ut subvertat. Hic est cibus illius, hic honor, hoc et gaudium. Propterea infatigabilis est in malo; sed potentia Dei repellit eum, etsi permittit eum paulisper tentare, propter fidem probandam, tamen repellit eum propter infirmam naturam. Adhuc vide, cum Christus in prima tentatione passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo: *Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut fiat panis*: non est exasperatus, nec in increpationem vel abjectionem ejus est excitatus: sed sustinuit, et mitis permansit; tamen contra verba tentationis congrua dedit exempla. Similiter et in secunda, quamvis esset injuriatus, dicente sibi diabolo: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*: turbatus non est, nec increpans ei dixit: Vade retro, satana. Nunc autem quando diabolus Dei sibi praesumpsit honorem, dicens: *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, et hoc quae sivit fieri sibi a Christo, quod soli Deo fieri debebat; exasperatus est, et iratus est, et increpavit eum, et repulit dicens: *Vade retro, satana; scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; ut nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias illatas ab impiis, sive in dicto, sive in facto, magnanimiter sustinere, Dei autem injurias et contemptum nec

Commented [p57]: Col.668

usque ad auditum sufferre: quoniam in propriis injuriis esse querapiam patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Hactenus simpliciter diximus de tentationibus, quibus tentatus est Dominus: nunc breviter perstringamus quid ad nostram aedificationem significent Christi tentationes.

Commented [p58]: Col.669

Aliud corporis, aliud animae jejunium. – Frequenter diximus, corporis quidem jejunium esse, abstinere a cibis; animae autem jejunium, abstinere ab omni re mala: quia sicut caro delectatur cibo, sic spiritus abstinere a carnis peccato. Secundum hoc jejunium Christi in nobis intelligimus esse abstinentiam peccatorum. Si enim manducatio Adae de ligno scientiae boni et mali, prudenter ab omnibus est recepta, appetitio est peccati prohibiti: consequenter et jejunium Christi intelligendum est in nobis abstinentia a peccato. Quod si jejunium est abstinentia rei malae, sine dubio et desiderium ejus esuritio est ipsius, et usus rei ipsius intelligitur panis. Proponens ergo jejunium sibi Christus, et non superatus desiderio panis a diabolo sibi propositi, hoc nos docet, ut si aliquis, utpote filius Dei, opus eligens magnum, exierit in desertum, sicut diximus supra, et proposuerit se abstinere ab aliquo usu corporali et delectabili, quod est jejunare, propter vivificatorium Dei mandatum, ne interrumpat. Si autem loquente in cogitationibus suis diabolo, et ad usum rei illius provocante interruperit, utens peccavit potius quam usus est, et peccatum sibi convertit in usum, hoc est, lapidem in panem. Et quamvis ab illa re se abstinere decreverit, qua uti potuit sine peccato, si non decrevisset, tamen quia decrevit abstinere ab illa, usum rei illius judicavit esse peccatum, id est, lapidem. Propterea si usus fuerit eo, peccatum sibi sumpsit in usum, id est, lapidem sibi mutavit in panem, dirumpentem magis quam nutrientem. Sicut et Apostolus de mulieribus viduitatem promittentibus dicit: *Quae cum deluserint Christum, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (1. *Tim.* 5. 11. 12). Sed deprimens desiderium suum quasi esuritionem, respondeat in cogitationibus suis diabolo sibi persuadenti, quia non in usu rei illius solo vivit homo perfecte: et si vivit, secundum corpus vivit, et non secundum animam. Plenissime autem vivit in observantia mandatorum Dei; et ideo forte non simpliciter dicit, Dic lapidi ut fiat panis, ne de qualicumque lapide dixisse intelligatur: sed ita, Dic huic lapidi, id est, quem ego tibi ostendo. Item ascensio super templum moraliter intelligitur exaltatio cordis sanctorum ad sanctitatem. Statio autem super pinnam templi, exaltationis ipsius mora. Quando enim quis, inflatus mente carnis suae, exaltatus fuerit quasi sanctus, et gloriatus fuerit quasi consummatus, ductus est a diabolo quasi super templum: et quando existimaverit se consistere in sanctimoniae summitate, et in ipsa aestimatione jactantiae fuerit demoratus, positus est super pinnam templi, et stat ibi. Convenienter ergo et ordinate exposuerunt evangelistae. Postquam enim exposuerunt, Christum in tentatione jejunii superasse diabolum, in sequenti loco exposuerunt ductum esse a diabolo super templum: quoniam victoria tentationis, et expletio alicujus operis magni, gloriationem operatur, et fit causa jactantiae. Sed vide quoniam Christus jejunium quidem ultro suscepit, super templum autem diabolus eum duxit: ut et tu, qui filius Dei es, ad jejunium quidem morale, id est, ad abstinentiam laudabilem rei cujusdam sponte procedas, et alacriter: extolli autem ad fastigium sanctitatis non acquiescas, quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente diabolo. Nec enim ideo acquievit Christus duci et constitui super templum, ut tu moraliter imitator ejus exsistens, ascendas per jactantiam cordis tui ad altitudinem sanctitatis. Nec enim volens ascendit, quantum ad corpus, sed ideo acquievit duci et constitui super pinnam templi, et audire praecipitii verba: *Si Filius Dei es, mitte te*

deorsum: ut tibi ostendat exaltationis exitum metuendum: id est, ut demonstret tibi ruinae periculum, quod omnes gloriantes subsequi solet, sicut testatur Sapientia, dicens: *Ante ruinam exaltatur cor hominis, et ante gloriam humiliatur* (*Prov*. 18. 12). Consequenter et Dominus dicit: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc*. 14. 11). Si ergo times ruinam de fastigio sanctitatis, fuge exaltationem cordis ad sanctitatem, et non patieris ruinam de fastigio sanctitatis. Cur autem omnem jactantiam subsequatur ruina, causa est manifesta. Quoniam omnis qui confidens est in operibus suis, et gloriatur, securus est; qui autem securus est, non timet: et qui non timet, nec cavet; qui autem non cavet, quando non sperat, supplantatur a diabolo, et dejicitur. Qui autem nihil se existimat esse, in inferiori parte templi consistens, quantum ad se, causa humilitatis, sollicitus est de se; qui autem sollicitus est, et timet; qui autem timet, circumspicit semetipsum, et non sinit duci se a diabolo super templum. Talis fuit et ille qui dicit: *Non quod jam perfectus sim, aut jam justificatus sim*, etc. (*Philip.* 3. 12; 1. *Cor*. 4. 4). Si ergo Paulus timuit se dicere esse perfectum, quis audeat se existimare perfectum? Si ergo perfectus filius Dei es, et aliquam laudabilem abstinentiam suscepisti, quasi exiens in desertum, his duabus tentationibus Dominus tentatus est propter te, ut non interrumpas opus tuum, sed ad perfectum deducas: cum autem perduxeris ad perfectum, non glorieris. Si autem mediocris es filius, et nullum ausus es affectare pro virtute certamen, tentatione tertia tentatus es: propter te ductus est super montem excelsum, et audivit verba perniciosa, *Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*: ut tu non desideres magnus et altus fieri in hoc mundo. Ascensio enim montis illius est processio ad magnitudinem vel altitudinem divitiarum et gloriae hujus mundi: quoniam ipsa processio eorum de superbia cordis descendit. Et vide quomodo per ordinem dicit, prius ductus est super montem; deinde gloriosa mundi ei ostensa sunt; in tertio loco posita est ei conditio, ut si adorasset diabolum, omnia fierent ejus. Sic et tibi contigit, qui altus et magnus fieri festinas in mundo, et ascendis in montem, quem diabolus sibi elegit ad seducendum. Cum enim volueris fieri altus et magnus, quod est ascendere in montem, diabolo te ducente, incipis die ac nocte cogitare de divitiis acquirendis, de suscipiendis honoribus, et ante oculos mentis tuae semper illa universa proponere: scito quia princeps mundi gloriosa regni sui tibi ostendit. Cum autem senserit te diutinis hujusmodi cogitationibus in concupiscentias eorumdem honorum accensum, in tertio loco tales tibi providet causas, ut necesse sit tibi, si volueris illa consequi, diabolum adores, relinquens fidem Dei, et servias ei, negligens justitiam Dei: si autem elegeris adorare Deum in fide ejus, et servire ei secundum mandatum ipsius, illa omnia non consequaris. Ideo docet Paulus apostolus: «Obsecro autem vos, fratres, studium habere quietis, et negotii proprii, et operandi manibus vestris, et nullius desiderium sit vobis ad ea quae foris sunt» (1. *Thess.* 4. 11). Et iterum: «Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas divitiarum: quam quidam appetentes, circa fidem naufragaverunt» (1. *Tim.* 6. 8-10). Ergo omnia Christo promissa sunt, et omnia Christus contempsit, ut ne gloriam Dei diabolo daret: ut et tibi etiam si totus mundus fuerit datus, tantum ut dimittas Deum, non facias amplius divitias, quam gloriam Dei: nec enim justum est, propter creaturam contemnere Creatorem, sed propter Creatorem creaturam: quoniam divitias tibi Deus dare potest, divitiae autem tibi Deum dare non possunt. Non enim propter se tentatus est, sed propter nos, et non sibi vindicat, sed nobis. 11. *Tunc reliquit eum diabolus, et accedentes angeli*

Commented [p59]: Col.670

Commented [p60]: Col.671

Dei ministrabant ei. Non dixit: Et descendentes angeli Dei ministrabant ei, ut ostendat, quia semper ad ministerium ejus angeli erant in terris: sed tunc, praecipiente Domino, recesserunt ab eo, ut locus diabolo adversus Christum daretur, ne forte angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum. Sic enim invisibiliter fit omni homini Christiano. Duo enim sunt angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus et malus. Quamdiu circa nos est angelus bonus, numquam nos in tentationem potest impellere angelus malus. Secundum dispensationem autem Dei recedit aliquantulum angelus bonus; magis autem non recedit, sed abscondit se, invisibilem se reddens ante diabolum: quoniam nisi voluerit angelus bonus, a diabolo non videtur. Subtrahit ergo se, ut det diabolo licentiam tentandi, et stans exspectat tentationis eventum. Quando ergo aliqua concupiscentia malae rei ascenderit super cor tuum, et pulsat aliquod genus peccati, non est circa te angelus bonus, sed diabolus loquens in corde tuo tentat te pariter et compellit. Si tu ergo permanseris confringens cor tuum, magis autem diabolum in corde tuo confringens, cum non te potuerit superare, discedet a te. Quando recedente concupiscentia incipit cor tuum exsultare, quia evasisti impetum illum malum, et quasi quidam spiritus in te tacente laetatur, et gratias agit Deo: cognosce quia recessit a te diabolus, et post tentationis victoriam accedens angelus ministrat tibi, et ille loquitur in te, et gaudium operatur. Quoniam autem ministrabant ei angeli, scimus: in quibus autem rebus illi ministrabant, scire non possumus. Utrum ad sanitates infirmitatum, quemadmodum et per angelum Raphaelem sanavit Tobiam (*Tob.* 3): an ad correctionem animarum, an ad effugationem daemonum, quoniam quidem multa opera sua per angelos facit, verum est. Angelis autem facientibus, ipse facere videtur, qui dat illis faciendi praeceptum et potestatem. Tamen manifestissimum est, quia etsi ad opus ipsius ministrant ei, non propter necessitatem impotentiae ejus ministrant ei, sed propter honorem potestatis ipsius. Nam ministrant ei et non adjuvant eum.

Homilia sexta ex capite quarto (col.671-4)

12. *Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam.* – A quo? Sine dubio a Deo: quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus. Nam peccator in peccatorem aliquid forsitan potest, quia nec est valde sub cura Dei peccator: in hominem autem Dei sine dubio nihil potest, quia *Protector est Deus omnium sperantium in eum* (*Psal.* 17. 31). Sic enim dicit et alibi: *Nonne duo passeres veneunt dupondio, et unus ex eis non cadit super terram sine praecepto Patris vestri? Quanto magis vos modicae fidei? Vestri autem capilli capitis numerati sunt omnes* (*Matth.* 10. 29. 30). Omnis homo, quantumvis fuerit malus, priusquam aliquam faciat iniquitatem, quasi tardior est ad opus iniquitatis: quod si semel coeperit facere iniquitatem, jam paratior fit ad omne opus iniquum. Sicut enim bestia, quamvis sit naturaliter saeva, tamen si excitata non fuerit, non se facile super hominem jactat: si autem homine occiso, vel aliqua bestia, sanguinis acceperit gustum, jam si viderit hominem, sine aliqua mora irruit super eum: sic et Herodes, etsi propsito erat iniquus, tamen postquam propter correptionem adulterii sui est exasperatus, opus pessimum ausus est facere, et Joannem recludere in carcerem, seipso iniquior: et audacior quidem fuerat sibimetipsi factus cum omnibus consentientibus sibi Judaeis in mortem Joannis. Quod

Commented [p61]: Col.672

sciens Dominus, secessit inde, non ipse timens mortem, sed propter duas causas. Primum, ut passionem suam opportuno tempore reservaret: deinde, ut nobis fugiendi periculum tentationis daret exemplum: non quia ille timebat periculum tentationis, sed quia nos aliter non omnem toleraremus tentationem. Si enim ideo per omnem viam justitiae praecessit quasi magister, ut nos cum sequamur quasi discipuli, manifestum est quia non consideravit quid ipse posset, sed quid nos poteramus implere. Si autem ea fecisset Christus quae ipse poterat facere, et non nos: discipuli ejus esse non poteramus, sequi eum non praevalentes. 13. *Et relicta civitate Nazareth, veniens habitavit in Capernaum in finibus Zabulon et Nepthalim,* 14. *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon et terra Nepthalim, via maris trans Jordanem, Galilaeae gentium* (*Isai.* 9. 1). Sicut docet historia, hae tribus ante omnes transmigratae sunt in Babyloniam. Convenienter ergo quos ante omnes ira Dei percussit, ipsos primum Dei misericordia visitavit: et qui primi ducti sunt in captivitatem corporalem, ipsi prius de spirituali captivitate reducti sunt. 16. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et qui sedebant in regione et umbra mortis, lux orta est eis* (*Ibidem, v.* 2). Sedebant in tenebris Judaei, qui fuerunt sub lege, in qua Dei justitia non fuerat manifesta: etsi erat ibi justitia, tamen in figuris quibusdam et mysteriis rerum carnalium fuerat cooperta. Quale enim est lumen justitiae in circumcisione praeputii? Tenebrae enim erant maxime secundum legem, quae non ad manifestandam Dei justitiam data fuerat, sed ad puniendam duritiam cordis eorum: sicut ait Dominus, *Propter duritiam cordis vestri Moses ista mandavit* (*Marc*. 10. 5): et non ad salvandos eos, sed ad excaecandos, ut inebriati per legem non cognoscerent lumen, quod non merebantur videre in tenebris, id est, in peccatis. Lumen magnum, id est, Christum. Nam multa lumina fuerant inter Judaeos. Lumen fuerunt Moses, et Aaron, et Josue, et caeteri judices et prophetae. Omnis doctor lumen illorum est, quos illuminat docens: sicut scriptum est, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* 5. 14). Magnum autem lumen est Christus. In regione autem et umbra mortis sedebant gentiles, aut quia iniquitates mortiferas faciebant, aut quia colebant idola et daemones, quorum cultura ducebat eos ad mortem aeternam. Judaei autem, qui secundum legem opera faciebant, ideo in tenebris erant, et non in regione et umbra mortis, quia etsi non erat quidem justitia quam faciebant, tamen facientibus eam etsi gloria non dabatur, tamen mors aeterna non contingebat, quia Dei tenebant mandata. Umbram autem mortis aestimo esse peccatum idololatriae. Sicut enim qui vivunt in agnitione Dei et Christi, quamvis agnitio ipsa sit vita, tamen donec sunt in saeculo isto, non sunt in vera vita, sed in umbra vitae, quoniam per fidem ambulant, et non per speciem, et per speculum in aenigmate vident, non facie ad faciem (2. *Cor.* 5. 7): sic qui in erroribus idolorum vivunt, licet ipse error sit mors, tamen nondum sunt in vera morte, sed in umbra mortis donec in isto saeculo sunt (1. *Cor*. 13. 12). Quoniam autem ignorantia Dei umbra est mortis, testatur propheta dicens: *Et declinasti semitas nostras a via tua, et cooperuit nos umbra mortis* (*Psal.* 43. 19. 20). Sine dubio enim operiet eum ignorantia Dei, cujus vita de via Dei fuerit declinata. Regio autem mortis mundus est iste. Sicut enim illa terra vivorum est, de qua dicitur: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal*. 26. 13): sic terra haec regio mortis est. Propterea ad plenum Deo placere non possumus, degentes in ea, quia ipsi etsi vivi sumus propter opera viva et fidem Christi, tamen quia in mundo vivimus, cui diabolus principatur, coinquinati sumus. Ideo et Paulus dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom*. 7. 24)? Corpus enim hoc, corpus est mortis, quia non vitalibus, sed mortiferis voluptatibus est subjectum. Et vide quam proprie quidem dixit

Commented [p62]: Col.673

propheta, Judaeos quidem vidisse lumen magnum, gentibus autem ortum esse: quoniam apud Judaeos erat agnitio Filii Dei, non autem videbant eum, quia sedebant in tenebris legis, aut peccatorum: apud gentes autem numquam fuit agnitio Filii Dei. Ideo a Judaeis quidem dicitur visus, gentibus autem ortus. Dicitur autem Capernaum inter fines Judaeorum et gentium posita esse. 17. *Ex tunc coepit Jesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum. Ex tunc*, id est, ex quo testificatus est a Joanne. Nec enim praedicare credibiliter poterat, nec testis Patris exsistere, nisi testificatus fuisset ab eo: quia nemo potest alterius esse testis idoneus, nisi qui ipse fuerit testificatus ab altero. Testificatus autem est ab eo sic: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* 1. 29). Ut omnis qui ordinatur ad praedicandum, bonum testimonium habeat a populo, et ab his qui sunt foris, sicut ait Apostolus. Qui enim bene vivit, se solum salvat: qui autem bonam habet opinionem, multos aedificat (1. *Tim*. 3. 7). Quid autem prodest, si bonam vitam agendo te unum salves, et malam famam habendo plurimos scandalizes? *Ex tunc coepit Jesus praedicare*, ex quo in aqua quidem baptizatus est a Joanne: in spiritu autem a Patre, ut possit de seipso alios baptizare, secundum hominem dico: [quia si non fuisset baptizatus, alios baptizare non poterat]. Quomodo autem nudus vestiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum divitem? Sic et ipse, qui baptizatus non est, quomodo alteri potest baptismum dare? Secundum hoc et de haereticis dicimus: quia ubi est fides, illic est Ecclesia: ubi Ecclesia, ibi sacerdos: ubi sacerdos, ibi baptismum: ubi baptismum, ibi Christianus. Ubi autem fides non est, ibi nec Ecclesia est: ubi Ecclesia non est, nec sacerdos est: ubi sacerdos non est, nec baptismum: ubi baptismum non est, nec Christianus fit aliquis. Quid ergo reprehendit quasi secundum baptismum, qui non intelligit quod est primum? *Ex tunc coepit Jesus praedicare*, ex quo tentatus est. Famem autem vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam gloriam repercussit super templum: ut nobis ostendat, quia qui ventri suo contradicere potest, qui saeculi hujus bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet, Christi vicarius factus, justitiam Christi praedicare: quoniam ex istis tribus caminis omnis diabolicae fraudis flamma succenditur. Item ex quo traditius est Joannes, ex tunc praedicare coepit. Nam si vivo Joanne praedicare coepisset, sine dubio vilem fecisset Joannem, et inventa fuisset praedicatio ejus superflua quantum ad istius doctrinam: quemadmodum si in uno tempore lux cum lucifero oriatur, gratiam luciferi celat. Quam sapienter inde praedicationis suae sumpsit initium, quod praedicare consuetus erat Joannes*: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum* (*Matth*. 3. 2): non ut conculcet Joannis doctrinam, sed ut magis confirmet. Nam si illo adhuc docente haec eadem praedicasset, forsitan conculcare videretur: nunc autem quia eo incluso repetit, non conculcatio, sed confirmatio invenitur. Confirmavit autem Joannis doctrinam, ut testem cum verum fuisse demonstret. Quoniam si Joannes verus est testis, et testimonium ejus verum est, quod dixit de Christo: si autem falsus est testis, et omnia illa gloriosa falsa fuerunt, quae dixit de Christo. Ergo dum Joannis doctrinam confirmat Dominus, seipsum commendat. *Poenitentiam agite.* Creator humanae naturae scit quid necessarium habet humana natura. Sciens etenim Dominus, quia nullus hominum per ignorantiam justitiae peccat, sed dum sequitur delectationem carnalem, contemnit gloriam spiritualem, ideo statim non justitiam praedicavit, quam omnes cognoscebant, sed poenitentiam, qua omnes indigebant. Quis ergo veniens contra judicium Dei ausus est dicere, quia ego volo bonus esse, et non possum? Dominus enim, qui in primis non justitiam, sed poenitentiam praedicavit, non naturae ignorantis, sed voluntatis culpam in peccatoribus esse

Commented [p63]: Col.674

demonstrat. Poenitentia enim correctio est voluntatis, non emendatio malae naturae. Nam si emendatio naturae esset poenitentia, Creator Dominus noster venisset in mundum, ut sui operis culpam emendaret, non nostros errores. *Appropinquabit enim regnum caelorum*, id est, beatitudo regni caelestis: quam praeparavit fidelibus Deus, ac si dicat, Parate vos per poenitentiam et per patientiam ad percipiendam beatitudinem regni caelestis: qui appropinquabit tempus mercedis reddendae. Qui mala timetis, aut concupiscitis bona, attendite, quia appropinquabit regnum caelorum. Si vos mala non terrent, vel bona delectent: aut si regna non concupiscitis, vel tormenta timete. Gaudeant justi, quia jam finiuntur mala eorum, et incipiunt bona. Lugeant peccatores, quia jam transeunt bona eorum, et incipiunt mala. Quid nocuit hominibus justis, quia mala passi sunt, cum coeperint esse in bonis? Nam et recordatio transactorum malorum non solum non nocet, sed adhuc magis delectat. Nam mala quamdiu praesentia sunt, gravia videntur: cum vero transacta fuerint, recordatio eorum gloriatio est. Aut quid prodest peccatoribus, quia bona sunt consequuti, cum coeperint esse in malis? Nam recordatio transactorum bonorum non solum non adjuvat, sed adhuc amplius gravat. Nam quamdiu praesentia sunt, delectabilia videntur: cum vero transacta fuerint, recordatio eorum magis affligit. Et ista praedicatio poenitentiae qualem fructum contulit Christo? Seminavit verbum poenitentiae, et immaculatos praedicatores justitiae messuit.

Homilia septima ex capite quarto (col.674-6)

18. *Ambulans autem Jesus secus mare, vidit duos fratres, Simonem et Andream.* – Priusquam aliquid dicat aut faciat, vocat apostolos, ut nihil eos lateat nec verborum Christi nec operum, ut postmodum fiducialiter dicere possint: *Non possumus enim nos quae vidimus et audivimus non loqui* (*Act.* 4. 20). Vidit eos, non corporaliter, sed spiritualiter: non ad facies eorum, sed ad corda respiciens. Et elegit eos, non quasi apostolos, sed quia apostoli poterant fieri. Sicut artifex si viderit gemmas pretiosas, et non dolatas, elegit illas, non quod sint, sed quod fieri possunt; habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit: sic et Dominus videns illos, non opera eorum elegit, sed corda. *Mittentes retia*, et futurae dignitatis gratiam artificii sui opere prophetantes. Ut intelligamus, quia non solum ista secunda piscatio spiritualis a Deo eis erat donata, sed etiam prima illa corporalis Dei providentia in eis fuerat ordinata. Nam sicut qui retia jactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sed quos Deus ei transmiserit, illi intrant in retia: sic et doctor quando divini sermonis retia super populum jactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum, sed quoscumque Deus excitaverit, illi adhaerent doctrinae. Ergo sicut in piscatore labor solus requiritur piscandi, Deus autem transmittit capturam: sic et in doctore nihil requiritur nisi instantia doctrinae: populum autem non corrigit homo, sed Deus. Sic enim dicit Dominus per prophetam: *Dic haec ad Jesum filium Josedech sacerdotem magnum: Si bene custodieris aulam meam, dabo tibi qui habitent in ea* (*Zach.* 3. 7). 19. *Et ait illis: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum*. Id est, Faciam vos doctores, ut eum reti verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, et fluctuabundo, et tempestuoso, et instabili, et perfido, et semper periculoso, et nemini umquam tuto, ubi homines non ambulant, sed feruntur inviti, quasi nolentes. Violentia enim diaboli concupiscentias multas inoperans eis mentitur se

facturum eorum voluntatem: quia cum delectatione compellit in mala opera, ut homines alterutrum se comedant, sicut pisces fortiores semper devorantes infirmiores: ne translati vivant in terra fructifera corporis Christi, facti membra corporis ejus, in terra fructifera, in terra dulci et semper tranquilla: ubi non est tempestas ad eversionem, nisi forte ad tentationem fidei, et patientiae fructificationem. Ut homines ambulent, non ferantur: ut se alterutrum non comedant habitantes, sed foveant. Ecce do vobis Evangelium in manibus novum, et alterum rete diversarum sententiarum, et obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum, et multiformum doctrinarum narrationibus crebris quasi fluctibus huc et illuc discurrentibus textum, minis judiciorum, et promissionibus beatitudinum, quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, praescientiis et occultarum cogitationum cognitionibus, daemonum confessionibus, et resurrectionibus mortuorum nimis confirmatum: ita ut in sinu suo tutissimo diligenter possit rationabilium hominum continere capturam, ut non det eis ex aliqua potestate exeundi occasionem, quasi per aperturam aliquam neglectam a Spiritu sancto, qui texuit eam. Et hoc dicit aliquis intra se: Non sine causa sequuti sunt Jesum talia promittentem. Quid enim? Tibi minora repromittit? Num non si bene conversatus fueris, regnum caeleste tibi promittit? num non vitam aeternam? num non angelicam naturam? num non haereditatem secum? Et quare non sequeris eum? Sed illi sequuti sunt eum, quia caelestium bonorum amatores erant, non terrenorum. Tu autem eum non sequeris, quia non caelestium, sed terrenorum amator es. Homo enim carnalis nullum bonum credit esse bonum, nisi carnale: et nusquam credit esse jucunditatem, nisi quae est super terram. Non ergo illi doctorium cupierunt honorem, sed doctorii operis lucrum, sicut exitus contestatus est. Si enim apostoli facti, honoribus apostolatus sui fruiti sunt, sine dubio apostolicum cupierunt honorem. Si autem non solum apostolatus sui honoribus fruiti non sunt humilitatis causa, sed etiam propter hominum salutem et gloriam Christi passi sunt diversa supplicia, manifestum est quod tunc non apostolicum cupierunt honorem, sed quaestum apostolici operis et laboris. Sciebant enim quam pretiosa est anima hominis, quam grata est apud Deum salus ipsius, quanta merces est hominem aedificare secundum Deum. Concupierunt et sequuti sunt: tu autem non concupiscis talia haec. Quomodo enim desideres alium posse salvari, qui teipsum salvare non curas? 20. *Et relictis retibus sequuti sunt eum.* Ne aliquis Christianus dicat, Numquid non possum divitias diligere, et Christo placere? ideo relinquentes retia sua apostoli nos docuerunt, quia nemo potest terrena possidere, et perfecte ad caelestia pervenire. Considera quomodo inter caelum et terram aer medius constitutus separat creaturam utramque, ut ostendat quia inter caelestia et terrena nulla potest esse commixtio. Caelestia enim spiritualia sunt et levia, et naturaliter semper sursum petentia. Terrena autem ponderosa sunt, et semper deorsum deponentia. Si igitur spiritualia tenueris, sursum te ducunt: si terrena, deorsum te deponunt. Igitur reliquerunt retia, ne magis facerent eis impedimentum laboris, quam additamentum utilitatis. 21. *Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus, componentes retia, et similiter vocavit eos.* Erant enim habitatione cives, dilectione concordes, arte officii pares, fraternitatis pietate conjuncti: ideo sic vocavit et istos, ne tot bonis rebus conjunctos dissimilis vocatio separaret. Gratiose aliquis de hac duplici fratrum utilitate loquutus est, quoniam omnis Ecclesia praecipue in caritate fuerat construenda, sicut ipse dicit: *Hoc est autem mandatum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos* (*Joan.* 15. 12. *et* 13. 35). Et iterum: *In hoc cognoscent homines, quod mei estis discipuli, si caritatem habueritis inter vos.* Sicut enim in corporali aedificio lapis ad lapidem caemento

Commented [p64]: Col.675

mediante constringitur, sic in aedificio Ecclesiae Christianus ad Christianum caritate mediante connectitur. Ideo super fraternitatem caritatis Ecclesiae composuit fundamenta, ut radicibus caritatis exuberans quasi humor ascendat in ramos. Et hoc super naturalem caritatem, ut non solum per gratiam, sed etiam per naturam ipsa caritas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus in Veteri Testamento: aedificaturus enim populum illum per legem, supra Mosem et Aaron fratres posuit aedificationis initium. Quoniam autem abundantior gratia futura erat Novi Testamenti quam Veteris, ideo populum illum quidem aedificavit secundum unam fraternitatem, hunc autem secundum duas. *Componentes retia.* Quod est maximae paupertatis indicum. Vetera componebant, quia nova unde emerent non habebant. Et quod ad majorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo occurrebant, ut secum eum bajularent in navi, non ut ille istos adjuvaret in opere, sed ut isti illum consolarentur sua praesentia. Quoniam autem illi quidem referuntur mittentes retia sua, per omnes evangelistas, isti autem componentes: sine ratione esse non credo, maxime cum poterant dicere sine damno aliquo intellectus: Et ibi vidit illum et illum, et non dicere, *Componentes retia sua.* Item aestimare illos quidem quasi velociores ad praedicandum, quia jam mittentes erant retia sua, istos autem quasi pigriores, quia adhuc componentes erant retia, non sumus ausi: quia differentiam illorum talium cognoscere est solius Dei. Ne forte ergo propter Petrum illi dicti sunt mittentes retia sua, isti autem propter Joannem componentes: quia Petrus praedicavit tantum Evangelium, et non composuit, sed Marcus ab eo praedicata composuit; Joannes autem et praedicavit Evangelium, et ipse composuit. Et non solum composuit, sed etiam omnium evangelistarum retia ipse composuit. Nam cum omnes humana Christi pene sola composuissent, iste commiscuit eis etiam divina ipsius, ut nullam relinqueret Spiritus sanctus scandali aperturam in eis, unde pisces egrederentur. Et ut nunc dicamus, quod supra in textura retis omisimus: quia circumposuit ei quasi plumbea gravia, id est, inexstinguibilium flammarum et immortalium vermium supplicia ponderosa, ut possit facile humanorum cordium penetrare profundum.

22. *Veniens ad Christum, tria relinquere tenetur. – At illi, relicto patre, et navi, sequuti sunt eum.* Vide quia Petrus quidem et Andreas dicuntur reliquisse retia: Jacobus autem et Joannes, patrem et navim. Tria sunt enim generaliter omnia, quae relinquere debet omnis, qui venit ad Christum: actus carnales, substantiam mundialem, parentes carnales. Per retia enim piscationis actus carnales relinquendi significantur: per navim autem substantia: per patrem vero omnes parentes. Et vide, quia prius retia relicta significantur, postea navis, in tertio loco pater: quia prius convenit actus mundiales relinquere: ipsi sunt enim, qui praecipue nocent ad spiritualia. Secundo, substantiam, quia non tantum nocet aliquid habere in mundo, quantum agere aliquem actum; tamen et hoc ipsum habere nocet. In novissimo, parentes, qui et ipsi quidem nocent, tamen minus nocent quam divitiae et actus hujus saeculi. Reliquerunt ergo navem, ut fierent ecclesiasticae navis gubernatores; reliquerunt retia, ut jam non pisces apportarent ad civitatem terrenam, sed homines ad civitatem caelestem; reliquerunt unum patrem, ut fierent omnium spiritualium genitores.

Commented [p65]: Col.676

Homilia octava ex capite quarto (col.676-9)

25. *Et circumibat Jesus totam Galilaeam.* – Omnis rex pugnaturus contra adversarium regem, prius congregat exercitum, et sic vadit ad pugnam: sic et Dominus contra diabolum pugnaturus, prius congregavit apostolos, et sic coepit per totam Galilaeam Evangelium praedicare. Expugnatio enim diaboli praedicatio est veritatis: sagitta mortifera est in visceribus ejus sermo justitiae. Dejectio ejus est opus signorum, spoliatio potestatis ejus est conversio fidelium. Et rex quidem terrenus congregat exercitum, ut illorum laboribus ipse gloriam consequatur: iste autem congregavit apostolos, non ut illorum laboribus ipse gloriam consequatur, sed ut suo labore illis victoriam praestet. Circumibat totam Galilaeam, sicut studiosus medicus circumibat graviter aegrotantes, singulis quibusque passionibus adhibens congruas medicinas: quia debiles illi ad medicum venire non poterant. Et Dominus quidem circumibat singulas regiones. Nos autem qui sumus uniuscujusque regionis pastores, etsi regiones circumire necessarium non habemus, tamen singulas species passionum populi circumire et considerare debemus: id est, diligenter attendere, qui sunt in populo qui avaritiae morbo laborant, ut aliquem sermonem de avaritiae malo faciamus ad medicamentum sanitatis illius qui avaritiae stimulis agitatur, secundum Pauli sententiam dicentis: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes*, etc. (1. *Tim.* 6. 8. 9). Item debemus illis providere, qui in populo ardentibus libidinis febribus valde laborant: et ut ad remedium passionis eorum aliquod medicamentum in Ecclesia proferamus de apotheca medicinali Apostoli, dicentis: *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, etc. (1. *Cor.* 6. 18). Et quemadmodum paterfamilias studiosus scit in domo sua quid unusquisque necessarium habet: ita et sacerdos singulorum mores et actus et conversationem debet indiscere, ut quale quibusque medicamentum necessarium fuerit subministret: cui consolationem, consolationem: cui increpationem, increpationem. Cui autem asperior increpationis medicina fuerit posita secundum qualitatem passionis illius, non debet indignari: quia nec infirmus irascitur contra medicum, si posuerit aliquam medicinam mordentem. Non enim considerat asperitatem medicinae, et irascitur, sed considerat benevolentiam medici, et sustinet: quia prodesse illi desiderat, non nocere. Sicut autem infirmus, qui ipse venit ad medicum, ex parte jam sanus est: sic et ipse peccator, qui venit ad sacerdotem, et doctrinae aut poenitentiae medicinam quaerit, ex parte jam justus est. Illum autem gravis tenet infirmitas, quem sacerdos sequitur verbis, et ille spiritualium verborum medicamentum non sentit, nec melioratur, sed quasi qui stomachum patitur, quidquid manducaverit et biberit, iterum vomit. Sic et illa anima patiens quicquid andierit, statim de sensibus suis projicit foras: sic illi infideles Judaei quibus dictum est: *Omnem escam abominata est anima eorum* (*Psalm.* 106. 18): id est, omnem escam doctrinae animam nutrientem. *Docens et praedicans Evangelium regni.* Aliud est docere, aliud est Evangelium praedicare. Docebat enim eos, dicens eis justitias naturales, quas etsi ille non diceret, ipsa ratio naturalis illos doceret: utputa castitatem, humilitatem, patientiam, et caetera his similia: quae homines etsi non audiunt, tamen a semetipsis bona esse intelligunt, sicut ait Apostolus ad Romanos: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt*, etc. (*Rom.* 2. 14). Sed forte dicis: Si ea eos docebat, quae omnes intelligunt, quid opus habebat eos docere? Audi. Doctrina non tantum propter manifestationem rerum obscurarum inventa est, quantum propter

Commented [p66]: Col.677

excitationem cordis et spiritus. Talis est enim humana natura: utputa praevalentibus delectationibus carnalibus in homine, scientia quae est in eo justitiae naturalis excluditur, et quasi in oblivionem deducta, de memoria foris expellitur et obdormit. Cum ergo coeperit doctor in illis reprehendere et repercutere mala carnalia, et terrere de futuro judicio: quasi praecisis delectationibus carnalibus, iterum scientiam in memoriam eorum reducit, et in sensibus reparat. Unde et gladius dicitur sermo divinus: quia sicut gladius carnes praecidit, sic et sermo divinus concupiscentias carnales. Et quemadmodum si tollis herbas de agro, triticum convalescit in illo: sic et concupiscentia si praecidatur ab homine, justitia convalescit: quia sicut herbae suffocant triticum, sic et concupiscentiae carnales offocant disciplinam. Vides ergo quia doctrina non novas scientias introducit, sed oblitas commonefacit? Si ergo sermo humanus tantam habet virtutem, auribus sonum praestans, putas quid agebat sermo dominicus, cum esset spiritus vivus, non tantum in auribus sonans, sed et in cordibus operans? Evangelium autem praedicans, mysterium justitiae promittebat. Evangelium enim est nuntium bonum. Bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo caelestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, et immortalitas vitae, hereditas regni caelestis, et possessio gloriae sempiternae, societas angelorum, et communicatio Spiritus, et fraternitas Christi, et paternitas Dei. Haec omnia antiqui homines manifeste nec audierant, nec sperabant. Et ideo praemium boni operis non sperantes, justitiae contempserunt laborem, et transtulerunt se ad delectationes carnales. Quia omnis justitia molesta est omnibus in carne viventibus, propterea labor justitiae non sustinetur, nisi merces eorum expectetur. Ideo ergo illis beatitudinem evangelizabat caelestem, ut corda eorum ad patientiam boni operis excitaret et desiderium caelestium praemiorum, aut docens, aut interpretans eis prophetias de suo ipsius adventu: ut ipsa interpretationis doctrina esset propter increpationem, et evangelizatio propter denuntiationem futurorum bonorum in ipso. *Et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in plebe.* Quod dixit, *Languorem*, ad passiones pertinere voluit corporales: quod autem dicit, *Et omnem infirmitatem*, ad passiones animae spirituales. Non enim pauciores morbi animam vexant quam corpus. Etsi quidem dixisset, Sanans languores et infirmitates, poteramus utrumque ad passiones intelligere corporales, ut languores quidem intelligerentur graviores passiones, infirmitates autem taedia leviora. Nunc autem cum dicens, *Omnem languorem*, omne genus sive gravium, sive levium passionum concludit, alterius clausulae videtur adjectio esse superflua, nisi unam quidem ad passiones corporales intelligamus, alteram autem ad spirituales. Possumus tamen et utramque clausulam, ad utrasque intelligere passiones ita: id est, *Omnem languorem*, sive corporalem, sive spiritualem: et, *Omnem infirmitatem*, sive corporalem, sive spiritualem: ut languorem quidem intelligamus animae morbum passionis alicujus, infirmitatem autem infidelitatem: utputa qui avaritiae morbo subditus est, aut libidinis, aut vanae gloriae, languorem animae patitur: qui autem mysterium vocationis Dei ignorat, ille infirmus habetur in fide. Multi enim sunt qui possunt bona opera facere, et Deo placere, sed non faciunt: quia mysterium vocationis Dei ignorant, et ipsi sunt infirmi. Quidam autem sic passionibus carnalibus sunt mancipati, ut etiam si sciant mysterium vocationis Dei, tamen bene agere non permittuntur, et ipsi sunt languorem habentes. Sed passiones corporales divinitatis virtute sanavit, spirituales autem verbo pietatis. Sicut enim medicina languenti corpori, sic verbum prodest animae aegrotanti. Deinde vide, quod non prius posuit, *Sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem*, sed primum, *Praedicans et docens Evangelium regni*,

Commented [p67]: Col.678

et postea, *Sanans*, propter duas causas. Primum, quia miracula virtutum aedificant animas secundum verba pietatis. Ideo autem praemittitur, quod magis necessarium aestimatur. Deinde quia non verba pietatis virtutes miraculorum commendant, sed virtutes miraculorum veritatis sermones. Nec ideo credebatur Christus posse facere virtutes, quia veritatem praedicabat: sed ideo credebatur veritatem praedicare, quia poterat facere virtutes. 24. *Et obtulerunt ei omnes male habentes, et curavit eos* (*Marc.* 1. 34). In quibusdam locis ponit, *Et multos curavit* (*Luc.* 7. 21), sicut et ibi: *Et quotquot tetigerunt eum, sanati sunt* (*Matth.* 14. 36). Hic autem simpliciter dicit, *Et curavit eos*: significans quia omnes curavit. Sicut novitius medicus intrans in civitatem, et volens ostentationes dare artificii sui, omnes venientes ad se curat, et non tantum cogitat de mercede accipienda, quantum de opinione sua commendanda; cum autem manifesta fuerit fama ejus bona, tunc secundum laborem suum incipit exigere et mercedem: sic et Dominus incipiens praedicare, non secundum judicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabat; postquam vero illum omnis Judaea cognovit, beneficia sanitatum digno pretio fidei venumdabat, dicens unicuique, *Fiat tibi secundum fidem tuam* (*Matth.* 9. 29). Non tamen omnes, sed illos, quos secundum praescientiam suam ante praeparaverat, quam venirent.

Commented [p68]: Col.679

Homilia nona ex capite quinto (col.679-84)

Cur Christus ut doceret, in montem ascenderit. – 1. *Videns autem Jesus turbus multus, ascendit in montem.* Omnis artifex secundum professionem suam, opportunitatem operis videns, gaudet. Carpentarius si viderit arborem bonam, concupiscit eam praescindere ad opus artificii sui; agricola si viderit terram pinguem, desiderat eam arare. Et quid dico de rationalibus hominibus? ispe irrationalis equus de stabulo exsiliens, si viderit campos patentes, rapit frenum, et excitatur ad cursum: sic et Dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docendum. Sic et omnis sacerdos cum viderit ecclesiam plenam, gaudet animus ejus, et delectatur ut doceat: si autem viderit ecclesiam vacuam, confunditur, et nihil dicere potest. *Ascendit in montem.* Numquid non poterat ibi docere, ubi jam populus erat? Sed propter duas rationes ascendit in montem. Primum, ut impleret prophetiam Isaiae dicentis: *Super montem excelsum ascende tu, qui bene annuntius Sion* (*Isai.* 40. 9). Deinde, ut mysterium pietatis ostenderet. Ascensio enim ejus est altitudo virtutum. Ascendit ergo in montem, ut ostendat nobis quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet qui docet justitiam Dei, pariter et qui audit. Qui docet, verborum suorum sit ipse exemplum, ut magis opere doceat quam sermone, sicut ait Apostolus ad Timotheum: *Exemplum esto omnium fidelium* (1. *Tim.* 4. 12). Qui autem ambulat per convallia vitae terrenae, obscuras semitas calcat, et loquitur altos sermones: non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, et de monte loqui: sed aut ubi stas, inde loquere; aut unde loqueris, ibi sta. Si in terra est animus tuus, ut quid de caelo loqueris? Si ergo in terra tu stas, de terra loquere: si autem de caelo loqueris, in caelo consiste, ut dicas cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in caelis est* (*Phil.* 3. 20). Ille autem populus, qui audit justitiam Dei, ideo debet in altitudine bonorum operum consistere, quia discipulus imitator debet esse magistri. Si autem in peccatis vivas, et audias justitiae verba docentem, judicium tibi, non salutem acquiris. Audis enim, ut ne ignorantiae vel excusationem habeas ante Deum.

Ecce, homo si quamcumque artem ex toto corde voluerit discere, puta pingere aut aedificare, cum frequenter magistrum suum audierit aut viderit, tollit se in secreto, et accipit ferramentum, et ipse se tentat, si potest jam facere quod frequenter audivit vel vidit. Sic et tu, si facere justitiam non vis, ut quid praedicatorem justitiae audis? ut quid doctorem illum appellas, cujus non vis esse discipulus? Intellige ergo: dico enim tibi rem naturalem, secundum loci istius scripturam. Si tu es super montem, et praedicator in valle, tu sursum constitutus audis vocem illius, quia vox melius sursum ascendit: si autem tu steteris in valle, et doctor tuus super montem loquatur, non multum tibi proficit loquela ipsius. Ergo in primo loco populus se debet considerare qualis sit, in secundo loco qualem habeat sacerdotem: quia docter malus bono populo non multum nocet, bonus autem doctor malo populo non multum prodest. Nunc autem populus seipsum non videt, quem primum videre debet: sed semper sedens judicat de moribus sacerdotum. Ideo ergo praesens scriptura nos docet, ut tam doctor quam populus super montem sanctitatis ascendat, qui vult audire pietatis doctrinam. Aut certe ita: Mons Ecclesia appellatur, de quo dicit propheta: *Mons Dei, mons uber* (*Psal*. 67. 16). Ascendit ergo Christus in montem, ut illic discipulis suis mysteria traderet veritatis, ostendens quoniam omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem Ecclesiae debet ascendere: sed non in omnem montem, sed in montem uberem. Sunt enim et haereticorum montes, non autem uberes, sed coagulati: in quibus non veritatis mysteria traduntur, sed mendacia expugnantia veritatem. Ideo et eos qui in tales montes ascendunt, reprehendit Spiritus sanctus per prophetam dicens: *Ut quid suspicitis montes coagulatos* (*Ibidem. v.* 17)? Coagulati enim dicunter haeresium ecclesiae, quia *Coagulatum est sicut lac cor eorum* (*Psal.* 118. 70). 3. *Beati pauperes spiritu.* Quamvis ipsas beatitudines exponat ex parte et evangelista Lucas, tamen istae beatitudines perfectiores illis intelligendae sunt: quoniam illae in loco campestri dictae sunt, istae autem perfectis super montem. Illae mediocribus, istae autem perfectis, et rectoribus populorum, sicut fuerunt apostoli, ad quos dicta sunt haec: cujus differentiae rationem largius exposuimus ibi. Ideo illic simpliciter pauperes dixit: hic autem pauperes spiritu. Pauper spiritu est humilis corde (*Luc.* 6. 20): id est, pauperem spiritum habens, qui non magna sapit de se. Sicut ex diverso dives spiritu intelligitur magna de se sapiens, et superbus, qui non implet mandatum Christi dicentis: *Nisi conversi facti fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum* (*Matth.* 18. 3). Qui enim jam conversus factus est sicut puer, ille est et pauper spiritu. Et qui pauper est spiritu, ille conversus factus est sicut puer. Et secundum testimonium quidem Christi, et Apostoli, *Plenitudo legis dilectio est* (*Rom.* 13. 10); tamen nutrix dilectionis humilitas est, et totius mali odii mater superbia. Ergo totius boni initium humilitas est, et totius mali superbia. Denique et perditionis initium a superbia coepit per diabolum, initiumque salutis ab humilitate per Christum: propterea convenienter et omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non manifeste dixit, Beati humiles spiritu? Ego hunc potui tantummodo rationis invenire colorem, ut non solum humiles ostendat, sed etiam indigentes humiles, qui sic sunt humiles, ut semper adjutorium Dei sint mendicantes. Unde in Graeco non dicit, Beati pauperes: sed, *Beati egeni*, vel, Beati mendici. Nam pauper est, qui angustiam quidem habet, non autem tantam, ut mendicare cogatur. Secundum quam differentiam et propheta dicit: *Beatus qui intelligit super mendicum et pauperem* (*Psal*. 40. 2). Ergo ideo dicit, Beati mendici spiritu, ut in ultima necessitate humiles ostendat. Si ergo dixisset, Beati humiles spiritu, nihil amplius significasset, quam humiles: nunc autem et humiles, et secundum fidem humiles, et intelligentes unde sit

Commented [p69]: Col.680

adjutorium hominis. Sunt enim multi naturaliter humiles spiritu, et non ex fide. Hi tales non pulsant adjutorium Dei. Qui autem secundum fidem humiles sunt, et intelligentes, dum nimis timent de se, adjutorium Dei pulsare non cessant. *Quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Quid enim? aliorum virtutes alias studentium non est regnum caelorum? Etiam. Nam sicut caetera vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia, quia radix omnium malorum superbia est: sic et omnes virtutes inducunt in regnum caelorum, maxime tamen humilitas, quia radix omnium malorum superbia est: sine dubio et radix omnium bonorum humilitas est (*Luc.* 14. 11); et quia proprium est, ut qui se exaltat, humilietur: sic et qui se humiliat, exaltetur. 5. *Beati qui lugent.* Et qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, id est, mediocres beati: beatiores autem sunt, qui aliena lugent peccata, quoniam qui aliena lugent peccata, certum est quia non habent sua quae lugeant. Tales convenit esse doctores omnes, et qui sunt super montem. Nam cum sint omnes doctores populi Christiani patres, quomodo possunt esse sine luctu, cum videant quotidie Christianorum animas usque ad infernum cadentes? Nam de angelis, qui exituri sunt in fine saeculi, ut signent servos Dei, qui lugent de alienis peccatis, sic scriptum est per Ezechielem: *Ite per Jerusalem, et signate omnes qui lugent super iniquitates quae fiunt in medio Jerusalem* (*Ezech.* 9. 4). Jerusalem enim vero est Ecclesia Christi, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis. *Quoniam ipsi consolabuntur.* Si consolatio lugentium est cessatio luctus poenae, quoniam qui sua lugent peccata, consequuti indulgentiam consolabuntur in saeculo illo: qui aliena lugent peccata, quomodo in saeculo illo consolabuntur? numquid desinent de peccatoribus lugere? Etiam. Quoniam quamdiu sunt in mundo, nescientes providentiam Dei, nec intelligentes ad plenum qui diabolo compellente delinquunt, et qui non ex proposito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent, omnes a diabolo circumveniri et cogi putantes. Cum vero in saeculo illo providentiam Dei cognoverint, et intellexerint manifeste, quoniam qui Dei fuerunt, perire non potuerunt, qui autem perierunt, non fuerunt Dei, quia de manu Dei nemo rapere potest: deposito de eis luctu, consolabuntur, et sine mixtura alicujus doloris, in sua sola beatitudine laetabuntur. Nam quamdiu caritas est sanctorum ad peccatores, et luctus est. Ibi autem nec caritas est sanctorum ad peccatores, nec luctus, etiam si propinqui fuerint, sicut docet parabola, in qua dives dicit ad Abraham: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia graviter crucior in hac flamma* (*Luc.* 16. 24). Numquid misertus est ibi Abraham super filium suum ardentem? Nam qui fuerat epulator, in qua parte corporis sui plus peccaverat, id est, in gula, in ea amplius torquebatur.

Mansuetus quis. – 4. *Beati mansueti.* Mansuetus enim neque irritat malum, neque irritatur a malo, neque adversus eum praevalet causa peccati, neque adversus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi: sed magis contentus est injuriam pati, quam facere. Nam nisi contentus fuerit homo ut noceatur, numquam potest esse sine peccato: quia sicut et zizaniae numquam sunt minus in agro, sic non sunt minus irritatores in mundo. Ille est ergo vere mansuetus, qui cum nocitus fuerit, nec cogitat malum facere, nec facit. *Quoniam ipsi haereditabunt terram.* Sine dubio terram vivorum, de qua scriptum est, *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* 26. 13). Terra autem haec, sicut quidam dicunt, quamdiu est in hoc statu, terra est mortuorum, quia vanitati subjecta est; cum autem liberata fuerit de corruptionis servitute in libertatem gloriae filiorum Dei, terra fit vivorum, ut immortales hereditent immortalitatem. Alterum exponentem legi, quasi caelum, in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra vivorum, quae,

Commented [p70]: Col.681

quantum ad nostram regionem inferiorem, caelum est, quantum autem ad illud superius caelum, terra dicitur. Alii dicunt, quia corpus nostrum in terra est, et quamdiu quidem subjaceat morti, terra est mortuorum; eum autem fuerit transformatum, et conforme factum corpori gloriae Christi, erit terra vivorum, et hereditabunt eam aeternam aeterni, et spiritualem et sanctam spirituales et sancti. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Esurire et sitire justitiam est desiderare justitiam Dei. Ut sive faciant homines justitiam Dei, sive audiant, non quasi inviti audiant vel faciant justitiam Dei, sed ex desiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Unde Dominus per Joannem, non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodo sitientes, dicens: *Qui sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* 7. 37). Aestimo quod non sine ratione esurire dixit justitiam et sitire. Nunc ergo esurit justitiam, qui secundum justitiam Dei desiderat conversari, quod est recti cordis: sitit autem justitiam, qui scientiam Dei acquirere cupit, quam potest consequi ex studio Scripturarum, quod est docilis viri. *Quoniam ipsi saturabuntur.* Videlicet largitate remunerationis Dei. Quoniam majora erunt praemia Dei, quam desideria avara sanctorum. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus*. Non tantum ille misericors est, qui miseretur aut pauperi aut pupillo, aut viduae: haec enim misericordia et apud illos invenitur frequenter, qui non cognoscunt Deum; ille autem verus misericors est, qui inimico proprio miseretur et benefacit ei, secundum quod scriptum est: *Diligite inimicos vestros, et benefacite eis qui vos oderunt* (*Luc.* 6. 27). Nam et Deus non solum super gratos pluviam dat, aut solem suum jubet oriri, sed etiam super ingratos. Unde et ita dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, etc. (*Luc.* 6. 36). Et vere beatus est ille talis, quoniam misericordia ejus, si quidem non habet peccatum, quod difficile est in hominibus, proficit illi ad additamentum justitiae: si autem habet, ad remissionem peccati, quoniam potest fiducialiter dicere, Dimitte mihi debita mea, sicut et ego dimitto debitoribus meis (*Matth.* 6. 12). 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Dupliciter est videre Deum, et in hoc saeculo, et in illo. In hoc quidem saeculo, secundum quod scriptum est: *Qui videt me, videt et Patrem meum* (*Joan.* 14. 9). Mundo enim corde sunt, qui non solum non faciunt malum, nec cogitant, sed adhuc etiam qui omne bonum et faciunt semper, et cogitant. Quia est interdum facere bonum, et non cogitare, qui non propter Deum faciunt bonum, et tale bonum non remunerat Deus: quia non remuneratur a Deo bonum quod fit, sed id quod bene fit. Qui autem propter Deum facit bonum, sine dubio et cogitat bonum. Qui ergo omnem justitiam facit, et cogitat mente sua, Deum videt, quoniam justitia figura Dei est. Deus enim justitia est. Secundum ergo quod eripuerit se quis a malis, et fecerit bona, secundum illud et Deum videt, aut turbulente, aut munde, aut modice, aut amplius, aut ex parte, aut perfecte, aut interdum, aut semper, aut secundum possibilitatem humanam. Hoc ipso modo et qui male agit et cogitat, diabolum videt, quia omne malum diaboli est figura. In saeculo autem illo hoc modo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, jam non per speculum in aenigmate sicut hic (1. *Cor.* 13. 12). 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Pax est unigenitus Deus, de quo dicit Apostolus: *Ipse enim est pax nostra* (*Ephes.* 2. 14). Qui ergo pacem diligunt, filii sunt pacis.

Pacifici qui. – Pacifici autem non solum dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant: sed etiam illi, qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, et ipsi inimicis suis numquam ex corde reconciliantur. Isti tales illusores sunt pacis, non amatores. Pax enim illa beata (*bona*) est, quae in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere qui est vere

Commented [p71]: Col.682

pacificus? Audi prophetam dicentem: *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* 33. 14). Id est, lingua tua malum sermonem non dicat. Sicut enim ignis de modica scintilla magnum conflat incendium: ita et sermo malus de levi occasione magnam succendit inimicitiam. Illius labia dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, et malitiam servat in corde. Si Christianus es, aut quod loqueris, hoc cogita: aut quod cogitas, hoc loquere. *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* 33. 15). Non dixit, Noli accedere ad malum, sed, Recede a malo. Ille autem jubetur recedere, qui accessit. Sciens ergo misericors Deus incontinentiam nostram, quoniam si dixisset, Noli accedere ad malum, aut pauci, aut nullus hoc poterat adimplere: nam pene omnes homines parati sunt ad malum: ideo sic dicit: Bonum quidem fuerat, si nec accederes ad malum; si autem quasi homo naturae carnalibus motibus excitatus accessisti ad malum, saltem vel propter considerationem divini timoris recede a malo. Quoniam accedere ad malum forsitan secundum carnem humanae infirmitatis est: permanere autem in malo, et exsequi malum, malignitatis est, et non infirmitatis. *Inquire pacem, et sequere eam* (*Ibid.*). Non dixit, Si te pax sequatur, suscipe eam: sed, Et si te fugerit, sequere eam. Utputa si (quod humanum est) cum aliquo feceris litem, si quidem ille te prius invitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe eam. Quod si ille quasi malus permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis: tu quasi filius pacis pulsa januam pacis, et hoc est inquirere pacem. Nec dicas, ille mihi prior injuriam fecit, et prius me debet rogare. Gloriosior es tu, si nocitus pacem petieris, quam si vindictam desiderares. Quaere ergo pacem, ut invenias praemium pacis. *Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* 10. *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam.* Non dixit, Beati qui a gentibus persequutionem patiuntur, ne putes illum solum beatum, qui persequutionem patitur propter idola non colenda. Ideo et qui ab haereticis persequutionem patitur, propter veritatem non relinquendam, beatus est: quia propter justitiam patitur. Gentiles enim Christum denegant, haeretici autem veritatem Christi. Qui autem veritatem Christi denegat, ispum denegat Christum. Christus enim veritas est. Et ideo haeretici, qui non propter Christum persequutionem faciunt, sed propter veritatem Christi, in prima facie Christiani videntur, revera autem gentiles sunt. Non solum haereticus, sed stsi aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani, forsitan propter peccata sua correptus, factus fuerit tibi inimicus, et persequutus te fuerit, beatus es cum Joanne. Nam et Joannes Baptista neque propter gentilitatem, neque propter haeresim interfectus est, sed quia corripiebat Herodem propter adulterium ejus. Sed et omnes prophetae neque a gentilibus regibus, sed a suis occisi sunt: non propter gentilitatem, sed quia corripiebant eorum peccata. Si autem qui a suis ipsis propter causam Dei aliquid patitur, non habet mercedem, nec prophetae habuerunt. Si autem verum est, quod prophetae martyres sunt, sine dubio et qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi a suis patitur, mercedem habet. Ideo non posuit Scriptura personas persequentium, sed solam causam persequutionis, ut tu non aspicias quis te persequitur, sed ut quid te persequatur. Quid ergo, si quis te persequutus fuerit, non propter causam Dei, sed propter privatam rem? Utputa, ut auferat aliquam rem tuam: ille quidem qui te sine causa est persequutus, reus est: tu autem beatus non es, quia non propter justitiam persequutionem passus es, sed propter privatam causam. Plane si volueris illud implere, quod dictum est: *Qui te percusserit ad maxillam unam, praebe illi et alteram; et qui vult auferre quae tua sunt, noli vetare* (*Infra v.* 39. 40): tunc vere beatus es, quoniam etsi ab initio non propter causam Dei persequutionem patiebaris, postea tamen aut damnum aut injuriam passus es propter Deum. Si autem restiteris etiam cum peccato, et non potueris

Commented [p72]: Col.683

pati, beatitudinis perdidisti mercedem. 11. *Beati eritis, cum vos exprobraverint homines*. Postquam loquutus est de persequutionibus sustinendis, tamquam si respondeat quis ad Deum: Domine, quid si persequutionem quidem passi non fuerimus propter te, vel propter justitiam tuam, in opprobrium autem venerimus, et in blasphemiam hominum iniquorum? *Beati*, inquit, *eritis*, non solum cum persequutionem passi fueritis, sed etiam *cum vos exprobraverint homines*. Ecce multi homines propter causam quidem Dei fiunt nobis inimici, sed non aperte nos persequuntur, forsitan quia nec possunt: tamen circumeuntes omnia, blasphemant nos et dicunt de nobis quae sunt probrosa. *Beati eritis cum vos exprobraverint homines, et dixerint omne verbum malum adversum vos, mentientes propter me* (*Matth.* 10. 42). Sicut enim verum est, quoniam qui calicem aquae nobis porrexit, merces ejus non perit: sic qui vel unius levissimi verbi nobis injuriam fecerit, anima nostra vacua non erit a mercede. Ut ergo blasphematus sit beatus, duo haec convenire debent: ut mendaciter blasphemetur, et propter Deum blasphemetur: alioqui si unum defuerit, jam non est beatitudinis merces. Utputa si quis dixerit de te quod est turpe mendacium, sed non propter causam Dei, sed propter privatam aliquam inimicitiam dolens, ille quidem peccavit, tu autem mercedem justitiae non habes: nisi forte cum possis reblasphemare, non reblasphemasti propter justitiam Dei: aut cum possis te revindicare, non revindicasti: et tunc beatus es, et causa privata facta est tibi causa Dei. Quod si propter causam quidem Dei blasphematus es, tamen quod dictum est de te malum, verum est: iterum non es beatus, quia verum dictum est de te: et illa blasphemia pertinet tibi non ad mercedem justitiae, sed ad vindictam peccati. Ideo utrumque posuit, et *mentientes, et propter me*. 12. *Gaudete et exsultate.* Quare? *Quia merces vestra multa est in caelo.* Ponderate confusionem terrenam cum gloria caelesti, et videte si non multo levius est, quod patimini super terram, quam quod exspectatis in caelo. Sed forte dicis, Quis potest blasphematus mendaciter, non dicam gaudere, sed vel magnanimiter ferre? Quisquis vana gloria non delectatur. Qui enim concupiscit quae in caelo sunt, opprobria non timet in terris: nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid judicet Deus de ipso. Qui enim laetatur de laude hominum, et quantum laetatur, tantum contristatur: ille et de vituperatione hominum contristatur, et tantum contristatur, quantum laetatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Unusquisque ubi gloriam quaerit, illic timet confusionem. Qui gloriam quaerit in terris, confusionem timet in terris. Qui autem gloriam non quaerit nisi tantummodo apud Deum, ille non timet confusionem, nisi tantummodo Dei. Si miles periculum belli sustinet, dum sperat victoriae praedam: quanto magis vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni caelestis praemium exspectatis?

Commented [p73]: Col.684

Homilia decima ex capite quinto (col.684-9)

Doctor omnibus debet esse virtutibus ornatus. – 13. *Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* etc. Quasi interrogantibus apostolis, ad quos sit omnia ista loquutus, utrum generaliter ad populum, aut ad ipsos: volens ostendere quoniam ad ipsos praecipue haec loquebatur, addit, *Vos estis sal terrae.* Hoc quod dicit, *Vos estis sal terrae,* ad illud respicit, quod superius dixit: Quia doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, ut avaritiam libera voce castiget. Debet esse semper suspirans et

lugens, sive sua, sive aliena delicta, ut confundat eos, qui nec peccare dubitant, priusquam peccent, nec postquam peccaverunt, tristantur, quia peccaverunt. Ideo suspiret et plangat, ut per hoc ostendat, quia gravis et periculosus est mundus iste fidelibus. Debet esuriens et sitiens esse justitiam, ut pigros circa opera bona, vel lectionem fiducialiter verbo Dei aut increpationis flagello valeat excitare, magis exemplo suo, quam voce. Debet esse mansuetus, ut magis indulgendo quam vindicando regat Ecclesiam: ut magis ametur quam timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus, ut sibi quidem grave pondus justitiae ponat, aliis autem leve. Debet esse mundo corde, ut non solum non se immisceat circa negotia saecularia, sed nec cogitet de mundo. Sicut enim oculus quanto mundior fuerit, tanto longius videt: sic et anima quanto longius fuerit a sollicitudine mundiali, tanto amplius Deo proximior est. Cujus autem cordis oculus mundum aspicit, illius mens non potest Deum videre. Sit autem pacificus, ut tota Ecclesia ejus quasi una sit anima. Ubi autem concordia non est, nec oratio illic exauditur, nec oblatio suscipitur: quia nec ibi est Deus, ubi discordia dominatur. Debet autem et paratus ad passionem esse, non vana desideria martyrii habens, sed constantiam fidei martyribus dignam. Nam quantum ad sapientes, et miles non ille paratus dicitur ad bellum, qui concupiscit exire, sed qui potens est exire. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, et totus populus de illo conditur magis videndo eum, quam audiendo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autem audire. 14. *Vos estis lux mundi.* Dum consideramus quod opus est salis, quod lucis: admonet nos, ut quaeramus ob quam causam apostoli sali sunt comparati, ob quam autem causam luci. Salis opus est rem in eo statu tenere, in quo invenerit eam, ut ad deterius eam mutari non sinat, ad melius autem perducere non potest. Utputa tenet carnem, ne putrescat; putridam autem non potest tenere incorruptam. Lucis autem opus est ipsas solvere tenebras, et ea, quae fuerunt in tenebris, illustrare. Sic et apostoli caeterique doctores sal quidem sunt populi Christiani jam cognoscentis Deum, servantes eum in ipsa agnitione Dei, et sanctitate, id est, terrae cultae, quae jam verbo crucis quasi vomeri aratroque subjecta est. Lux autem sunt gentium, producentes eas ad scientiae lumen, vel caeterorum qui forte in Ecclesia ceciderunt in tenebris peccatorum. Item bona conversatio sacerdotis, sine verbo, tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis non potest. Item verbum quidem ignorantem adducere ad scientiam veritatis et sine conversatione bona potest: tenere autem in fide, vel sanctitate, absque bona conversatione non potest, magis autem et scandalizat: sicut in sequentibus ostendemus. Ergo propter bonam conversationem suam sacerdotes sunt sal, quoniam bona conversatio sacerdotum conditura populi est. Propter verbum autem doctrinae lux, quoniam verbum ignorantiae lumen est. Prius autem vocavit eos sal, postea autem lux (*sic*), aut quia prioris loci est servare quos habes, secundi autem vocare quos non habes. Aut quia prius est bene vivere, secundum autem bene docere. Nam per bonam conversationem ascenditur sine dubio ad scientiam: a scientia autem nescio si ad bonam conversationem omnimodo veniatur. Propterea scientes quidem sine timore Dei multos videmus: timentes autem Deum sine scientia nullum videmus. Aut quia propter Judaeos priores dicti sunt sal, non adducentes eos ad scientiam Dei, sed condientes ipsos in ipsa scientia. Lux autem, propter gentes in secundo loco vocatas. Ideo et per comparationem congruam introducens addidit, dicens: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Quamvis enim ipsa voluerit esse velata, mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifestam: sic et apostoli, et sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, monte excelso, non

Commented [p74]: Col.685

possunt esse absconditi: et si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos, qui bajulat eos. Quae est haec civitas? Ecclesia est sanctorum, de qua dicit propheta: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal*. 86. 3). Cives autem ejus sunt omnes fideles, de quibus dicit Apostolus: *Vos estis cives sanctorum, et domestici Dei* (*Ephes*. 2. 19). Turres illius sunt prophetae, de quibus dictum est: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal*. 121. 7). Sicut enim de turribus jacula contra omnes hostes jactantur, sic de propheticis libris contra vanas gentilium fabulas et contra insanas haereticorum disputationes salutaria veritatis proponuntur exempla. Portae autem ejus sunt apostoli, de quibus dictum est: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* 86. 2): quia per illas totus populus intrat ad fidem. Muri autem illius sunt sacerdotes, caeterique doctores, de quibus dicit propheta ad hanc Jerusalem spiritualem: *Et alienigenae aedificabunt muros tuos* (*Isai.* 60. 10): quoniam ex gentibus vocati, facti sunt sacerdotes, et gubernatores Ecclesiae. Sicut enim muri omnem gentilium et haereticorum impetum ipsi suscipiunt, qui tamquam arietibus quibusdam, sic assiduis persequutionibus feriunt clerum, id est murum Ecclesiae. Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba perversae cogitationis eorum, de impia cordis pharetra procedentia, doctores quasi lapides vivi suscipiunt, et fidei virtute constringunt. Haec ergo civitas posita est super montem: id est, apostoli, prophetae caeterique doctores, aedificati in Christo. Mons enim Christus est, de quo ait Daniel: *Ecce lapis excisus est sine manibus, et factus est mons magnus, et occupavit totam terram* (*Dan.* 2. 34. 35). Nunc per alteram comparationem vult ostendere, quare sanctos suos ipse Christus manifestat, et non sinit eos esse absconsos. Id est quia 15. *Nec qui accendunt lucernam, ideo eam accendunt, ut ponant sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Qui sunt accensores lucernae? Pater et Filius. Quae est illa lucerna? Verbum divinum, de quo dictum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal.* 118. 105). *Ut liceat*: id est, appareat, et illuminet qui sunt vel in domo Ecclesiae, vel in domo omnium mundorum. Quod est candelabrum? Ecclesia, quae bajulat verbum vitae. Consequenter dicit et Paulus: *Inter quos lucetis sicut luminaria in saeculo, verbum vitae continentes* (*Philipp.* 2. 15. 16). Consequenter et omnis ecclesiasticus vir, habens verbum Dei, dicitur candelabrum. Modii autem sunt homines mundiales, vacui a Deo, et ab omnibus quae sunt Dei. Dicuntur autem modii, quoniam sicut modii desuper quidem vacui sunt, desubtus autem pleni: sic omnes mundi amatores et carnis, in spiritualibus quidem et divinis, quae superiora recte esse dicuntur, vacui sunt et insensati: in inferioribus autem, id est in mundialibus et terrenis, aliquatenus pleni videntur et sapientes. Propterea sicut in modio si volueris aliquid reponere, necesse est ut cadat deorsum ad inferiora ejus et tenebrosa: sic homini carnali, et mundiali, et vacuo, si dixeris aliquid quod est Dei, non illud tenet in superiore parte mentis suae aut cordis, nec portat illud in ore; sed confestim cadit de mente ejus et corde deorsum in terrena et tenebrosa, ut nec illi prosit, nec aliis. Si autem et aliqua tentatio facta fuerit propter verbum veritatis, statim reversatur in terram, et aspiciens terram, quasi modius, verbum Dei sub se tenet absconditum. Reversatus est enim et aspiciens terram, et abscondens verbum sub se, quando propter aliquam causam terrenam non est ausus palam proloqui fidei veritatem, aut injurias carnales timens, aut mortem, aut damna, aut caetera, quae obstruunt carnales homines, ut verbum, quod crediderunt, libere non audeant profiteri. Nunc autem sciens, quoniam ille est laudabilis doctor, qui facit quod docet, addidit et dicit: 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Id est, Sic illuminate, docete, non ut verba

Commented [p75]: Col.686

Commented [p76]: Col.687

vestra tantummodo audiant homines, sed ut opera vestra bona videant, ut quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum quasi sales: quoniam qui docet, et facit quod docet, vere ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, et non docere, quam docere, et non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem docet, et non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores pietatis peccantes? Ergo per illos quidem doctores qui docent et faciunt, magnificatur Deus: per eos autem qui docent, et non faciunt, blasphematur. Utputa, si bene doceant sacerdotes, et melius vivant, videntes gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet servos. Vere enim eorum Deus verus est Deus. Nisi enim ipse esset justus, numquam populum suum circa justitiam sic teneret. Nam disciplina domini ex moribus familiae demonstratur. Non sicut nostri philosophi, qui magna loquuntur, et nec modica faciunt. Si autem bene doceant, et male conversentur, videntes dicunt: Qualis est Deus eorum, qui talia agunt? numquid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum? Patres nostri, sicut illi existimant, idola colentes, omnem justitiam servaverunt: isti autem gloriosos loquuntur sermones, et ignominiosa opera faciunt. Vides quomodo Deus per malos Christianos blasphematur? Nec potest dominus bonam opinionem habere, qui malam familiam habet. Unde dictum est ad populum Dei: *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes* (*Isai*. 52. 5). 17. *Nolite putare quia veni solvere legem, aut prophetas.* Propter duas causas dicit non se venisse ut solveret legem, sed ut adimpleret. Primum, ut discipulos suos, quos omnibus bonis operibus adornatos esse debere supra docuerat, his verbis ad suum provocaret exemplum: ut quemadmodum ipse omnem legem implebat, sic et illi omnia etiam minima legis festinarent implere. Deinde, quia futurum erat, ut Judaei calumniarentur eum in sabbatis operantem, et lepram tangentem, quasi solventem legem, ideo priusquam incurrat in calumniam, calumniatoribus satisfacit, dicens: *Nolite putare quia veni solvere legem, aut prophetas:non veni solvere, sed adimplere.* Lex et prophetae duo haec agunt. Et de Christo prophetizant et legem vivendi constituunt: quae utraque Christus implevit. De se quidem sic, quando natus est, et vocatus est Emmanuel; quando circumcisus est; quando praesentatus est in templum, et oblatum est pro illo sacrificium, scilicet duo turtures, aut duo pulli columbini; quando in Aegyptum fugit, legem adimplevit; quando in Nazareth conversatus est; quando cum asino in templum ingressus est; quando a pueris laudatus est; quando crucifixus est inter iniquos; quando felle et aceto potatus est; quando in manibus Patris sui spiritum commendavit; quando vestimenta sua dividenda reliquit; quando descendit ad inferos, et visitavit omnes dormientes; quando ascendit in strepitu; quando sedit ad dexteram Patris; quando adhuc venturus est, vocans terram a solis ortu usque ad occasum; quando sederit in valle Josaphat, et judicaverit omnes gentes, adimplet prophetias: quia nisi haec facta fuissent, mendaces erant prophetae: nunc autem omnes impleti sunt, et adhuc implebuntur, cum stellae ceciderint, cum sol tenebratus fuerit, cum luna sanguineo colore mutata fuerit, cum caelum plicatum fuerit sicut liber. Secundum autem modum videndi, legem implevit duobus modis. Primum exteriores quidem legis figuras solvens, interiores autem veritates ejus adimplens. Utputa, in lege praecepit omne opus servile in sabbato quemquam facere non debere, praeterquam quod fit omni animae, scilicet quod est necessarium vitae humanae: hoc figurale est, quia sic Deus in sabbato cessat ab opere. Spiritualiter secundum Evangelii veritatem, opus servile peccatum est: *Quoniam omnis qui facit*

Commented [p77]: Col.688

peccatum, servus est peccati (*Joan*. 8. 54). Omne autem opus bonum non est servile, sed liberale, et pro animae fit libertate, licet videatur ipsum opus in prima facie corporale. Vides ergo quia Christus sabbatis operans adimplevit legem, non solvit: manifestavit, non occultavit? Item in lege fuerat scriptum, lepram tangere non oportere. Hoc figuratum est. Lepra enim intelligitur peccatum. Christus ergo tangens lepram, non solvit legem, sed adimplevit. Mundans enim leprosum, justitiam operatus est, non peccatum. Et per hoc justitiam tetigit, non peccatum, quod est vere lepra. Nam ille qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, certum est quia nunquam tetigit lepram: id est, peccatum (*Isai*. 53. 9). Merito ergo dicit, *Donec omnia fiant.* 18. *Amen dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Quoniam quae ab initio mundi usque ad finem erant futura, eorum mysteria sunt prophetata in lege, ut ne videatur aliquid eorum quae fiunt Deus antea non cognovisse, propterea dicit, Non potest fieri ut transeat caelum vel terra, donec omnia, quae in lege prophetata sunt, rebus ipsis fuerint adimpleta. Ingenuus homo, si vel in vili mendacio inventus fuerit, erubescit: et quomodo Deus quod promisit in lege, non faciat, aut aliter faciat? Vir sapiens quod dixerit, verbum suum non relinquit vacuum: et quomodo verba divina sine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, si quod docet alium, ipse non fecerit: quomodo Christus, quod loquutus est in prophetis, non adimplevit in opere? Deinde implevit legem in minimis istis. 19. *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum.* Sed primum videamus, quae sunt ista minima mandata. Et alii quidem aliter interpretati sunt, alii autem aliter. Puto autem, ipse Dominus manifeste ostendit quae sunt, dicens demonstratorie: *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis*: id est, quae modo dicturus sum. Nam talis est mos loquendi in Scripturis: quae post modicum dicturi sunt, quasi jam dicta demonstrantur, sicut est ibi, *Audite haec, omnes gentes* (*Psal*. 48. 2). Quae *Haec*, nisi quae in sequentibus versiculis erat dicturus? Mandata igitur Moysi in actu facilia sunt, *Non occides, non adulterabis*: et ideo in remuneratione modica, in peccato autem magna. Mandata autem Christi, id est, Neque irascaris, neque concupiscas, ipso actu difficilia sunt, et ideo in remuneratione magna sunt, in peccato autem minima. Quomodo autem abstinere ab homicidio aut adulterio facile est, patet. Ipsa enim criminis magnitudo voluntatem faciendi repercutit, et ideo non habet laudem qui abstinet se ab illis, quia non est labor abstinere se ab illis. Nam omne malum, quanto gravius crimen est, tanto levius videtur ad non faciendum, et gravius facit peccatum, si fuerit factum. Non irasci autem difficile est in actu, quia dum levis culpa putatur, non facile servatur a multis. Et multum laboriosum est posse non irasci, quia naturaliter in hominibus iracundia est plantata, et ideo in remuneratione magna sunt, quia difficile est et laboriosum abstinere ab eis. Propterea et si iratus fuerit homo, aut concupierit, est quidem peccatum, quia malum est: non tamen est grave peccatum, quia difficile est abstinere ab eis. Ergo minima mandata ista dicit Christi mandata, Non irascaris, non concupiscas. Quae in observando quidem magna sunt, in peccando autem minima videntur, quantum ad homines negligentes. Ergo illi, qui levia peccata committunt, minimi sunt in regno Dei: id est, qui iratus fuerit, et iratus grande peccatum non fecerit in actu, a poena quidem securus est, non tamen est in gloria: quia etsi nihil tale committit, tamen quia sequutus est iram suam, et non illam repressit in corde suo, peccavit. Unde jubet nos propheta, si irati fuerimus, ut compuncti in cordibus nostris iracundiam reprimamus, sciens quoniam si per iracundiam vel leviter peccaverimus, peccatores sumus. Item qui concupiscit, etsi non

Commented [p78]: Col.689

fecerit, peccavit. Quare? Quia vel omnino voluit. Qui ergo doctor est, si ab omnibus abstinuerit, magnus est: si autem vel levia haec peccaverit, nihil illi prodest sacerdotalis dignitas ejus: sed projectus a primo ecclesiastico choro, fit inter eos qui nec in poena sunt, quia non fecerunt grave peccatum: non tamen sunt in gloria, quia peccati rugam aut maculam susceperunt.

Homilia undecima ex capite quinto (col.689-93)

20. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Scribarum et Pharisaeorum justitiae sunt mandata Moysi: impletiones autem mandatorum illorum sunt mandata Christi. Hoc est ergo quod dicit: Nisi quis supra legis mandata, et haec mea praecepta, quae apud illos minima existimabantur, impleverit, non intrabit in regnum caelorum: quoniam illa, sicut diximus, de poena quidem liberant, quae scilicet transgressoribus legis debetur, non autem introducunt in regnum: haec autem et de poena liberant, et in regnum introducunt. Cum autem sit idipsum, solvere minima haec mandata, et non custodire, quare supra quidem de solvente dicit: *Qui solverit unum de minimis istis, minimus vocabitur in regno Dei*, ostendens eum etsi minimum, esse tamen in regno: hic autem de non conservante dicit, Nisi abundaverit justitia hominis Christiani plus quam scribarum et Pharisaeorum, non intrabit in regnum caelorum? Qui enim non intrabit in regnum caelorum, extra regnum erit. Sed vide quia minimum esse in regno idipsum est et non intrare in regnum. Esse enim aliquem in regno non est et regnare cum Christo, sed esse tantum in populo Christi. Tamquam si dicat: Qui solverit et docuerit sic, inter Christianos quidem erit, tamen minimus Christianus, vel cum minimis Christianis. Qui autem intrat in regnum, fit particeps regni cum Christo, sicut et alibi dicitur bono servo: *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* 25. 21): hoc est, ut simul gaudeas cum Domino tuo. Consequenter et iste qui non intrat in regnum caelorum, gloriam quidem regni caelorum non habebit cum Christo, erit tamen in regno caelorum: id est, in numero eorum super quos Christus caelorum Rex regnat. Nunc jam incipit ostendere et docere quae sunt minima ista, quorum solutionem praedixerat esse periculosam.

Lex per gratiam non aufertur. – 21. *Scitis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Non occides:* 22. *ego autem dico, Si quis iratus fuerit fratri suo sine causa, reus erit judicio.* Haec impletio legis secundum modum vivendi secunda facta est. Faciens enim haec Christus et docens, implevit legem, non solvit. Non enim est Christi mandatum contrarium legi, sed latius quam lex. Mandatum Christi legem in se tenet inclusam, lex autem non tenet Christi mandatum. Qui ergo implet Christi mandata, tacite in eis implet et legis. Nam qui non irascitur, multo magis nec occidit: qui autem implet legis mandatum, non omnino implet et Christi. Frequenter enim et homo non quidem occidit propter timorem vindictae, tamen irascitur. Vides ergo, quia lex impleta est per gratiam, non sublata? Deinde sine mandatis his Christi nec possunt stare legis mandata. Nam si concedatur licentia irascendi, datur et causa homicidii faciendi. Ex ira enim homicidium generatur. Tolle autem iram, et homicidium non fit. Omnis enim, qui irascitur sine causa, quantum ad voluntatem suam homicidium facit, etiamsi non facit propter metum. Ideo dolor quidem non est talis, quemadmodum si factum fuisset, peccatum autem tale est

Commented [p79]: Col.690

irascentis. Ideo Joannes in canonica sua Epistola dicit: *Qui odit fratrem suum sine causa, homicida est* (*Joan.* 3. 15). Vide sapientiam Christi. Volens ostendere, quia ipse est Deus, qui aliquando loquutus est in lege, et qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ante omnia mandata posuit in lege, illud ipsum mandatum posuit et nunc in principio mandatorum suorum. In primis scriptum est in lege, *Non occides* (*Exod.* 20. 13). Ideo hic statim ab homicidio coepit, ut per concordiam mandatorum ipse inveniatur dictator fuisse legis et gratiae. *Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio.* Ergo qui cum causa irascatur, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Justa ergo ira mater est disciplinae. Itaque non solum non peccant, qui cum causa irascuntur: sed e contra, nisi irati fuerint, peccant: quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum: quia malus quidem, quamvis incorreptus fuerit, non emendatur: bonus autem nisi correptus fuerit, perit quia in corpore magis praevalet malum quam bonum. Iracundia quae cum causa est, non iracundia est, sed judicium. Iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis. Qui autem cum causa irascitur, ira illius jam non ex passione est, sed ex causa: ideo judicare dicitur, non irasci. Puto autem quod non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de spiritu. Nec ad carnem loquitur, sed ad animam, sicut et in sequentibus ostendemus. Scit enim Dominus, quia etsi mandaverit carni, caro ei non obaudiet. Nec enim est possibile, ut caro non conturbetur: *Quia sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non est subjecta* (*Rom.* 8. 7). Nec enim potest, dicente Job, *Homo natus de muliere* (*Job.* 14. 1), plenus iracundia, non irasci. Quando ergo homo irascitur, et non vult facere quod ira compellit, caro ejus irata est, animus autem ejus non est iratus. Ergo multi sunt, quorum caro irascitur, anima autem non irascitur. Item multi sunt, quorum caro non irascitur, anima autem eorum irascitur, id est, qui videntur patientes et taciti, et occulte cogitant malum, et semper quaerunt opportunitatem nocendi. *Si quis dixerit fratri suo, Racha, sine causa, reus erit concilio.* Id est, ut sit unus ex concilio eorum, qui adversus Christum fuerunt, sicut apostoli in canonicis suis interpretantur. *Si quis autem dixerit, Fatue, reus erit gehennae.* Racha quidem dicitur Hebraice vacuus, quamvis quantum ad sensum verbi, unum est dicere, Fatue, et, Racha. Nam qui vacuus est, ille fatuus est: et qui fatuus est, sine dubio vacuus est, et utriusque verbi una videtur esse injuria. Nam sicut indigna res est illi dicere, Faute, qui habet in se sapientiam spiritualem in agnitione Dei Patris et Christi: sic indigna res est, dicere hominem vacuum, qui habet in se Spiritum sanctum. Nam nemo dicitur vacuus, qui habet in se Spiritum sanctum, et nemo fatuus, qui Christum cognoscit. Et quare illud quidem verbum, id est Racha, habet poenam concilii: hoc autem verbum, Fatue, gehennae? Nam si unum peccatum est, una debet esse et poena amborum. Sed quantum ad dicentis propositum, differentiam jam habent haec verba, etsi quantum ad sensum similia sunt. Racha enim vulgare verbum erat apud Judaeos, quod non ex ira, neque ex odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiduciae causa, quam iracundiae. Nam unaquaeque provincia habet in consuetudine aliquod exprobratorium verbum, quod non rixae causa, sed familiaritatis gratia dicere solent ad eos, quorum fiduciam habent. Utputa, patronus suscepto liberto suo, aut dives pauperi, aut urbanus rustico, contemnens personam ejus, magis quam inimicans. Sed forte dicis, si Racha iracundiae causa non dicitur, quare peccatum est? Quia contemptionis causa dicitur, non aedificationis. Nam etsi persona illius tibi contemptibilis videbatur, tamen dignitas Christianitatis illius contemptibilis non erat. Et si illum aspicere non volebas, tamen Christum, qui in eo est, aspicere debuisti.

Commented [p80]: Col.691

Deinde et alia ratione peccatum est dicere Racha, quia etsi ille aliquid vanum audire merebatur, te tamen, dicere vanum aliquid non oportebat, cum sic scriptum est: *Amen dico vobis, pro omni verbo otioso, quodcumque loquuti fueritis, dabitis rationem* (*Matth*. 12. 36). Quicquid non est lumen, tenebra est: sic et quicquid bonum non est, malum est. Dicit Apostolus: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (*Ephes*. 4. 29). Et non dicit, Si quis bonus, tantummodo, sed, *Si quis bonus ad aedificationem fidei.* Si ergo nec bonum verbum sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro occasione aedificationis, ne ipsum verbum bonum, dum sine causa dicitur, inveniatur esse otiosum, et fiat malum: quanto magis illud verbum dicere non debemus, quod a semetipso naturaliter malum est, et ad injuriam pertinet audientis? Deinde, numquid membrum oris nostri, quod ad aedificationem aliorum creatum est, aut ad usum corporis, aut ad gloriam Dei, trahimus illud ad ministerium vanitatis? Omnis enim sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. Vanum ergo sermonem dicentes, non tantum ideo peccamus quia per illum sermonem aliquem laedimus, sed quia damus locum in nobis immundis spiritibus agendi quod volunt. Hoc sciens Salomon, dicebat ad Dominum: *Duo postulo a te, ne auferas gratiam tuam a me, priusquam moriar, et vanum verbum non exeat de ore meo* (*Prov*. 30. 7. 8). Si enim vasa sanctificata ad privatos usus transferre peccatum est et periculum, sicut docet nos Balthasar, qui bibens in calicibus sacratis de regno depositus est, et de vita (*Dan.* 5): si ergo haec vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, [in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur]: quanto magis vasa corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum praeparavit, non debemus locum dare diabolo agendi in eis quod vult? *Si quis autem dixerit, Fatue*, In communi intelligendum est ubique, *Sine causa*. Id est, qui iratus fuerit sine causa: qui Racha sine causa dixerit, qui Fatue sine causa dixerit. Si autem caedere cum causa peccatum non est, quanto magis cum causa Fatue dicere, non est peccatum? Nam et verbum malum species est aliqua castigationis, et apud sapientem durius est quam flagellum. Quid enim si talis fuerit causa, ut non verbis, verum verberibus proferatur vindicta? Ecce enim et Apostolus dicit, Fatue: *O insensati Galatae, quis vos fascinavit* (*Gal*. 3. 1)? Sed non peccavit, quia justa causa fuit dicendi. Ita ad discipulos in via Christus: *O stulti et tardi corde* (*Luc*. 24. 25). 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare*. Quoniam superius dixerat, *Qui irascitur fratri suo sine causa*, hoc: *Qui autem dixerit, Racha*, illud: *Qui autem dixerit, Fatue*, istud: consequenter subjungit: *Si offers munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris, quod habet aliquid adversus te frater tuus.* Habet scilicet, si iratus ei fueris sine causa, si dixisti ei Racha, vel Fatue, sine causa. Si ergo ex his levibus causis offenso fratre, et non placato, impossibile est munus Deo offerri, et suscipi: quomodo ante conspectum Dei ingredientur, qui fratres suos conculcant, praedantur, et alia multa in viduis et orphanis nefanda committunt? In primis scire debemus, quod quamdiu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur, vel si quid aliud bonum fecerint, quia nemo inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum. Utputa, si de illo bene loqueris apud istum, displices isti, et in suspicionem venis quasi plus diligas illum: et si ad illum bene loqueris de isto, displices illi, et in suspicionem venis, quasi plus diligas istum. Ideo et Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu ipsi inter se fuerint inimici, quia si illi misericordiam fecerit, iste contristatur: etsi non contristatur, quia nihil potest agere contra Deum, tamen non congaudet in beneficiis ejus. Si autem aliquid poterat contra Deum, irasceretur ad Deum,

Commented [p81]: Col.692

quia miseratus est inimicum ejus. Similiter et si isti misericordiam fecerit, ille contristatur. Considera qualem habet Deus conscientiam circa nos, et quomodo fidem servat hominibus, quia nos perfecte diligit, ideo inimicis nostris non vult esse amicus. Utputa, duo inimici estis fideles; ideo tibi non vult esse amicus, quia illi amicus est: et ideo illi non vult esse amicus, quia tibi amicus est. Ergo te diligens, illi est inimicus, et illum diligens, tibi est inimicus. Numquid propter se Deus non suscipit munera nostra, sed propter nosipsos? Alteri adversatur Deus, dum alteri conscientiam servat: et dum ambos diligit, nulli vult esse amicus propter inimicitias amborum. Ergo Deus fidem nobis servans, inimicorum nostrorum amicus fieri non vult, et nos fidem non servamus, si inimicos ejus diligimus, et amicos odimus. Qui enim amicus est infidelium, et inimicus fidelium, amicos Dei odit, et inimicos Dei amat. Si autem fidem Domino servaremus, sicut ille nobis, numquam infidelium amicitias coleremus, numquam nos infidelium matrimonio jungeremus. 24. *Dimitte illic munus tuum, et vade reconciliari prius fratri tuo.* Vide misericordiam Dei, quomodo hominum utilitates amplius aspicit, quam suos honores. Si enim suos honores magis aspiceret, sic dixisset: Interim offer munus tuum et postea vade, et reconciliare. Nunc autem dicit: Vade primum, et reconciliare, et sic veniens offeres. Tamquam si dicat ad illum: Vade. Ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter exspecto Dominus servos tantummodo ut vos in amicitiam veniatis. Vade ergo, ut scias quia plus diligo concordiam fidelium meorum, quam munera: quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum; caritas enim illorum Dei gloriam operatur. Ne dicas, Ille mihi nocuit, non ego illi: ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuae jubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare, ut duplicem gloriam consequaris: unam, quia nocitus es, alteram, quia prior rogasti. Si enim in illum nocuisti, et ideo rogasti, parcet tibi Deus quod nocuisti, quia prior rogasti: tamen nullam habes mercedem, quia reus constitutus rogasti. Si autem ille te laeserit et prior rogaveris, magnam habebis mercedem. Festina ergo inimicum tuum praevenire ad amicitias, ne forte, te tardante, ille praeveniat te ad rogandum, et rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille te nocuit, et ille te rogat, infructuosa est amicitia tua. Quam enim justitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placaveris? Non enim volens te Deus substernere sub pedibus ejus, jubet te prius rogare, sed volens tibi humilitatis gloriam praetendere. Sed forte dicis: Ecce ego volo reconciliari: sed dic mihi, quomodo reconciliabor? Qualis praecessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare. Si verbis offendisti, verbis reconciliare. Omne enim peccatum, quomodo committitur, eo modo et poenitetur. Utputa, cogitasti male facere alicui Christiano; non potes munus tuum offerre ante Deum, quia habes in corde tuo nocendi propositum. Recogita bene, quod cogitaveras male, et poenituisti. Nam cogitationis peccatum contraria cogitatione dissolvitur. Quis testis? Propheta. *Quae dicitis*, inquit, *in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal*. 4. 5). Vides quia irasci naturae est, exequi autem iracundiam voluntatis? Si autem verbis laesisti fratrem tuum, vade, et verbis satisfac ei ex toto corde, et poenituisti. Quoniam autem verborum peccatum verborum satisfactione dissolvitur, testis est Aaron. Cum enim detraxisset de Moyse, vadens verbis rogavit eum, dicens: *Rogo, Domine, ne inferas in nos peccatum hoc, quia ignoravimus quod peccavimus in te* (*Num.* 12. 11). Si autem operibus aliquem offendisti, puta, alicujus pecuniam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstulisti, redde ei quae abstulisti, et poenituisti. Quoniam autem abstractae rei peccatum rerum recompensatione dissolvitur, testis est Zachaeus, dicens: *Domine,*

Commented [p82]: Col.693

quaecumque fraude abstuli, reddo in quadruplum (*Luc*. 19. 8). Si autem rem quidem alicujus non tuleris, sed forte castigaveris hominem impotentem injuste, dona ei aliquid pro injuria dignum: sicut scriptum est in lege: *Si percusseris servum tuum, et fregeris illi dentem, dimitte eum liberum* (*Exod*. 21. 27). Secundum hoc intelligendum est, et si castigaveris aliquem, injuriae peccatum beneficio est dissolvendum. Alioqui nisi quem factis laesisti, factis placaveris, sine causa oras ad Dominum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios exspoliasti. Quid prodest tibi, si alter pro te oret ad Deum, et alter adversus te interpellet Deum? Etsi ad istius orationem vult tibi Deus misericordiam facere, illius interpellatio non permittit. Melius est, ut etsi nemini prodes, nomini noceas, quam ut alios spolies, et alios vestias. 25. *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Festinat Dominus, ut ad amicitiam festinemus inimicorum nostrorum, quamdiu vivimus in hac vita (vita enim omnium hominum communis est ista vita carnalis, per quam omnes homines transeunt, boni et mali), sciens quam periculosum est, si unus ex inimicis, pace non facta, fuerit mortuus: nam postea etsi voluerint pacem facere, non possunt, cum fuerint separati. Si autem quamdiu in via hujus vitae es, non feceris pacem cum adversario, quem laesisti, sed sic inimicantes per mortem ieritis ante judicem Christum, tradet te Christo, convincens te reum in judicio ejus, et judex tradet te ministro, id est, angelo poenarum crudeli, et ille mittet te in carcerem gehennae. Et qui in hoc saeculo si pacem fecisses, etiam gravissimi operis poteras accipere indulgentiam, sicut scriptum est: *Caritas operit multitudinem peccatorum* (1. *Petr*. 4. 8): si semel condemnatus fueris missus in carcerem, jam non solum de gravibus peccatis, sed etiam pro verbo otioso, quod loquutus es, id est, si Racha alicui dixisti, pro eo sunt exigenda a te supplicia. Tradet autem te judici adversarius tuus, etsi te prius rogaverit ille. Dicit enim Salomon: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius* (*Prov.* 25. 21. 22. *et Rom.* 12. 20). Congerere autem carbones ignis quid est aliud, nisi magis reum facere ante Deum? Si ergo qui benefacit inimico, magis illum reum facit ante Deum: consequenter et qui prius rogat inimicum suum, reum illum facit ante Deum. Frequenter homines in hoc saeculo mittuntur in carcerem pro peccato: id est, in angustias et tribulationes diversas. Nam plerumque peccantes in hominibus mittuntur in tribulationes diversas: sed non intelligimus. Angustiae autem hujus mundi, carceres appellantur.

Homilia duodecima ex capite quinto (col.693-701)

27. *Audistis quia dictum est antiquis, Non moechaberis* (*Exod*. 20. 14): 28. *ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam maechatus est eam in corde suo.* Ecce alterum mandatum, minimum quidem apud Judaeos tunc, et nunc apud omnes qui non multum curant de anima sua, nec judicant cor suum, qui irasci proximis suis sine causa aliquod non putant esse peccatum: nec concupiscere tantum mulierem alienam putant esse peccatum, opere concupiscentiae non subsequuto. Magnum autem est apud timentes Deum et cor suum dijudicantes. Magnum est etiam apud Deum, qui non tantum opus hominis aspicit, quantum cor. Quo mandato lex non solvitur, sed impletur: quia sine hoc mandato stare non potest legis mandatum.

Commented [p83]: Col.694

Omne enim adulterium ex concupiscentia nascitur. Quomodo ergo tolletur adulterium secundum legis mandatum, nisi praecisa fuerit concupiscentia secundum Christi mandatum? Quoniam ergo sicut ira mater est homicidii, sic concupiscentia mater est adulterii: consequenter sicut qui irascitur fratri suo sine causa, occidit eum in corde suo, etsi non occiderit eum propter metum vindictae, aut propter impotentiam suam, etiam homicida est apud Deum, qui non magis opus considerat, quam affectum: sic qui concupiscit mulierem alienam, jam moechatus est eam in corde suo: etsi non habuerit eam, causa aliqua obsistente, etiam adulter est apud Deum, qui magis aspicit voluntatem quam opus, quoniam opus ei adulterii committendi defuit, non voluntas. Sed ne forte homines humanae naturae mysterium ignorantes, dum considerant, quia generaliter omnis natura carnalis subdita est passionibus istis, et nemo est hominum, etiam sanctorum, qui se omnino ab ira vel concupiscentia valeat separare, aestiment Christum, quasi impossibilia ista mandantem, occasionem sibi quaerere, per quam homines faciat reos, quoniam omnis, qui impossibilia mandat, occasiones offensionis seminat, et causas puniendi requirit: ideo pauca de divisione voluntatum animae corporisque tractemus. Sicut duas in nobis habemus naturas, animae scilicet et carnis: sic duas habemus voluntates, unam animae, alteram carnis: duas iras, unam animae, et alteram carnis: duas concupiscentias, unam animae, et alteram carnis. Et natura quidem carnis ab his omnibus non potest se separare. Nam necesse habet et irasci, et concupiscere, etsi non vult, quoniam non est in arbitrio suo creata: id est, non est nunc in arbitrio suo, sicut creata fuit, sed sub lege peccati. Venumdata enim est sub peccato; propterea de illa dicit Apostolus: *Sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei subjecta non est, nec enim potest* (*Rom*. 8. 7). Anima autem in arbitrio suo creata est secundum legem justitiae Dei: propterea potest et non irasci, si vult: et non concupiscere, si vult. Quando ergo irascimur et concupiscimus, si displiceamus nobis, et festinemus reprimere vel iram vel concupiscentiam nostram, manifestum est, quia caro nostra irascitur aut concupiscit sola, non anima nostra. Quando autem complacemus nobis in his, et decernimus si poterimus nostram implere iracundiam, vel concupiscentiam nostram: tunc et anima irascitur et concupiscit simul cum carne. Propterea sciens Deus, quia carnis natura subdita ei non est, nec potest non irasci, non mandat carni quae mandat. Quis enim sapiens illi ponit praeceptum, qui etsi vult, non potest obaudire? Sed ad animam loquitur, et animae mandat, quae potest Deo in omnibus obaudire: quae potest, etiam carne irascente et concupiscente, ipsa nec irasci, nec concupiscere. Si ergo ad animam loquitur, et de concupiscentia animae loquitur, dicens: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo*: id est, non Si quis concupiverit secundum desiderium inevitabile carnis, sed, Si quis concupierit secundum voluntatem animae, et consensum, decernens et statuens implere quod cupit; ille talis etsi nihil gesserit, jam tamen corde adulter est ante Deum, quia forsitan impeditus est ab opere, non compunctus in voluntate. 29. *Si dexter oculus tuus scandalizaverit te, erue eum.* Puto quod omnis merces justitiae nostrae in hoc posita sit, quia omni tempore contra carnem nostram luctamur; quia *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal*. 5. 17). Sic enim ait propheta: *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam renes mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea* (*Psal.* 37. 7. 8). Si ergo secundum prophetam non est sanitas in carne nostra, quot oculos quis habet, aut quot dextras in corpore suo, ut secundum malitiam carnis sufficiat poena membrorum? Sed videamus, ne forte vel sic possibile est intelligere de oculo corporali, vel de manu. Sicut enim totus

Commented [p84]: Col.695

homo quamdiu peccat, vivit peccato, mortuus est autem justitiae, sicut scriptum est: *Et vos, cum essetis mortui peccatis* (*Ephes*. 2. 1); cum autem homo conversus fuerit ad justitiam, vivit justitiae, mortuus est autem peccato; sic et unumquodque membrum, utputa oculus, quamdiu quidem male aspicit, integer quidem est peccato, ejectus est autem justitiae: cum autem desierit male aspicere, ejectus est a peccato, integer est autem justitiae. Sed neque sic convenit. Nec enim habet rationem haec interpretatio plenam, propter quod dicit, *Si dexter oculus tuus scandalizaverit te*. Quid enim? quando dexter scandalizat, sinister quid facit? numquid contradicit dextro, ut dexter quidem quasi reus ejiciatur, sinister autem quasi innocens reservetur? Sed puto ad animam haec cuncta referri, sicut diximus supra. Oculum igitur dicit animae, id est, mentem per quam anima videt. De quo et alibi dicit: *Si oculus tuus fuerit simplex*, etc. (*Matth*. 6. 22). Oculus autem iste carnalis non est oculus, sed est speculum oculi illius interioris, id est mentis. Habet enim et corpus suam mentem, sicut et animam suam: sicut testatur Apostolus, de mente quidem animae dicens hoc modo: *Igitur ego ipse mente quidem servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom*. 7. 25). De corporis autem mente sic: *Inflatus mente carnis suae, et non tenens caput* (*Col*. 2. 18. 19). Similiter et de manu, vel de pede. Dextra manus hominis est voluntas animae: sinistra autem manus voluntas corporis est. Haec autem corporea manus non est manus, sed organum manus illius. Nisi enim voluntas, aut bona, aut mala, moverit eam, ad nihil movetur. Dextra itaque manus hominis est voluntas animae: sinistra autem manus est voluntas corporis. Ideo enim partes animae dextrae vocantur, corporis autem sinistrae: quoniam anima in arbitrio suo creata est, ad quod voluerit declinare, sive ad bonum, sive ad malum: et sub lege justitiae creata est, ut recta videat, recta audiat, et agat, et ambulet. Partes autem corporis sinistrae dicuntur, quia non est in arbitrio suo creata caro, ut, sive ad bonum, sive ad malum declinare voluerit, possit: sed in malo creata est sub lege peccati, nec potest aut videre, aut audire, aut agere rectum. Sic et omnes sancti dextri dicuntur, peccatores autem sinistri. Unusquisque ergo nostrum habet dextrum oculum et sinistrum: dextrum quidem, mentem animae, sinistrum autem, mentem carnis; dextram autem manum, voluntatem animae, sinistram autem, voluntatem carnis. Quando ergo ex passione carnis concupiscimus sicut homines, animo autem resistimus concupiscentiae nostrae, sinister oculus scandalizat nos: id est, mens carnis, non mens animae. Sinistra manus scandalizat, et non dextra: id est, voluntas carnis, non voluntas animae. Vide nunc quia non jubet carnis mentem ejicere, vel carnis praecidere voluntatem. Nec enim fieri potest, ut caro aliquando cesset a desiderio malo. Desideria autem carnis retinere quidem possumus, ut non faciamus quod desiderat caro: praecidere autem non possumus, ut non desideret. Quando autem ex proposito animae volumus malam, tunc dextra manus, id est, oculus dexter nos scandalizat, et dextra voluntas. Hunc oculum et istam manum praecidere jubet, quam et possumus praecidere: quoniam anima in arbitrio suo est, ut ad quod voluerit, valeat declinare. Caro autem non in arbitrio suo est, sed in malo: vendita est sub peccato, et non potest bonum velle. Ideo autem caro sinistra dicitur, anima autem dextra, quoniam caro ad tentationem nobis creata est, anima autem ad salutem. Haec est, sicut arbitror, loci istius interpretatio vera. Possumus tamen et alium invenire colorem. Respectus vel consideratio mentis oculus est animae, videlicet voluntas alicujus operis faciendi, et movens manum ad aliquod opus. Manus animae est secundum ea quae diximus. Utputa erat mulier quaedam religiosa, vel virgo, vel vidua: respexi et consideravi, et dixi: Debeo visitare illam mulierem assidue, ut si quid religionis ignoret quasi mulier, instruam eam, et confirmem ipsam in ipso bono proposito ejus.

Commented [p85]: Col.696

Bonus respectus est iste et dexter oculus: sed dum assidue visito eam, decidi in laqueum desiderii ejus: et ille bonus respectus meus, et dexter, factus est mihi in scandalum. Quid ergo oportet fieri? Ejicere talem illum respectum bonum, qui generaturus est mihi malum. Aut sic. Vidi orphanam quamdam, et dixi, Debeo illam in domo mea accipere, et educare, donec veniat tempus nubendi: et vadens coepi ei subministrare quae necessaria erant. Bonum opus hoc, et dextra manus haec est: sed dum causa subministrationis video eam, decidi in laqueum desiderii ejus: et illud bonum opus meum, et dextra manus facta est mihi in scandalum. Vel ita. Videntes me quidam agere fiducialiter cum ea, scandalizati sunt, dicentes: Quid sibi vult hoc esse, quod iste sic familiariter loquitur cum puella? Oportet ergo praecidere tale opus bonum, quod vel mihi vel alteri generat malum. Nam et quod alteri generat malum, mihi generat: quia per me factum est, ut alter scandalizaretur in me. Et haec propositionis gratia diximus: verumtamen generaliter omne bonum, quod vel nos vel alios scandalizat, praecidere debemus a nobis. Nam quale est illud bonum, ex quo nascitur malum? Melius est enim, ut sine uno respectu aut uno opere bono salvemur, quam ut, dum omnia opera bona voluerimus facere, cum omnibus pereamus. Sed et alii aliter interpretantur hunc locum. Vult, inquiunt, Christus, ut non solum de periculo nostri peccati curemus, abstinentes nos ab omni concupiscentia mala, sed etiam ne vel propinqui nostri, vel aliqui ad nos pertinentes, turpe aliquid agant. Utputa, habes aliquem vel filium, vel fratrem, vel amicum, qui sic bene aspicit res tuas, quasi proprius oculus tuus, et habes eum pro oculo dextro. Aut habes aliquem, qui sic procurat res tuas, quasi propria manus tua, et est tibi quasi dextra manus. Et illum talem si cognoveris aliquid turpiter agere, praecide eum ab anima tua, et projice longe abs te, quia scandalizat te: quia non solum pro peccato nostro, sed etiam pro peccato proximorum nostrorum, quod tamen possumus cohibere, nisi aut cohibuerimus, aut repulerimus a nobis, dabimus rationem. Et quoniam omnes Christiani unum corpus sumus, et alter alterius membra: melius est, ut sine uno aut altero membro tali salvemur, quam ut, volentes illos tales habere, et ipsi pereamus cum eis. 31. *Dictum est antiquis, Si quis vult dimittere uxorem, det illi libellum repudii.* 32. *Ego autem dico, Si quis dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari. Et si quis dimissam duxerit, moechatur.* Nunc tertium mandat mandatum, minimum apud indisciplinatos et lascivos, qui nullum aestimant esse peccatum, uxorem dimittere dato libello repudii, sine quo neque stare potest legis mandatum. Quomodo? Quando primum Moyses filios Israel eduxit de Aegypto, genere quidem erant Israelitae, moribus autem Aegyptii. Propter quod more gentilium contingebat, ut vir odiret uxorem. Et quia dimittere illam non permittebatur, paratus erat interficere eam. Aut si non interficiebat propter timorem legis, tamen assiduis cruciatibus affligebat. Ideo jussit dari repudium, non quia bonum erat, sed quia remedium erat mali pejoris: ne dum facere malum vetantur, facerent pejus. Ergo propositum fuit legis repudium dare mandantis, ut ne homicidium fiat. Numquid in facto solo fit homicidium? nonne et in voluntate? Et coram hominibus quidem in facto fit homicidium, coram Deo autem in voluntate. Sicut enim qui irascitur fratri suo sine causa, etsi non potuerit occidere eum, occidit eum tamen in corde suo: sic et qui concupiscit mulierem, etsi non habuerit eam, adulteratus est eam in corde suo, quia voluntas ejus impedita est, non correcta. Sic qui odit uxorem suam, excepta fornicationis causa, et sic eam odit, ut dimittat eam, ut et nisi haberet licentiam dimittendi eam, occideret eam: in corde suo occidit eam, quantum ad Deum, quia opus homicidii defuit ei, non occidendi voluntas. Vides ergo quia lex praecipiens dari repudium, opus homicidii compescuit, non

Commented [p86]: Col.697

peccatum? Et non solum homicidii crimen non sustulit, quantum ad Deum, sed etiam alterum dimissionis introduxit peccatum. Quoniam libellus repudii testimonium est soluti conjugii, numquid justitia solvendi conjugii? Propterea, dato repudio, solutum quidem conjugium publicatur, peccatum autem solutionis magis exaggeratur. Tamen cum de irascente sine causa, et de concupiscente faceret verbum, competenter intulit mandatum de uxoribus non dimittendis. Si enim qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio: quomodo non erit reus, qui sine culpa fornicationis sic odit uxorem, ut etiam dimittat eam? Sed dicis, Multas habet culpas uxor mea. Quid enim? tu autem sine culpa es? Si enim extraneorum vitia supportare debemus, dicente Apostolo: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* 6. 2): quanto magis debemus uxorum? Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, adulteratur eam in corde suo: quomodo non pro adulteriis condemnetur, qui dimittens uxorem, occasionem dederit adulteriorum committendorum, ut et illa adulteretur in alterum, et alter in illam? Nam vir Christianus non solum se coinquinare non debet, sed nec aliis coinquinandi se occasionem praebere. Alioquin illorum crimen ad istius redundat peccatum, qui aliis committendi criminis factus est causa. Vide etiam, quia qui secundum legem repudium dat, quatuor committit iniquitates. Primam, quia quantum ad Deum exsistit homicida: secundum, quia dimisit non fornicantem; tertiam, quia fecit eam adulterari; quartam, quia et accipiens eam, fecit adulterium. Nihil autem horum committitur, ubi servatum fuerit Christi mandatum. 33. *Item dictum est, Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.* 34. *Ego autem dico, non jurare omnino*, etc. Ecce quartum mandatum, quod minimum putant avari, qui bene jurare non putant esse peccatum, sine quo non potest stare legis mandatum. Nam nisi juramentum interdicatur, non possunt amputari perjuria. Ex juramento enim perjurium generatur. Nemo est enim, qui frequenter jurat, et non aliquando perjuret. Propter hoc admonet Salomon: *Non assuescas juramento os tuum; multus enim casus in illo* (*Eccli*. 23. 9). Sicut enim qui facit consuetudinem multa loqui, necesse est ut aliquando et importuna loquatur, et qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutere, necesse est ut aliquando et injuste percutiat: sic qui facit consuetudinem jurare in rebus idoneis, frequenter et in rebus superfluis etiam nolens consuetudine trahente perjurat. Nam omnium rerum consuetudinem, quando voluerimus quidem, tunc facimus, sed non quando volumus, tunc repellimus eam. Et qualis est contra jurantes Dei sententia, docet Salomon: *Vir*, inquit, *multum jurans, non exiet plaga de domo ejus* (*Ibidem v.* 12). Si ergo a jurantibus plaga non recedit, quomodo a perjurantibus aliquando recedet? Dic mihi, amice, jurando quid proficis? Nam si adversarius tuus crederet bene te juraturum, numquam te jurare compelleret: sed quia perjuraturum te aestimat, ideo te jurare compellit. Et cum juraveris, non quasi in veritate juramenti tui placatus tacet, sed quasi in damnatione perjurii tui vindicatus recedit. Juramentum enim numquam bonum exitum habet. Quidam enim aestimabunt te avaritiae causa jurasse, quidam autem et perjurasse. Qui autem de te bene voluerint suspicari, etsi pejerasse te non credunt, tamen in veritate te jurasse affirmare non possunt. Nemo autem potest defendere te et religiose egisse. Ideoque jurans, inimicis tuis in opprobrium venis, amicis autem tuis in suspicionem. Sed forte dicis, Quid faciam? Non mihi credit, nec vult credere nisi juravero. Acquiesce magis pecuniam perdere, quam salutem. Pretiosior tibi videatur anima tua, quam res tua. Si rem aliquam perdideris, vivere potes: si Deum perdideris, quomodo vives? An nescis quia quod invitus amittis propter Dei timorem, majorem mercedem habes pro illo, quam si eleemosynam dedisses? Quia quod cum majore colluctatione facimus, pro illo dignius

Commented [p87]: Col.698

coronamur. Ecce, amice, admoneo te, ne aliquando hominem jurare compellas. Sive existimas eum bene juraturum, recede ab eo: sive existimas eum male juraturum, magis recede ab eo: quia etsi ille bene juraverit, tu quantum ad conscientiam tuam perjurii illius factus es causa, quia hoc proposito eum jurare compellis, non ut juret, sed ut perjuret. Si autem bene eum juraturum putares, nec jurare compelleres. O insipiens, qui alterum jurare compellis, nescis quid agis. Ille etsi perjuraverit, vel cum lucro perjurat, tu autem sine lucro perjurii illius particeps inveneris. Qui mentiri non dubitat, nec perjurare timet: qui enim mentitur, veritatem in corde suo transgreditur; qui autem perjurat, in verbis suis transit Deum. Quid ergo interest inter Deum transire, et veritatem transgredi, cum et ipsa veritas sit Deus? Haec sola est differentia, quia veritatem mentientes in corde transimus, perjurantes autem Deum in verbis: nam verbo hominibus satisfacimus, conscientia autem Deo. Ipse Deus, qui perjurare vetuit, ipse et postea non jurare mandavit. Qui ergo in jurando non timet Dei praeceptum negligere, nec in perjurando timebit. Quid autem vis? Timet Deum, aut non timet Deum. Si timet, etiam sine juramento non mentitur: si autem non timet, neque cum juramento potest dicere veritatem.

Contra clericos qui Evangelia porrigunt juraturis. – Audite vos, clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis: quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui semen perjurii datis? Numquid qui ignem portat, unde confletur incendium, alienus est ab illo incendio? Aut qui gladium porrigit unde homicidium committatur, nonne est socius homicidii illius? Sic et qui occasionem perjurii praestat, collega fit perjurii ejus. [Si erat bene jurare justum, juste dicebatis, quia dedimus illis Evangelium ut jurent, non ut perjurent: nunc autem cum sciatis, quia et bene jurare peccatum est, quomodo potestis esse liberi, qui occasionem datis unde peccetur in Deum?] Cesset ignis, et incendium non fit; subtrahe gladium, et homicidium non committitur: sic tolle juramentum, et perjurium non fit. Haec de illis dicta sunt, qui jurant per Deum: eorum autem, qui jurant per elementa, exsecrabilior iniquitas est. Caelum enim, et terram, et caetera Deus ad ministerium sibi creavit, non hominibus ad juramentum. Ecce enim in lege praecipitur, ut per nullum juretur, nisi per Deum: qui ergo jurat per caelum aut per terram, aut quidquid illud est, per quod jurat, deificat illud. Propterea idololatram se facit omnis, qui per aliquid aliud a Deo jurat, etiamsi jurare liceret: qui non reddit Domino Deo suo juramenta sua, sed elementis, et sic dupliciter peccat. Primum, quia jurat; deinde, quia deificat per quem jurat. Et vide quia per singula hanc rationem dat, cur quis non debeat jurare per elementa. *Neque per caelum*, inquit, *quia thronus est Dei*: id est, non Deus. 35. *Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus*, non dea. *Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis*, non magnus rex. 36. *Neque per caput tuum, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum*. Ac si dicat: Cujus momenti es, ut per te jures? numquid potestatem habes vel unum capillum album facere, aut nigrum? Sive ergo per filios suos juret quis, sive per se, sive per aliquem, meliorem facit illum, quantum ad se, quam Deum: 38. *Audistis quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo.* Quintum mandatum minimum, quantum ad homines crudeles, qui peccare se non arbitrantur, si reddiderint mala pro malis, non considerantes, quae dicuntur in Psalmo: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*, etc. (*Psal*. 7. 5). Quaecumque enim ille dinumerat merito se pati debere, si reddiderit retribuentibus sibi mala, sciant Christiani omnia illa merito se esse passuros, si reddiderint retribuentibus sibi mala. Nam et casuri sunt ab inimicis suis inanes, et persequuturus est inimicus animas eorum, et comprehensurus et conculcaturus

Commented [p88]: Col.699

in terra vitam eorum, et gloriam eorum in pulverem deducturus. Tamen sine hoc minimo mandato legis mandatum non potest stare. Quomodo? Lex praecipiens oculum pro oculo, dentem pro dente, tale habet propositum, ut unusquisque, dum timet de suo membro, parcat alterius, et nemo malus inveniatur. Sed quia vae mundo a scandalis: quamdiu enim vivimus in hoc mundo, cui diabolus principatur, necesse est abundare maledicentes, percutientes, et persequentes. Si ergo incipimus secundum legis mandatum omnibus reddere mala pro malis, omnes efficimur mali, et solutum est propositum legis, et dum voluit malos facere bonos, etiam bonos fecit malos. Si autem secundum Christi mandatum non resistatur malo, etsi mali non laeduntur, tamen boni permanebunt boni: et sic per mandatum Christi impletur et legis mandatum. Nam qui mandatum legis implet, non simul implet et Christi: qui autem Christi implet, simul implet et legis. Utputa, qui percutit, contra legem agit: qui autem repercutit, secundum legem facit, non autem et secundum Christi mandatum. Qui autem secundum Christi mandatum, neque percussus repercutit, tacite et legis voluntatem implevit. Nam qui percussus non repercussit, multo magis nec ab initio percussisset: quia non venit Christus solvere legem, sed adimplere. Sed dicis, quia dignus est ille repercuti, qui contra legem percussit. Etiam. Sed tu non es dignus repercutere, quia illius discipulus es, qui maledictus non remaledixit, percussus non repercussit, crucifixus pro crucifigentibus se oravit. Si repercusseris, ergo primum denegasti, te Christi esse discipulum, non verbis, sed factis. Deinde cum ejeceris oculum pro oculo tuo, et fregeris dentem pro dente tuo, numquid per hoc restituitur membrum tuum in loco proprio? Si ergo non reddideris malum pro malo, et si membrum corporis perdidisti, vel lucrum patientiae acquisisti. Si autem reddideris: et corporis damnum passus es, et salutis. 39. *Sed si quis te percusserit in maxillam, praebe ei alteram.* Non enim diabolus tantum de vulnere humani corporis gaudet, sed et magis in vulnere animae delectatur: ideo enim excitat aliquem qui te percutiat, ut dum tu excitatus repercutis eum, pecces, et uno ictu vulneret ambos. Scit enim, quia vulnus corporis cito sanatur: vulnus autem animae in quibusdam vix cum labore, in quibusdam autem numquam sanatur. Ideoque si repercusseris eum, in prima quidem facie illum vicisse videris, re vera autem a diabolo victus es. Et putas quia te satiasti de illo, vere autem diabolum satiasti de te. Si autem non repercusseris cum, ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti. Haec secundum justitiam Dei. Videamus autem secundum utilitatem carnalem. Numquid si repercusseris eum, compescuisti eum, ut jam non te percutiat? Sed magis excitasti eum, ut adhuc te percutiat. Nam iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. Quemadmodum si ignem cum igne conjungas, major flamma succenditur: si autem non repercusseris eum, ille jam stabit: si quidem sapit, confusus: si autem non sapit, satiatus: et non solum iterum te non percutit, sed forsitan compunctus corde poenitet, quia te vel semel percussit. Attamen etsi sic insanus est, ut nec patientiam tuam intelligat, ne confundatur in facto suo: numquid potes tu te amplius vindicare, quam Deus erat te vindicaturus? Ideoque si repercusseris eum, perdidisti vindictam, quia teipsum vindicasti: et liberasti eum de manibus Dei, quia reddidisti illi quod fecit. Si ergo fortiter irasceris, patientius age, ut melius vindiceris, scilicet per Deum. 40. *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Primum indigna res est, ut homo fidelis stet in judicio ante conspectum judicis infidelis. Nam etsi infidelis non est, certe saecularis est. Et qui te venerari debuerat propter dignitatem fidei, judicat te propter necessitatem causae, et perdes dignitatem Christi propter negotium mundi. Nonne melius est, ut perdas res mundiales, quam gloriam sempiternam? Si enim rem perdideris

Commented [p89]: Col.700

propter Christum, Christus tibi rem restituere potest: si autem propter rem perdideris Christum, res tibi non potest restituere Christum. Deinde necesse est, ut humilies te coram judice, et subditus fias illi propter necessitatem causae. Et forsitan qui propter Deum non fueras te humiliaturus, humilias te propter lucrum, et facis rem pretiosiorem quam Deum. Tertio, quia omne judicium irritatio cordis est, et cogitationum malarum. Si semel in judicium ingressus fueris, jam non desideras ut veritas causae appareat, sed ut quocumque modo victor exsistas. Si autem videris quod causa tua, sicut frequenter solet fieri in judiciis, aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis expugnetur: necesse est similiter ut et tu aut verbis, aut fraudibus, aut pecuniis, causae tuae adesse festines. Et si ab initio consilium non habuisti, ut sic ageres, postea sic agere ipsius controversiae necessitas te compellit. Nam primum pro lucro tantummodo festinabas, postea jam et pro pudore contendis. Et magis contentus es etiam peccare tantum, ut vincas, quam vinci tantum, ut ne pecces. Haec Deus illis mandat, qui magis diligunt Deum, quam mundum. Nam qui lucrum animae magnum esse existimat, damnum rei modicum putat: nam qui damnum rei magnum existimat, lucrum animae minimum putat. Qui ergo difficilius putat rem dimittere, quam in judicio introire, hoc cogitet, quia difficilius est de judicio sine peccato exire. Facilius est enim ante judicium rem dimittere, quam judicio evitare peccatum. Nam ante judicium, sicut diximus, una causa avaritiae te compellit, post ingressum etiam causa pudoris. Et qui unam causam vincere non potuisti propter timorem Dei, duas quomodo vincas? Ergo sicut Joseph dimisit pallium in manu meretricis, et fugit cum meliore pallio castitatis: sic et tu projice pallium in manus calumniatoris, et fuge cum meliore velamento justitiae, ne forte dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animae vestimentum perdas. Deinde si viderint infideles te Christianum pro injuriis injurias rependere graviores, pro terrenis facultatibus, et usque ad perniciem animae saecularia pulsare judicia contra direptorem injustum: quomodo credant spem regni caelestis esse veram, quam praedicant Christiani? Facile enim spernunt terrena qui caelestia sperant. Qui autem terrena magnopere complectuntur, nescio si firmiter caelestia credunt promissa. Non solum ergo propter laesionem animarum nostraum percutientem sustinere debemus, auferenti quae nostra sunt non repugnare, sed etiam propter demonstrationem indubitabilium Christi promissionum: ut ille qui viderit te injurias proprias negligentem, terrenas etiam res quasi nihil spernentem, intelligat, quia vere est certissima spes Christianorum in caelis, pretiosior omnibus rebus terrenis, et vita jucundior omni fruitione vitae istius carnalis. 41. *Si quis te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ut patientia tua vincat illius crudelitatem, et ostendas quia major est benignitas Dei in sanctis, quam malitia diaboli in iniquis hominibus. Si autem tantum vadis quantum ille te cogit, quomodo cognosceris servus Dei? Nam in necessitate bonitas non apparet. Quod ergo cogit te, vade propter necessitatem hominis violenti: quod non te cogit, vade propter gloriam Dei benigni. Si unum vadis, putat te hominem qualemcumque fecisse, et non poenitet, quia te angariavit: si autem amplius vadis, intelligit, quia servus es Dei, et ideo incipit illum poenitere, quia vel unum te angariavit; et hoc tuum additamentum non fit illi majus auxilium, sed poena prioris audaciae. Deinde si illum quidem diabolus excitabit ad te angariandum, et tu videns tibi injuriam fieri, et aut verbis illicitis contradicas, aut factis non bonis resistas: et lucrum sanctitatis, quod multis forsitan bonis operibus acquisisti, propter dolorem modicum perdis. Quid ergo? Unum vade, ut satisfacias homini; alterum vade, ut te ostendas, et illum castiges; tertium, ut diabolum superabundanter confundas. Deinde haec omnia mandata in pauperis persona conveniunt:

Commented [p90]: Col.701

dentem autem hominis divitis et potentis quis excutit? Utinam ille alterius non excuteret. Tunicam divitis et potentis per calumniam quis tentat auferre? Utinam ille per calumniam alterius non auferret! Divitem et potentem quis angariat? Utinam ille alterum non angariaret! Ergo dives infructuosus est. Et quomodo adimpleat justitiam legis, et gratiae, ut fiat servus Dei perfectus? Quomodo? Si quis mutuam pecuniam petierit ab eo, det illi. Lex enim est, ut alterius non tollas, etsi tuum non des. Gratia autem, ut alterius non tollas, et tuum des. Qui ergo mutuam pecuniam dat, et legem implet et gratiam. Nam qui de suis libenter dat, et multo magis alterius bona non tollit. Dives ergo per patientiam non potest tentari, neque probari, quia nemo illi cito violentiam facit: in largitate autem tentatur, atque probatur. Item pauper per largitatem non potest tentari et probari, quia non habet unde largiatur, et ideo per patientiam tentatur, atque probatur, si benignitas ejus per injuriam non mutatur. Denique si veritatem considerare volumus, et intelligere rationem: quia divitiae nostrae non sunt nostrae, sed Dei. Deus enim dispensatores nos divitiarum voluit esse suarum, non dominos: et ideo cui voluerit, dat eas; et a quo voluerit, tollit: illud proprie nostrum est, quod in nostra est potestate habere, si volumus. Quomodo autem nostrum dicatur, quod etsi volumus, habere non possumus, nisi nobis fuerit datum? Deinde considera, ut quid tibi magis divitias credidit, quam illi? numquid ex alia massa luti te fecit, ex alia illum? et pro te Christum tradidit, pro illo autem aliquem angelorum? Si per omnia sic illum diligit, quomodo te, non ideo dedit tibi divitias, ut habeas eas, sed ut tenteris in eis. Ideo admonet Apostolus: *Divitibus hujus mundi praecipe non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed largos esse communicatores bonorum* (1. *Tim*. 6. 17). Nam pauper in sanctitate melior est, quam tu in rebus saecularibus. Tuae res proficiant ad illius sustentationem in hoc saeculo, ut et illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in illo: sicut ulmus infructuosa dat humorem viti, et vitis pro se et pro ulmo profert fructum. Ergo jubet nos Christus mutuum dare pecuniam, non tamen sub usuris: quia qui sub usuris mutuum dat, in prima quidem facie sua videtur dare, revera autem non sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur quidem necessitati succurrere, revera autem in majorem mittit necessitatem. De uno vinculo solvit, et multis vinculis alligat: et non propter justitiam Dei dat, sed propter proprium lucrum. Similis enim est pecunia usuraria aspidis morsui. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, et sic per suavitatem soporis moritur: sic et qui accipit sub usuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: et sic per suavitatem beneficii non sentit quomodo captivus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, et corrumpit: sic usura per totas facultates ejus discurrit, et convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conspersionem corrumpit, et trahit illam, et facit illam totam fermentum: sic quum usura in domum alicujus intraverit, totam substantiam ejus ad se trahit, et convertit in debitum.

Homilia decima tertia ex capite quinto (col.702-11)

43. *Audistis quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Levit*. 19. 18). 44. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Ecce sextum mandatum legem adimplens, minimum apud homines odibiles et invicem odientes, qui inimicum odire debere improba voce pronuntiare non erubescunt. Quod si

justum fuisset inimicos odire, Deus te inimicum ex gentibus numquam in suam suscepisset dilectionem. Ille pro te et Filium suum per omnia humanae compassionis opprobria traducit usque ad mortem, ille te inimicum suum adoptavit, coheredem Unigenito suo fecit, et tu vel nudam dilectionem inimico tuo reddere non vis? Quid tamen mirum, si grave illis videatur inimicos amare, qui nec amicis suis sinceram conscientiam servant? Nam cum sit mundus iste scandalis plenus, si amicos voluerint diligere tantum, non poterunt invenire quos diligant. Hodie enim iste illum offendit in re tali, cras ille istum offendet in altera re, et ita fit, ut si decreverit homo inimicos suos odire, necesse est ut odiat omnes, et odiatur ab omnibus. Vides quia sicut ex ira homicidium nascitur, et ex concupiscentia adulterium: sic ex odio inimicorum praeciditur etiam dilectio amicorum. Si autem ad tempus sustines eum quasi inimicum, postmodum victum benevolentia tua amabis eum quasi amicum. Puto quod non tantum pro inimicis nostris Christus illa mandavit, quantum pro nobis: non quia illi digni sunt, ut diligantur ab aliquo, sed quia nos non sumus digni, ut aliquem odiamus. Odium enim spiritus est tenebrarum, et ubicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanitatis. Ergo non tantum ideo jubet diligere inimicos, ut illos diligamus, quantum ut a nobis ipsis quod malum est repellamus. Et ideo non dicam, si laeseris inimicum, sed si oderis eum tantum, amplius tibi nocuisti secundum animam, quam illi secundum corpus. Et illi forsitan nihil noces odiens eum, te autem ipsum sine dubio laedis. Si ergo peperceris inimico, tibi amplius pepercisti, quam illi. Et si benefeceris ei, tibi amplius praestitisti, quam illi. Iterum commemoro quod superius dixi. Quoniam ignorantibus mysterium naturae humanae impossibile videtur diligere inimicum. Et vere impossibile est, quantum ad carnis naturam, quia passionibus subjacet: quantum autem ad animam, possibile est, quia proprii judicii est ideo: et regere et retinere potest carnem a passionibus. Numquam enim anima passibilem regeret carnem, si ipsa passionibus esset subjecta. Puto autem, sicut illud quod dictum est: Ego autem dico, Non concupisces: non loquitur Deus ad carnis naturam, quae non potest fieri ut non concupiscat quod suum est: sed ad animam, quae non concupiscere potest. Nam quando quis corporalibus quidem motibus excitatur, voluntas autem illius non inclinatur, ut faciat opus quod facere instigatur, sed stabili proposito, continentia et operatione justitiae, irrationabiles motus corporis frangit, et si corpore concupiscit, animus ejus non concupiscit; si autem consenserit explere quod cogitat, tunc vere dicitur animo concupiscere: sic et in hoc loco: caro quidem inimicum suum diligere non potest, quemadmodum nec est possibile, ut injuriam non sentiat sibi illatam; anima autem inimicum diligere potest, quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animae autem in intellectu. Propterea anima quidem secundum rationem vertitur, caro autem invertibilis in passione tenetur: quoniam anima libera est, et sub principatu Dei est; caro autem captiva est, et sub principatu diaboli est, sicut et mundus qui in maligno positus est, quoniam et ipsa caro de mundo est. Quando ergo nocemur ab aliquo, etsi odimus eum, non tamen exsequimur odium nostrum, considerantes Dei justitiam, sed magis confringentes motus doloris nostri, et benedicimus ei, et benefacimus. Cognosce quia caro quidem nostra odit inimicum suum, quae nocita diligere non potest, anima autem diligit inimicum. Alioqui si unusquisque motus suae carnis consideret, nullum bonum facere invenitur: quia omne bonum, adversante carnis natura, contradicentibus nobis ipsis explemus. Deinde qui te innocentem injuriatur, si incipias considerare quomodo a diabolo possidetur et agitur, quomodo voluntatem suam adimplet per ministerium ejus, non solum non irasceris ei, sed adhuc misereberis ejus: miseratio autem excitat affectum. Vis ergo diligere inimicum

Commented [p91]: Col.703

tuum? Si injuriam pateris, noli injuriam praesentem aspicere, sed considera gloriam, quam pro mercede in judicio consequuturus es. Si aequanimiter supportare volueris, si damnum passus fueris, noli hoc damnum aspicere, sed illud patientiae lucrum. Illis enim totum videtur difficile, qui retributionem non sperant futuri judicii. *Et benefacite iis, qui oderunt vos.* Sciens Dominus, quia carnis dilectio ex beneficiis carnalibus nascitur, ubi non fuit prius, et nutritur etiam, ubi fuit prius: ideo jubet nos benefacere inimicis, ut eorum odia nostris beneficiis compescantur. Si enim dando et accipiendo amicitia nascitur, quae non erat prius: consequenter et odium, et omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Ergo benefacite odientibus, ut ex vestra benevolentia ipsi se judicent, quia injuste vos odiunt. *Orate pro calumniantibus vos.* Orantes pro inimicis, non tantum illos, quantum nos commendamus Deo: et magis exaudimur pro inimicis orantes, quam pro nobis. Qui enim pro se orat, non gratiae opus exsequitur, sed naturae. Quis enim pro se non orat? Qui autem pro inimico suo orat, digne exauditur, quia gratiae opus exsequitur. 45. *Ut sitis filii Patris vestri.* In quo enim alio cognoscetur quia filii sumus Dei, nisi fuerimus similes Deo? Filii enim carnales frequenter similantur carnalibus patribus, in facie, aut in loquela, aut in risu, aut in aliquo corporis signo: filii autem spirituales in sanctitate. Et illi quidem etsi similes fuerint, laudem nullam merentur, et si dissimiles, nullam viturperationem quia non est in potestate hominis qualem accipiat corporis qualitatem. Filii autem Dei, siquidem similes fuerint, laudandi sunt: si autem dissimiles, nimis vituperandi, quia in potestate uniuscujusque est mensura faciendae justitiae. 46. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Qui amicos diligit, propter se diligit, non propter Deum, et ideo nullam habet mercedem: delectat enim eum ipsa dilectio. Qui autem inimicum suum diligit, non propter se diligit, sed propter Deum: ideo magnam habet mercedem, quia contradicit motibus suis. Ubi enim labor seminatur, illic metitur fructus. 48. *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester perfectus est.* Qui diligit amicum, peccatum quidem non facit, justitiam autem non operatur. Dimidium enim bonum est, hominem discedere a malo, et non sequi bonum: perfectum est autem, ut non solum fugiat malum, sed etiam faciat bonum. Ideo dicit, Perfecti estote, ut et amicos diligatis propter peccatum vitandum, et inimicos propter justitiam habendam: quoniam illud de poena liberat, hoc autem ducit in gloriam: nec enim est perfecta Dei imago, quae non per opera similat Deum. *Ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum jubet oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Caute posuit dicens, *Super justos et injustos*, non, Super injustos, ut justos, quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos. Contentus est enim magis, ut peccatores contra meritum suum bonis Dei fruantur, quam ut justi contra meritum suum a bonis ejus fraudentur. Similiter et quando Dominus a peccatoribus irritatur, castigationem suam non propter homines bonos mittit, sed propter solos peccatores: tamen aequaliter et justos tangit, quemadmodum et peccatores. Nam quemadmodum in bonis non separat peccatores a justis: sic nec in malis separat justos a peccatoribus. In bonis peccatores a justis non separat, ne separati cognoscant se abjectos esse et desperent: in malis justos a peccatoribus non separat, ne separati cognoscant se electos, et glorientur: maxime cum nec malis bona prosint, sed noceant magis, nec bonis mala noceant, sed prosint magis. Nam male viventes dum bona percipiunt, ad praejudicium suum percipiunt: et boni dum mala patiuntur, ad lucrum justitiae eis procedit. 1. *Attendite autem ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* (*Cap.* VI.) In superioribus Christus mandavit diligere inimicos,

Commented [p92]: Col.704

benefacere eis. Videns autem quia in ipso beneficio laqueus diaboli latebat inclusus, qui bonorum operum solet perdere fructum: nam vana carnis natura, quemadmodum primum difficilis est ad benefaciendum, ita etsi benefecerit, facilis est ad jactantiam boni operis: propterea et in hac parte nos instruit, dicens: *Attendite vobis ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis*: ut bonum vestrum non ad ministerium vanitatis proficiat, sed ad usum salutis. Quod autem prae omnibus vitiis carnalibus periculosius esse in hominibus intellexit, hoc cautius cavendum mandat, dicens: *Attendite ne eleemosynam vestram coram hominibus faciatis*: quoniam omnia pene mala servos diaboli vexant. Concupiscentia autem vanae gloriae non solum servos diaboli, sed etiam servos Dei, et viros fideles impugnat: magis autem servos Dei, quam servos diaboli. Ubi enim res agitur gloriosa, ibi facilius locum invenit gloriationis occasio. *Attendite.* Quid autem attendamus? locum secretum ubi homines non sunt? Sed quid prodest, si in loco quidem homines non fuerint, in corde autem fuerit cogitatio vana? Melius est ergo, ut in corde non sit cogitatio vana, quam ut homines non sint in loco. Si ergo cor nostrum attendere debemus, non oculis carnalibus aspicere, sed sensu vigilare necesse est circa cor: invisibilis enim est serpens et lubricus, quem observare jubemur, et latenter in sensus ingreditur, et seducit. Ideo enim non potest eum caro sordida aspicere, sed anima munda. Sicut enim in loco mundo et specioso, si modica sordes fuerit, de longe apparet : si autem ipse locus sordidus fuerit, quantumvis stercoris jaceat ibi, non apparet: nec enim potest requiri, si est ibi aliquid stercoris, ubi totum est stercus: sic et in corde mundo si surreptio inimici successerit, mox cor suum homo rectus discernit, quia a spiritu alieno pulsatur: si autem cor fuerit iniquitatibus plenum, suggestionem diaboli in se facile non intelligit. Quomodo enim introitum ejus intelligat, qui semper in eo est? Ideo et ante praemisit, dicens: Ne irascaris, ne concupiscas, ne jures, ne malum pro malo reddas, ne odias proximum tuum: quoniam qui malis omnibus istis subjectus, cor suum non potest attendere, nec intelligere diaboli seductionem in eo, quia in veste candida macula cito apparet, nigra autem vestis etsi tota sordidata fuerit, non cito apparet. Et quomodo non potest fieri, ut coram hominibus eleemosynam faciamus, aut facientes non sentiamus? si praesente aliquo occurrerit pauper, quomodo detur ei absconse? Nam etsi non videtur quod datur, tamen videtur quia datur, ducendo eum secreto.

Non prohibetur coram hominibus dari eleemosyna, sed vanae gloriae venatio inhibetur. – Sed considera, quia non dixit tantummodo, *Ne coram hominibus faciatis*: sed addidit, *Ut videamini ab eis*. Qui ergo non ideo facit, ut ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse. Ergo si sic facere eleemosynam non est possibile, ut nullus videat, aut sentiat: tamen eo proposito facere, ut non ab hominibus videamur, possibile est. Dicit enim Dominus: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant homines opera vestra bona*, etc. (*Matth.* 5. 16). Sicut ergo accensa lampas abscondi non potest: sic nec opus justitiae potest celari. Ergo non eleemosyna ingrata est ante Deum, quae hominibus visa fuerit, sed quae ideo facta fuerit, ut ab hominibus videatur. Utputa, omnis homo qui aliquod opus facit, cujus causa facit id quod facit, in corde suo illius aspicit et personam. Ecce facis epistolam, ut aliquem salutes amicum; quamdiu scribis, semper in corde tuo amici illius vides personam, propter quem scribis epistolam. Item artifex tenens opus in manu, semper eum prae oculis suis habet, qui ei opus commisit faciendum, dum cogitat quomodo illud facere mandavit: sic et qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. Ideo etsi evenerit ut quibusdam praesentibus faciat,

Commented [p93]: Col.705

tamen animus ejus homines illos non videt, etsi ipse videatur ab eis. Numquam transisti per viam aliquid cogitans, et a multis quidem hominibus visus es, ipse autem nullum vidisti, intendens in id quod cogitabas? Quia animus sine corpore apud seipsum potest videre quod cogitat, corpus autem sine animo nihil potest videre. Ergo similiter et e contrario fieri potest, ut quis, nullis praesentibus, eleemosynam faciat, et tamen, praesentibus hominibus, videatur fecisse; utputa qui propter homines eleemosynam facit: id est, qui desiderat ut ab hominibus videatur, semper in corde suo personas hominum videt: ideo etsi evenerit ut faciente eo nullus sit praesens, tamen coram hominibus fecisse videtur, quia cor ejus semper hominum personas videbat. *Alioqui non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Et mandatum dat, et poenam proponit, ut vanitatem humanam etsi non amor justitiae tenet, vel timor damni refrenet. Scit enim Dominus vanitatibus subditam esse carnis naturam: quia omnis homo quantum ad carnem delectatur hominibus apparere. Non enim fieri potest, ut caro nata de vanitate non sit vanitatis amatrix: nec Dominus admoneret nos, ut ne coram hominibus faciamus, nisi sciret omnes homines velle coram hominibus facere. Quis mandat alicui, Ne forniceris, nisi quem intelligit esse lascivum? quis mandat alicui, Nolite inebriari, nisi quem ebriosum esse cognoscit? Sic et admonitio Christi de fugienda vanitate demonstratio est vanitatis humanae. Attamen mandat, quia etsi caro vana vanitatem desiderat, et terrena conditio gloriam suam quaerit in terra, quia non potest terrestris natura gloriam desiderare caelestem: tamen anima quae de veritate nata est, potest fugere vanitatem terrenam. Caro animae subjecta est, non anima carni. Caro enim adversus animam certare potest, vincere non potest, nisi ipsa anima consenserit ut vincatur. Anima autem adversus carnem et certat, et vincit. Ergo et qui plena quidem voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur: super cujus autem cor cogitatio quidem vana ascendit, desiderans hominibus apparere, anima autem intelligens vanis cogitationibus contradixit, et repulit consilium carnis, ille propter homines non videtur fecisse: quia secundum carnem quidem voluit, secundum animam autem noluit. Et quod cogitavit, passio carnis est: quod elegit, judicium animae. Nam si propter vanam carnis concupiscentiam dicimus eleemosynam factam esse ingratam, nullum bonum hominis acceptabile potest esse ante Deum, cum nullum bonum libere homo facere potest, sed semper contra malas concupiscentias carnis certando faciamus bonum. Quis autem est homo castus? numquid qui non concupiscit? Absit: sed qui concupiscentiam suam vincit. Quis est mansuetus? numquid qui non irascitur? Absit: sed qui refrenat iracundiam suam. Sic non ille propter Deum videtur facere eleemosynam, qui humanam gloriam non concupiscit, sed qui humanam gloriam animae contradictione confringit. Alioquin in omni opere bono nec habemus mercedem, nisi malis contrariis urgeamur per carnem. In omni enim opere bono scandalum diaboli positum est, sicut scriptum est de daemonibus: *Juxta semitam scandala posuerunt mihi* (*Psal.* 139. 6): ut ipsum bonum non sit securum, si solum: sed juxta malum positum, semper tentatum sit, et probatum. Sicut enim ubicumque fuerit triticum, necesse est ut inveniantur illic et zizania: sic ubicumque fuerit bonum Dei, illic erit et scandalum inimici. Quid ergo? Ecce proposuisti facere eleemosynam, sed ascendit super cor tuum velle hominibus apparere, numquid debes subtrahere manum tuam, ut ne des locum vanae cogitationi, dicens apud te: Melius est nec facere bonum, ne tantum inveniar propter homines facere? Absit: sed perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanae resistere, perdas opus bonum. Veniat tibi in mentem, quod Dominus ait de tritico et zizaniis: *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne eradicantes zizania, simul*

Commented [p94]: Col.706

eradicetis et triticum (*Matth*. 13. 30). Triticum est enim voluntas bona, quam seminat Deus in homine: zizanium autem est cogitatio mala, quam diabolus seminavit per carnem. Cum ergo omni voluntati bonae adhaereat et desiderium malum, si volueris malam cogitationem tuam ad plenum tollere, simul tollis et opus bonum. Nam et ipse diabolus eo consilio seminavit zizanium suum in tritico Dei, ut attrita zizania ejus suffocent triticum Dei: aut si quis voluerit diaboli zizanium tollere, simul eradicet et triticum Dei. Numquid et continens, aut virgo, mox ut concupierit, jam cecidit? Tantum plena voluntate non concupiscat, ut velit implere concupiscentiam suam: si autem ex necessitate carnis concupivit, et contradixit concupiscentiae suae, non peccavit, sed magis gloriosior est effectus, quia vicit tamquam si non fuisset pulsatus. Quid ergo dicit Scriptura? Sine ut maturescant utraque: id est, Adimpie opus tuum, et duc ad perfectum: et sic illa quidem vana cogitatio quasi zizanium exsiccatur, id est, solvitur, evacuatur, et perit: bonum autem opus quasi triticum manet. Nam sic intelliges, si ex voluntate tua fuerit illa vana concupiscentia, aut ex necessitate carnis. Si ex voluntate tua fuit, doles si te facientem eleemosynam tuam nullus aspexit: si autem gaudes postea, quia eleemosyna tua in silentio facta est, scito quia concupiscentia tua non fuit ex animo tuo, sed ex necessitate carnis: et ideo quasi zizanium aruit. Sic et continens concupiscentiam suam probare potest. Si ex animo ejus est quod concupiscit, si etiam postquam transierit concupiscentia, voluntatem habet peccandi: tunc ex voluntate ejus est concupiscentia. Si autem gaudet, quia non praevaluit adversus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat, quia zizanium fuit ex necessitate carnis natum, et non fuit animae ejus voluntas. *Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum.* Quid enim a Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, et ab eo recipitur: quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, et a nullo speratur. Quid est enim aliud hominum laus, quam ventorum transeuntium sonus? Cessaverunt homines loqui, et perdidit fructum suum, quia propter homines fecit, ut ab eis laudaretur. Quae est autem sapientia, res dare, et verba vacua comparare: aut certe mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in caelis, et fugientes hominum sermones eligere? Melius est enim non facere quam propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in caelo non invenit, vel super terram nihil perdit: qui autem propter homines facit, et in terra perdit, et in caelo non invenit. Vel illum aspice, a quo laudem exspectas; quid sentit de te? Ideo te laudat, quia propter Deum te facere putat. Si autem intelligeret quia propter cum facis, non te laudaret, sed vituperaret magis. Quid ergo illi placere festinas, qui si te aliquando intellexerit, deridebit? Sic est homo, qui propter homines facit bonum: sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suae comedit omnes mercedes suas: cum autem tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic ergo vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desideravit in saeculo. 2. *Tu ergo cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae.* Vere enim subresponsor est, qui propter homines facit. Aliud enim habet in corde, et aliud monstrat in opere. In facie quidem propter necessitatem hominum facit, et videtur misericors: in corde autem propter vanam gloriam suam agit, et est vanae gloriae mercator. Tuba enim est omnis actus vel sermo, per quem operis jactantia demonstratur. Puta, qui quando videt aliquem praesentem, facit eleemosynam, extra autem non facit: hoc tuba est, quia per hoc ejus jactantia praedicatur. Item qui intercedente aliquo facit eleemosynam, ubi autem non est intercessor, non facit: haec consuetudo mala tuba est. Item qui si viderit honestiorem personam, quae potest referre, dat ei: obscuro autem, et alligato pauperi passionibus nihil dat: et hoc tuba est, etiam si in loco secreto fecerit, eo

Commented [p95]: Col.707

tamen proposito, ut laudabilis videatur: primum, quia fecit, secundo, quia absconse: ipsa absconsio tuba est eleemosynae ejus, et quicquid illud fecerit homo, per quod apparet, aut vult apparere, quia fecit, tuba est: quia per illud ipsa eleemosyna dum fit, clamat de se. Ideo non tantum locus, nec actus secretus servandus est, sed magis voluntas secreta. Nam in omni actu carnali diabolus fraudem facere potest, in sola conscientia non potest fieri dolus: quia hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Numquid non intelligit homo hoc esse vanum, quod ab hominibus vult videri? Sed cogitur amare quod intelligit vanum. Quid miserius quam natura humana? Omne animal potest amare quod sibi intelligit bonum, et odire quod intelligit malum: solus homo, quod intelligit malum, amare cogitur, et odire quod intelligit bonum: quia duas habet in se adversantes naturas. Quod carni placet, animae displicet; et quod animae placet, carni displicet: ut, sicut ait Job, omnis vita nostra tentatio sit. Quod si omnis vita nostra tentatio est, omnis vita nostra et lucrum est. 3. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Jamdudum significavimus haec omnia ad animam dici, non ad carnem, quod hic sermo manifeste declarat. Alioqui quantum ad corpus, quomodo potest fieri ut nesciat sinistra quid dextera faciat, cum ambae manus in adjutorium sibi invicem sint creatae, ut altera alteri administret, nec cito inveniatur opus quod una manus sine altera possit implere? Sed secundum quod diximus supra, dextera manus est voluntas animae, semper ad bonum contendens; sinistra autem voluntas carnis, semper Deo contraria. Nesciat ergo carnis voluntas, quod facit voluntas animae. Quando ergo voluntas est nobis faciendi eleemosynas propter Deum, voluntas est animae, et dextera manus nostra. Si subeuntem nobis voluntatem vanam, ut ab hominibus videamur, id est voluntatem carnis, et manum sinistram represserimus, nescit sinistra voluntas quid facit dextera. Si autem subeunti hujusmodi vanae voluntati consenserimus, conjunximus sinistram voluntatem dextrae, et dextram sinistrae: et notum fecimus sinistrae quod dextera operabatur. Aliter certe, sicut apostoli interpretantur in libro Canonum, qui est de episcopis. Dextera est populus Christianus, qui est ad dexteram Christi: sinistra autem omnis populus, qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit, ne Christianum facientem eleemosynam, qui est dextera, infidelis aspiciat, qui est sinistra. Christianus autem si Christianum viderit eleemosynas facientem, non est contra Christi praeceptum, quoniam ambo dextra sunt. 4. *Sed sit eleemosyna tua in absconso.* Non tantum in abscondito loco, quantum in abscondito conscientiae. Nam si anima citra claustra bonae voluntatis inclusa sit, corporales actus nostros abscondere possumus: si autem anima per vanas cogitationes fuerit evagata, nihil prodest actus corporales abscondere: quia sic abscondimus, ut amplius publicemus. *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.* Vide quia absconsum cordis, non loci significat. Deus enim in absconso cordis est, non in absconso loco. Considera quia non ideo voluit Deus nos in absconso facere, ut non appareat opus nostrum. Alioqui quomodo dicit: *Sic luceat lumen vestrum, ut videant homines opera vestra bona, et magnificent Patrem vestrum, qui in caelis est* (*Matth.* 5. 16)? Sed ut ipse id ostendat. Nam gratius est omne bonum, quod a nobis absconditur, a Deo autem ostenditur. Nam si tu teipsum ostendas, pauci sunt qui te laudent: id est, qui non intelligant, quod tu latere potueris: qui autem intellexerit, vituperat magis, non laudat. Si autem te Deus ostendat, nemo vituperat, nisi forte malus, cui displicet bonus. Impossibile est enim, ut bonum opus hominis in abscondito dimittat Deus: sed in hoc saeculo manifestat eum, et in illo glorificat, quia gloria Dei est. Sicut autem opus malum hominis ad gloriam diaboli est; in eo enim malitiae ejus virtus ostenditur: sic et opus bonum gloria Dei est; in eo enim

Commented [p96]: Col.708

gloria ejus ostenditur. Sicut ergo diabolus, qui suggerit malum fieri, ipse manifestat malum: utputa ipse suggerit adulterium facere, et ipse manifestat adulterium: ipse suggerit homicidium, et ipse publicat homicidium: sic Deus, qui dat bonum fieri, ipse publicat omne bonum in manifesto, id est, in saeculo illo futuro, quia hic merces justitiae manifesta non potest esse: puta pro bono opere tuo, si te fecerit divitem: quoniam hic non solum boni, sed etiam mali divites sunt, magis autem mali quam boni, ideo merces justitiae in divitibus non apparet. Si tibi dederit habere filios, et filios filiorum, qui etiam in bonis et malis indifferenter et boni et mali inveniuntur: et ideo justitiae merces manifesta non potest esse, cum omne bonum, quod est in hoc saeculo desiderabile, inter bonos et malos commune est: ideo si bonis datum fuerit, non apparet. Illius autem saeculi bona non sunt communia inter bonos et malos, sed tantum bonorum. Ideo cuicumque illic benefecerit Deus, manifestum est quia pro mercede justitiae suae meruit illud bonum: nisi forte sic in hoc mundo reddit in manifesto, faciens eum omnibus manifestum, et glorificans eum, ut omnes, cognoscentes eum Dei hominem esse, venerentur eum. Aut si secundum opera aestimetur, et status bonorum mundi istius: utputa, multi incurrunt mala, et boni et mali in saeculo isto: unde intelligimus quis tentatur in eis quasi bonus, et quis punitur quasi malus, secundum opera. Si cujus enim opera videamus bona, scimus quia tentatur quasi justus: cujus autem mala, dicimus quia punitur in eis, quasi peccator. Sic et bona mundi videmus et peccatores habere, et interdum justos: propterea secundum opera est manifestum. Quoniam malus quidem, si bona in hoc mundo fuerit consequutus, dicimus quia nutritur hic inde iniquitas ejus, ut illic intereat gravius. Si autem bonus, dicimus quia reddidit ei Deus mercedem justitiae suae. 5. *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant stare in synagogis.* De oratione sermo est nobis, quam solam quasi spirituale talentum anima offert Deo de visceribus suis. Omnem enim justitiam, quam facit homo, secundum potentiam suam facit, et de potentia sua profert: solam autem orationem secundum fidem suam facit, et ex fide sua profert. Vis autem scire quam pretiosa sit oratio? Nulla justitia thymiamati assimilatur, nisi oratio sola: sicut in revelatione Joannis ostenditur, quomodo magnus angelus ante conspectum altaris processit, habens in manu thuribulum incensi odoramentorum, et dictum est ei: *Istae sunt orationes sanctorum* (*Apoc*. 8. 3. *et* 5. 8). Sicut enim thymiama bene confectum delectat hominem odorantem: sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem ejus? Mox ut de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, et offerunt ante Deum, sicut dicit archangelus ad Tobiam: *Ego sum, qui orationem tuam obtuli ante Deum* (*Tob*. 12. 12). Vis scire virtutem ipsius? Oratio trium puerorum fecit, ut ignis ardens non adureret eos, sed delectaret: ut flamma quidem videretur in specie, umbraculum autem esset in opere suo. Quanto ergo gloriosa est, tanto caute servanda est, ne propter homines facta vilescat. *Qui amant in synagogis orare.* Putas quia in synagoga vetat orare, in conventu hominum? Sed eo proposito in conventu hominum vetat orare, ut videatur a conventu: alioquin in conventu fidelium orare laudabile est, sicut dictum est: *In ecclesiis benedicte Dominum.* Et iterum: *Adorate Dominum in regia sancta ejus* (*Psal.* 67. 27 *et* 28. 2). Puto autem et hoc ad locum non refert Dominus, sed ad propositum orantis: quoniam qui sic orat, ut videatur ab hominibus, mens illius non Deum aspicit, sed homines, qui sunt ibi, et videtur sibi in medio multorum orare. Ille talis quantum ad propositum suum in synagoga orat. Ejus autem orantis mens solum aspicit Deum, si in illa hora est mens ejus, quasi nullum habeat circa se, quia mens illius nullum videt, qui propter neminem orat. Et ideo quamvis in synagoga orat, tamen in secreto apud se videtur

Commented [p97]: Col.709

orare. Deinde ut orans nihil novum faciat, quod aspiciant homines: nec quis voce clamet, ut audiatur ab aliis, nec expandat manus suas, ut Pharisaeus in templo, ut videatur a multis: neque pectus suum aperte percutiat, sed absconse sicut publicanus in templo, neque impudenter oculos tollat ad caelum, ut notabilis fiat: et ita quem nemo audit clamantem, nemo aspicit tale aliquid facientem, et inter multos stans, in secreto est. *Et in angulis platearum*: Non dixit, In plateis: sed, *In angulis platearum*: ut ne si in plateis oraverint, quasi simulatores religionis vituperarentur, sed in angulis, ut videantur absconse orare. Astuta vanitas! Sciunt enim quia hoc opsum absconse orare laudabilius est: ideo fingunt se abscondere ut dupliciter laudentur. Primum, quia orant; secundo, quia absconse orant: et amplius se manifestant per hoc ipsum quod se absondunt. Dic, hypocrita, ut quid vis ut videaris orans? Nonne quia laudabilis res est orare? Ut quid ergo non vis esse laudabilis, qui vis ut lauderis? O insania vanitatis! esse nolunt, quod desiderant apparere. *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam.* Unusquisque ubi seminat, ibi metet: et quod seminat, hoc et metet. Propter homines orant, non propter Deum: sic et ab hominibus, non a Deo laudantur. Mendaciter orant, cum non orent: et mendaciter laudantur, cum non sint laudabiles: speciem vacuam religionis vendunt, et verbum vacuum laudis emunt. Sicut oratio eorum Deum non delectat, sic nec laus hominum eos adornat. Quod enim in verbo positum est, tamdiu est, quamdiu dicitur verbum: cum autem finitum fuerit verbum, finitur et bonam, quod positum erat in verbo. 6. *Tu autem cum oras.* Tu qui vis, ut exaudiaris, non ut videaris: qui esse vis laudabilis, non apparere: qui in auribus Dei, non in oculis hominum loqueris. *Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum.* Ut nemo sit ibi, nisi tu, qui oras, et ille, quem oras: et ne quis tecum sit alter, praeter eum, quem necessarium habes. Testis enim orantem gravat, non adjuvat: quia Deus orationibus non exigitur, sed placatur. Alterum dico alterius cordis. Qui autem ejusdem sunt cordis, etsi multi fuerint oratores, unum sunt, quia unus spiritus orat in omnibus, sicut dictum est: *Omnium autem credentium erat cor unum, et anima una* (*Act.* 4. 32). Melius haec enim spiritualiter intelliguntur ad animam dicta. Cubiculum enim est cor vel intellectus interior, id est, spiritualis: sicut scriptum est: *Quae dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* 4. 5). Ostium autem est sensus carnalis exterior, per quem omnia bona vel mala super animam intrant. Sicut in Canticis ex persona Ecclesiae Sapientia dicit: *Ecce dilectus meus pulsat ostium. Aperi mihi, soror mea, proxima mea* (*Cant.* 5. 2). Pulsat autem Christus hominem Christianum aut per Scripturas divinas, aut bonas cogitationes super cor ejus inducens: et ille qui suscipit eas, aperit Christo: qui autem expellit, claudit. Jubet ergo ut anima interiorem ingrediatur intellectum, quando orat; ut nihil cogitet, nisi de quo orat, et quem orat; ut claudat ostium sensus sui carnalis, ut omnes cogitationes carnales et sollicitudines foras excludat. Si autem orans de carnalibus rebus cogitaveris, non introisti in interiorem intellectum, nec clausisti ostium sensus; et ideo tacite cum cogitationibus superfluis anima loquens, orationis perdit tempus. Secundum hoc et illud superius intelligi potest. In media enim synagoga orat, qui in medio multitudinis malarum cogitationum orat, undique mundialibus sollicitudinibus circumdatus. Quando enim orans cogitat de uxore, de filiis, de mancipiis, de domo, de possessionibus, de pecoribus, de militia, de lucro, de capsis, et aliis quae sunt innumerabilia, quae super cor incaute orantis ascendunt: nonne tibi videtur haec synagoga malorum? Omnes enim istae variae species cogitationum diversi sunt immundi spiritus. Quomodo ergo non in media synagoga orat anima tua, quando tot secum immundos spiritus habuerit spectatores et colloquentes? Possumus

Commented [p98]: Col.710

intelligere et ostium domus os corporis, ut non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tacito. Nam ex clamosa oratione multa mala nascuntur, maxime haec tria. Primum, qui clamose orat, non credit Deum ubique esse, et absconsa audire. Ideo dupliciter Deum honorat, qui absconse orat: primum, quia orat: secundo, quia credit cum absconsa audire, sicut et audit. Nam Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus: quia non est vocis auditor, sed cordis. Secundum autem malum, quod mysteria secretarum petitionum tuarum, quas forte non oportebat alterum scire praeter te et Deum, in auribus bonorum hominum et malorum audienda committis, et non solum non audiris a Deo, quia indisciplinate orasti, sed adhuc ab hominibus derideris, quibus absconsa tua manifestasti. Tertium vero malum, quia clamose orans, juxta te alterum non permittis orare. Vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones, et ideo non solum non exaudiris, quia male oras: sed adhuc peccatum colligis, dum orare alios non permittis. Sic ergo ora, sicut audisti in libro Regnorum Annam orantem, quae figuram portabat Ecclesiae, de qua dictum est: *Labia quidem ejus morebantur, vox autem ejus non audiebatur*. (1. *Reg.* 1. 13) *Et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi palam.* Ut tunc cognoscant homines quid orasti, cum viderint te accepisse quod orasti. 7. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* Quos orant gentiles videamus, ut sciamus quare sic orant. Orant daemones, qui etsi audiunt, exaudire non possunt. Nam neque mala praestare possunt, nisi permiserit Deus. Orant reges mortuos, Jovem, Mercurium, caeterosque, quorum crimina sunt manifestiora quam nomina, qui nec cum viverent, poterant adjuvare. Orant idola insensata, quae nec audire possunt, nec dare responsum. Juste ergo diu clamant ubi qui exaudiat non est. Propterea cum sacerdotes Baal deos suos clamarent propter sacrificia comburenda, deridens eos Helias dicebat: *Clamate, clamate fortiter; forsitan dormiunt dii vestri* (3. *Reg.* 18. 27). Sic et modo quasi dormientem Deum accusat, qui orationem suam longo sermone prosequitur. 8. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit antequam petatis eum.* Si ergo praecognoscit quid volumus, non ideo oramus ut exponamus Deo quod volumus, sed ut placeat ei praestare quod desideramus. Et si Deus placandus est, non docendus: non est ei necessaria longa narratio, sed bona voluntas. 9. *Sic ergo orabitis vos*.

Homilia xiv. ex capite vj. (col.711-15)

9. *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum,* etc. Patrem se magis, quam Dominum voluit dici, ut nobis magnam fiduciam daret ad petendum, et spem largam ad impetrandum: quia servi non semper impetrant quod petunt; nec enim semper ex bona conscientia quae justa sunt petunt. Nam frequenter servi non considerant quid ad utilitatem domini pertinent, sed ad suam; ideo non merentur semper audiri. Filii autem semper impetrant, quia ex bona conscientia quae justa sunt petunt: nec considerant magis quid ad utilitatem suam pertinet, quam ad patris; ideo semper merentur audiri. Et tu si filium Dei te credis, illa pete quae et tibi expediunt accipere, et illum decet praestare: si autem semper ab eo petas carnalia et terrena, aut difficile impetras, aut forte nec impetras. Quomodo tibi illa praestat libenter non habenti, quae etsi habeas, ubique admonet te ut contemnas? *Pater noster. Noster*, dixit, non, Meus: libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare naturae est, pro altero

autem gratiae: pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem caritas fraternitatis hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat. *Qui es in caelis*. Vult ut sciamus nos Patrem habere caelestem, ut erubescamus nos terrenis rebus substernere, scientes nos Patrem caelestem habere. Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic et Christianus injustus ad blasphemiam pertinet Dei justi. Nam sicut per bonos Christianos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur. *Sanctificetur nomen tuum.* Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? aut quod sanctum est, ut quid sanctificatur? Sed in se quidem sanctum est; hoc autem quaeritur, ut sanctificetur in nobis: id est, ut nos illum sanctificemus in nobis, ut cum nos illum sanctificaverimus in nobis, tunc ille nos sanctificet in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur a Deo. Sanctificamus autem Deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, et sollicite vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis ejus in nobis per opera nostra mala. Sicut qui praeclara veste vestitus est, fugit omnem rem sordidam, ne forte coinquinet eam, et perdat gratiam candoris ejus: sic qui suscipit Deum in corde suo et spiritu suo, sollicitus esse debet, ne forte contaminet eum, sciens quia si contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet: tamen contaminationis suae injuriam graviter nostro vindicabit interitu.

Regnum Dei quid. – *Adveniat regnum tuum*. Regnum Dei dicitur retributio vel tribulatio, quam accipiunt aut justi pro mercede justitiae, aut peccatores pro culpa peccati. Regnum Dei dicuntur et sancti, sicut scriptum est: *Et colligent zizania de regno ejus* (*Matth.* 13. 41), hoc est, de populo Christiano. Regnum Dei dicitur et justitia, sicut dicitur: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* 21. 43). De omnibus unus est intellectus. Aliud est regem esse, et aliud regnare. Ecce enim Deus naturaliter rex est, sed non in omnibus regnat: nec omnes homines sunt regnum ejus, quia nec faciunt omnes voluntatem ipsius. Nam in iniquis hominibus non Deus, sed diabolus regnat, cujus faciunt voluntatem. Unde sapienter ait Apostolus, dicens: *Adversus rectores hujus mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* 6. 12). Non dixit, *Adversus rectores hujus mundi*, tantummodo: sed addidit, *Mundi tenebrarum*, quia non totius mundi sunt domini daemones, sed tantummodo tenebrarum, quae sunt in mundo. Tenebrae autem mundi dicuntur homines iniqui: sicut et sancti, mundi lux appellantur. Sicut ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* 5. 8). Quia sicut per sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos homines obscuratur. Et potestatem quidem habet Deus in hominibus et perdere omnes si vult, sicut et ipsum principem peccatorum diabolum. Nam sicut diabolus, cum sit in potestate Dei, tamen quoniam quantum ad propositum suum non vult esse Dei, non est de regno Dei: sic et omnes peccatores quamvis sint in potestate Dei, tamen quia nolunt esse sub Deo, non sunt regnum Dei. Nam vere justum regnum est, quando et rex vult homines habere sub se, et cupiunt homines esse sub eo. Quando autem rex per violentiam cogit esse sub se, illud quantum ad veritatem non est regnum, sed tyrannis. Ideo et Deus, quamvis habeat homines in potestate, tamen volentes recipit tantum, ut non sit tyrannus, sed rex. Diabolus plane tyrannus est, quia et nolentes compellit facere voluntatem suam. Quid est ergo quod dicit? Quia interim duo sunt regna in mundo, Dei et diaboli, id est, justi et iniqui: et hoc quaeritur, ut tollatur de medio regnum diaboli, id est, iniqui: et veniat tantummodo regnum Dei, id est, justi: et ideo dicit, Tuum unum regnum adveniat, quia interim non omnes sunt Dei. Quod tunc fiet, quando omnes iniqui cum principe suo diabolo mittentur

Commented [p99]: Col.712

in stagnum flammeum inferorum. Omnes autem sancti resurgent, et euntes in obviam Domino venient in aere, et semper in hoc mundo erunt cum ipso, ut omne quod est in hoc mundo, totum sit Dei. Sic intelligendum est et de justitia, quoniam modo et justitia et iniquitas regnant: cum autem exstincta fuerit iniquitas, sublato diabolo, tunc justitia sola regnabit. *Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra*. Numquid non facit Deus quod vult ubique? Dictum est enim, quia, inquit, *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis* (*Psal*. 134. 6). Sed hoc quaeritur, ut in nobis fiat voluntas Dei, id est, ut eam nos faciamus. Quamdiu ergo regnum mixtum est in terra, fit quidem voluntas Dei in hominibus, sed non sicut in caelo. In caelo enim omnes angeli nullius faciunt voluntatem, nisi Dei tantummodo: in terris autem non omnes faciunt Dei voluntatem: iniqui enim diaboli faciunt voluntatem. Cum ergo regnum diaboli, hoc est, iniqui sublati fuerint de hoc mundo, tunc omnes, qui sunt super terram, solius Dei facient voluntatem, sicut angeli omnes in caelo. Communiter autem accipi debet quod ait, *Sicut in caelo, et in terra*: id est, *Sanctificetur nomen tuum*, sicut in caelo, et in terra. *Adveniat regnum tuum*, sicut in caelo, et in terra, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra*. Et vide quam caute loquutus est. Non dixit, Pater, sanctifica nomen tuum in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis: ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnum suum super quos vult adducere, aut voluntatem suam in quibus vult facere, et per hoc inveniatur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit, Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatem tuam, sicut in caelo, et in terra: ne hominum tantummodo videatur esse quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum ejus, aut quod faciunt voluntatem ipsius: sed medie dixit, et impersonaliter: id est, *Sanctificetur*, *adveniat*, *fiat*: ut utriusque personae opus necessarium demonstraret, quia et homo Deum necessarium habet, et Deus hominem ad justitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adjutorium Dei: sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat: sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine justitiam operatur in homine. Ac si dicat, Si haec agitis, haec oratis, digni filii estis hujusmodi patris. 11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. In prima quidem facie sic videntur verba sonare, ut qui dicunt, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, non habeant in crastinum, aut in procrastinum praeparatum, ut possint dicere, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Qui autem in crastinum paratum habet, aut in quinque, aut in decem dies, quomodo potest dicere, Panem meum quotidianum da mihi hodie? Illud enim petitur, quod interim non habetur: quod autem possidetur, ut quid adhuc requiritur? Quod si est, oratio ista aut paucis potest convenire, aut forsitan nulli. Quis enim ita fidelis, ut cum possit amplius habere, tamen amplius sibi non reservat, nisi quotidianum victum? Forsitan solis conveniebat apostolis, qui docendi gratia per singulas civitates omni tempore vagabantur, et ipsa vagatio amplius quotidiano victu possidere non poterat. Sed ita debemus aptare Christi doctrinam, ut omnes in ea proficiant, ne forte communis medicina justitiae, quae ad salutem omnium est praeparata, dum aut paucis, aut nulli prodest, inveniatur esse superflua. Ita ergo intelligendum est, quia non solum ideo oramus, Panem nostrum da nobis, ut habeamus quod manducemus, sed ut quod manducamus de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum commune est inter justos et peccatores, frequenter autem et abundantius peccatores habent quam justi. De manu autem Dei accipere panem non est commune, sed tantum sanctorum. Praeparare ergo non vetant haec verba, tamen cum peccato praeparare vetant. Nam qui cum justitia

Commented [p100]: Col.713

praeparat, illi Deus dat panem quem manducat: qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus. Nam omnia quidem a Deo creantur, non tamen a Deo omnia subministrantur. Vel intelligendum est ita, ut dum a Deo datur, sanctificatus accipiatur: et ideo non dixit, Panem quotidianum da nobis hodie: sed addidit, *Nostrum*, id est, quem habemus jam praeparatum apud nos: illum da nobis ut dum a te datur, sanctificetur. Ut puta si laicus offerat sacerdoti panem, ut sacerdos accipiens sanctificet, et porrigat ei: quod enim panis est, offerentis est: quod autem sanctificatus est, beneficium est sacerdotis. Numquid non suffecerat sic dicere, Panem nostrum da nobis hodie? Ut quid ergo addidit, *Quotidianum*? Ut luxuriosos cibos compescat. Ut tantum quis manducet quantum ratio naturalis exigit, non quantum lascivia carnis impellit. Si enim tu in uno convivio tantum expendas quantum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia, hominibus centum moderate viventibus, aut tibi ipsi centum diebus disciplinate viventi, jam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum. Aut certe sicut supra dixit de eleemosynis, aut de oratione, ut non coram hominibus faciamus: non quia hoc possibile erat omnino, sed ut doceat nos omnino spectationem hominum fugere velle, ut si possibile est, nec videatur: quod possibile non est: sic et hic docere nos volens, ut de nullo simus in hoc mundo solliciti, nisi de solo simplici victu, sic mandavit orare, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: non quia illicitum judicavit plus habere hominem Christianum, quam panem quotidianum: sed hoc docere voluit, ut si possibile est, neque pane quotidiano plus habeat: quod possibile non est, quantum ad possibilitatem humanam. Item quare non solum dixit, Panem quotidianum da nobis, sed addidit, Nostrum panem? Propter duas rationes. Primum, quoniam omnia qui dat nobis Deus, sive orantibus, sive militantibus, non nobis solis det, sed etiam aliis per nos, ut de eo, quod accepimus a Deo, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non praestat, non potest dicere, Panem meum da mihi: nec enim panem suum tantummodo manducat, sed etiam alienum. Deinde qui de justitia acquisitum panem manducat, suum panem manducat: qui autem cum peccato, alienum. 12. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Cum qua spe orat qui inimicitiam servat adversus alterum, a quo forsitan laesus est? Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim, Remitto, et non remittit: sic a Deo petit indulgentiam, et non illi indulgetur. Si ergo qui laesus est, sine spe orat Deum, nisi indulserit ei, a quo laesus est: quomodo, putas, orat qui non solum ab altero laesus non est, sed ipse per injustitiam alios laedit et gravat? Sed multi nolentes dare veniam peccantibus in se, fugiunt istam orationem orare. Stulti: primum, quoniam qui non sic orat quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus. Secundo, quia nec Pater libenter exaudit orationem, quam Filius non dictavit. Cognoscit enim Pater Filii sui sensus et verba, nec suscipit quae usurpatio humana excogitavit, sed quae sapientia Christi exposuit. Ergo orationem quidem dicere potes: circumvenire autem et fallere Deum non potes, nec accipis indulgentiam, nisi prius indulseris ipse. 13. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*. Quoniam multa et magnifica supra mandavit hominibus, ut Deum Patrem suum dicant, ut genus suum de caelo cognoscant, ut regnum Dei petant venire, ut non sint solliciti unde pascantur, quae omnia magnae spei et justitiae signa sunt: ideo nunc additur humilitatis doctrina, ut dum dicunt, *Ne nos inducas in tentationem*, cognoscant se esse infirmos, et consideratio infirmitatis causam gloriationis exstinguat. Duo ergo petimus, primum, ut non inducat nos in tentationem: secundo, ut si induxerit, liberet de periculo tentationis. Nam vere, si secundum veritatem justitiae suae examinaret homines Deus,

Commented [p101]: Col.714

nullus posset fieri salvus. Ideo autem difficile tentat, sciens infirmitatem nostram. Aut si tentat, non tamdiu tentat, quamdiu nos vincamus tentationem, sed quamdiu vincere nos velle ostendimus: id est, non virtutem nostram tentat, sed voluntatem: Apostolo nos confirmante, et dicente: *Tentatio vos non apprehendat; nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere* (1. *Cor.* 10. 13), etc. Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno judicio glorificet, sed ut ne sine causa glorificet. *Quoniam tuum est regnum, et virtus, et gloria.* Tria autem haec ad tria quae superius dixit pertinentia introduxit. Quoniam dixerat supra, *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*, ac si dicat aliquis, Ergo non habet Deus regnum in terra, quia oratis ut veniat? id respondet ad illud, *Quoniam tuum est regnum.* Item quoniam dixerat, *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra*: ac si dicat aliquis, Ergo non potest Deus facere quod vult in terris, quia oratis ut fiat voluntas ejus? ad hoc respondet, Quia tua virtus est: tamquam si dicant, Non ideo optamus regnum tuum in nobis, aut fieri voluntatem tuam in terris: quia non est regnum tuum in terris: quia non est regnum tuum in mundo, nec potes facere quod vis in terris; sed quoniam regnum tuum vita aeterna est, et voluntas tua justitia est. Propterea nec redigis aliquem sub regno tuo nisi ipse voluerit: nec operaris in aliquo voluntates tuas, nisi ipse consenserit. Propterea oramus, ut illuminati a te, velimus suscipere regnum tuum in nobis, et optemus facere voluntatem tuam. Item quoniam dixerat, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*: ad illa respondet, Quia tua est gloria. Vere enim, quia, si nihil deest timentibus Deum, Dei gloria est: si illis dimittentibus debitoribus suis, Deus dimittat eis peccata eorum, Dei gloria est: si autem non dimittentibus eis dimittat, non est gloria Dei, quia nec est justum judicium ejus. Si non inducat in tentationem, aut inductos si propter justam aliquam causam liberet, gloria Dei est. Et generaliter quicquid supra orare praecepit, cum fuerit a Deo praestitum, Dei gloria est. 15. *Si enim non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis.* Nam et superius cum dixisset, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*: non dixit, Sicut et nos dimittemus, ut prius nobis Deus dimittat, postea nos debitoribus nostris. Scit enim Dominus omnes homines esse mendaces: quoniam etsi acceperint remissionem peccati sui, ipsi debitoribus suis non dimittunt. Ideo sic dicit, *Dimitte nobis, sicut nos dimittimus*: ut prius dimittamus, postea petamus dimissionem, et a Deo remissionem peccatorum accipiamus.

Commented [p102]: Col.715

Homilia xv. ex capite vj. (col.715-22)

Tria prima mala, gula, avaritia, vana gloria. Tria prima bona, eleemosyna, oratio, jejunium. – 16. *Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Omnium malorum prima et fortiora sunt tria mala: id est, gula, avaritia, et vana gloria. Adversus quae Dominus tentationis suscipiens bellum, pugnavit pro nobis. Contra gulam in eremo, contra avaritiam super montem, contra vanam gloriam super templum. Item omnium bonorum prima et fortiora sunt tria bona, eleemosyna, oratio, et jejunium. Et vide quomodo adversus tria mala inventa sunt tria bona, id est, eleemosyna contra avaritiam,

jejunium contra gulam, oratio contra vanam gloriam. Dic nobis, Ecce jejunium contra gulam venit, quia contrarium est jejunium gulae: et eleemosyna contra avaritiam convenit, quia avaritia congregat, eleemosyna autem dispergit: oratio quomodo convenit contra gloriam vanam? Audi. Omnia mala, quae sunt in mundo, habent contraria bona, per quae superentur: utputa, fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia mansuetudinem. Et nullum est malum, quod non habeat contrarium bonum, per quod superetur, dempta vana gloria. Ideo quantavis bona feceris, volens compescere vanam gloriam, tanto magis excitas eam: et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit: ideo non exstinguitur per bonum, sed magis nutritur. Denique inter homines peccatores tentatio vanae gloriae non habet locum. Fornicarius enim, aut raptor, quomodo tentetur in vana gloria, qui non habet unde glorietur? Illi autem tentationem vanae gloriae patiuntur, qui tale aliquid faciunt, unde glorientur. Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola: et haec ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraveris. Altera de eleemosyna, et jejunio, et oratione divisio in lege scripta est: *Non intres ante conspectum Dei tui vacuus* (*Exod.* 23. 15). Vacuus autem intrat ante Deum, qui veniens ad orationem, nullam eleemosynam facit. Non solum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo praecipitur, ut per singulas septimanas unusquisque Christianus aliquid in gazophylacium mittat, ad orationem venturus, sicut ait Apostolus: *Unusquisque vestrum per singula sabbata quod illi placuerit apud se reponat, ut non, cum venero, tunc collectae fiant* (1. *Cor.* 16. 2). Item dicit Salomon: *Ante orationem praepara animam tuam* (*Eccli.* 18. 23). Ille praeparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernae, ita et bona opera excitant fidem cordis, et dant confidentiam animae apud Deum orandi. Ergo eleemosyna praeparatio est orationis. Item jejunium est adjutorium orationis, quia oratio sine jejunio gracilis est, et infirma. Nam oratio illa est fortis, quae fit in spiritu humili et corde tribulato, sicut et Propheta dicit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicit* (*Psal.* 50. 19). Spiritum autem humilem et cor contribulatum habere non potest, qui manducat et bibit, et deliciis fruitur: quia panis cor confirmat, vinum autem laetificat (*Psal.* 103. 15). Spiritum autem carnis humilem esse non permittit virtus, quae fit ex pane, et cor contribulatum esse non permittit jucunditas, quae venit ex vino. Ideo quandocumque sancti pro aliqua necessitate voluerunt exorare Deum, jejunium cum oratione junxerunt: sicut Daniel, et caeteri. Unde quia virtus orationis jejunium est, numquam separantur ab invicem, sed ubique simul ponuntur. Oratio et jejunium de morte liberant. Item: *Hoc genus non ejicitur, nisi in jejunio et oratione* (*Matth.* 17. 20). Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. Sed ex his tribus bonis prima est oratio, quia eleemosyna quidem de rebus exit, jejunium autem de corpore: oratio vero nec de rebus nec de corpore, sed de anima procedit et de corde: ideo quasi prima dignitosior e duobus, media ponitur inter duas. Prima eleemosyna, secunda oratio, tertia jejunium. Et quare eleemosyna ante orationem praecedit? Quia mediatrix est, et praeparatrix viae ante faciem orationis, ut post eleemosynam sequens oratio praeparatum locum misericordiae inveniat apud Deum. Ideo autem jejunium sequitur orationem, quia non oratio jejunii est adjutorium, sed jejunium orationis. Et non oratio fit propter jejunium, sed jejunium propter orationem: ideo jejunium non ante orationem praecedit, sed oratio ante jejunium. Tertia divisio. Item eleemosynam facere, aut orationem, aut jejunare, non est omnium hominum, sed tantum

Commented [p103]: Col.716

justorum. Qui autem peccat, et eleemosynam facit, perdit quod facit. Pro cessato enim peccato peccatoris datur eleemosyna, non pro occurrente: id est, quando poenitet nos quod fecerimus, non ut per pecuniam peccandi licentiam comparemus. Item ille orat, qui jam non peccat: qui autem orat et peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum. Item ille jejunat, qui non peccat; qui autem peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat, nec se humiliat, sed substantiae suae parcit. Denique considera in superioribus, ex quo coepit Christus apostolis suis salutaria dare praecepta, non statim in primis mandavit de eleemosyna, aut jejunio, aut oratione: sed prius expellit mala, postea introducit bona. *Scriptum est, Non occides: ego autem dico, Nec irascaris. Scriptum est, Non perjurabis: ego autem dico, Nec jurabis. Scriptum est, Non adulterabis: ego autem dico, Non concupisces. Scriptum est, Oculum pro oculo: ego autem dico, Non omnino resistere malo. Scriptum est, Diliges amicum tuum, et odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos* (*Matth.* 5. 21. *sqq*.). Postquam ergo ab his omnibus malis hominem spoliavit, tunc dicit, *Videte ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* 6. 1), etc., ostendens quoniam nisi homo ab illis omnibus recesserit prius, sine causa facit haec bona. Prius oportet mala dimittere, et sic bona suscipere, quia non potest fieri homo novus, nisi desierit esse vetus. Qui autem mala non dimittit, et bona suscipit, bonorum suorum gratiam perdit: quemadmodum si quis homo in os suum aliquid dulce mittat cum amaro permixtum, dulcedo illa non dat suum saporem. *Nolite fieri tristes, sicut hypocritae.* Sive de eleemosynis dicens, sic dicit, Ne coram hominibus fiant: sive de oratione sic, Nolite esse sicut hypocritae in angulis platearum orantes: sive de jejunio, hoc ipse dicit. Vides quia sciebat Dominus vanam gloriam ex omni bono procedere. Ideo illam spinam, quae assidue nascitur in terra bona, jubet praecidere, ne spina vanae gloriae effocet jejunii fructum. Numquid potest fieri, ut non sentiatur qui jejunat? Sed melius est ut jejunium tuum te ostendat, quam tu jejunium tuum. Sciens autem Dominus, quia non postest fieri, ut sit hilaris qui jejunat: ideo non dixit, Nolite esse tristes: sed, *Nolite fieri tristes.* Aliud enim est esse tristem, et aliud tristem fieri. Qui enim naturaliter propter assiduum jejunium tristis est, ille est tristis, non autem fit: qui autem per imposturas aliquas pallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt. Si ergo qui jejunat et tristem se facit, hypocrita est: quanto magis iniquior est, qui non jejunat, sed argumentis quibusdam in facie sua pingit venalem pallorem, quasi jejunii signum? Displicet ei natura sua, quia non potest mentiri quod non facit, et misera facies carnis argumentis quibusdam innocens castigatur, quia fraudibus non consentit. Puto quod omnis sensatus intelligit, quia haec verba carnaliter non intelliguntur. Nec enim potest fieri, quod qui jejunat non appareat tristis, nec mandat Dominus quod adimplere non possumus. Si enim ideo jubet nos non fieri tristes, ut ne per ipsam tristitiam appareamus hominibus jejunare: quare mandat caput ungere, et faciem lavare? Sic enim ipsa unctio capitis, et lavatio faciei, si a jejunantibus semper serventur, nihilominus sunt signa jejunii. Sed haec spiritualiter ad animam referuntur, ut ne tristitia spiritualis faciem spiritualem exterminet. Facies autem spiritualis animae est conscientia ejus, vel cor, sicut ostendit propheta, dicens: *Tibi dixit cor meum, Dominum requiram, et exquisivit te facies mea* (*Psal.* 26. 8). Non enim facies carnea Deum quaerit, sed conscientia. Item quoniam facies conscientia appellatur ostendit Jacob, cum fuisset luctatus cum homine: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* 32. 30). Vere enim tunc facie ad faciem Deum non vidit, quia in schemate hominis luctatus est contra eum Deus. Nam schema corporale velamentum est Dei, non proprietas Dei. Sed mente vidit Deum. Unde et Israel vocatus est, id est, mens

Commented [p104]: Col.717

videns Deum. Si autem facies ejus Deum vidisset, utique sic vocandus fuerat, facies Deum videns. Quid ergo? Facies animae conscientia appellatur. Sicut enim in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. Item aliud est gaudium corporale, aliud spirituale. Gaudium corporale est risus, jocus, et caeterae delectationes carnales. Gaudium spirituale est spes, sicut ait Apostolus: *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom*. 12. 12). Vides quia potest fieri ut tristantes carnaliter, spiritualiter gaudeamus in spe? Hoc enim dicit de Spiritu sancto propheta: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei* (*Psal*. 45. 5). Item est tristitia corporalis, et est tristitia spiritualis. Tristitia corporalis est afflictio carnis: tristitia autem spiritualis, desperatio et infidelitas animae. Ergo dicens: *Nolite fieri tristes*, hoc dicit, Nolite propter homines jejunare. Qui enim propter homines jejunat, tristem facit conscientiam suam, id est, desperantem. Quomodo enim conscientia ejus hilaris sit, et sperans in Deum jejunio suo, qui non propter Deum, sed propter homines jejunat? Sic et omnes hypocritae, qui propter homines jejunant, exterminant facies suas, id est, conscientias suas. Quomodo enim exterminatas conscientias non habeant ante Deum, qui fingentes se propter Deum jejunare, non propter Deum jejunant, sed propter homines, volentes fallere et Deum, et homines? Aut ita: *Nolite fieri tristes, sicut hypocritae*: id est, Nolite sine spe et sine fide jejunare. Sine spe autem jejunat, qui non se abstinet a peccato, nec facit justitiam. Nam sicut bona opera spem generant, id est, gaudium spirituale: sic mala opera desperationem, id est, tristitiam spiritualem. Qui enim peccans jejunat, sine spe jejunat: id est, non habet, unde speret, et gaudeat, sed est animus ejus desperans, et tristis. Jam autem quomodo peccatum et desperatio exterminent faciem conscientiae, nullus ignorat. Nam semper vulnerata est conscientia ejus qui peccat. Sic ergo omnes hypocritae jejunant, non bonis actibus exhilarantes conscientiam suam in spe, sed malis operibus contristantes in desperationem. Hypocrita est ergo omnis, qui peccans jejunat. Quid est ergo, cum gaudio jejunare, nisi prius spiritualiter jejunare, deinde carnaliter? Nam sicut omne bonum est spirituale, sic est et carnale: et omne malum est spirituale et carnale. Utputa, fornicatio carnis est meretricatio, fornicatio autem spiritualis est praevaricatio. Castitas carnis est nescire mulierem: castitas spiritualis, fidelem esse Deo. Humilitas corporalis assurgere homini, verbum dicere molle: humilitas spiritualis, qui in corde suo alterum existimat meliorem quam se. Superbia corporalis, asper sermo: superbia spiritualis, qui se meliorem putat esse, quam alterum. Sic et jejunium corporale est, et spirituale. Corporale jejunium est abstinere a cibis, spirituale jejunium est abstinere a peccatis. Nam sicut caro delectatur manducando, sic spiritus carnis delectatur peccando. Unde sapientes omne peccatum libidinem vocant, quia omne peccatum cum delectatione committimus. Ideo et circumcidebatur libidinis membrum, ut in mysterio generaliter omnium malorum delectatio tolleretur, quae mala faciunt animum tristem, id est, desperantem. Qui enim a cibis jejunat, non ab operibus malis, ille apparet jejunare, non autem jejunat: quia quantum ad homines jejunat, quantum ad Deum autem pessime epulatur malis. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Delectatio illa laudis tamdiu sentitur, quamdiu auditur: mox autem ut aures transierit, transit et delectatio laudis. 17. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.* Tu qui misericors es, qui magis jejunas corde quam corpore, qui magis abstines a peccato quam a cibo: et ideo non hominibus, sed Deo jejunas. Qui enim peccantes jejunant, hominibus jejunant, non Deo, et ideo hypocritae sunt: qui autem vere Deo jejunant, non tantum a cibis se abstinent, quantum ab omni actu iniquo: quoniam sicut cibus carnem delectat, sic omne malum delectat spiritum

Commented [p105]: Col.718

carnis. Quid ergo? Quando jejunamus, si infundamus oleum capiti nostro, vere vanum est: etsi lavemus facies nostras aqua. Et quis facie non lavata procedit? Magis enim, si hoc facimus, quasi per signa haec lavationis et unctionis publicamus nos jejunare. Quid ergo? Simplex interpretatio hujus loci haec est, quoniam per aggerationem intelligenda sunt ista, sicut et caetera ante dicta, tamquam si dicat: Sic longe te facere debes ab ostentatione jejunii tui, ut si potest fieri, quod non decet, etiam ea facias, quae ex diverso luxuriae et epulationis videntur esse indicia. Spiritualiter autem sic, sicut ex superioribus patet, quia facies animae conscientia intelligitur: Projice ergo abs te avaritiae sordes, perjurii stercora, malitiaeque putredinem: et lavasti faciem, id est, conscientiam tuam aqua prophetica, de qua dicit Isaias: *Lavamini, et mundi estote, auferte nequitiam ab animabus vestris* (*Isai*. 1. 16). Si enim abstuleris nequitiam ab anima tua, lavasti conscientiam tuam, et bene jejunas. Item caput tuum Christus est. Sitientem pota, esurientem ciba, algentem vesti, et sic pretiosissima myrrha, id est, oleo misericordiae unxisti caput tuum, id est, Christum, qui clamat in Evangelio, dicens, quia *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quoniam autem omnis justitia in his duobus consistit: primum ut ne facias malum; secundum, ut facias bonum: ad id, quod pertinet ad fugienda peccata, dixit, *Lava faciem tuam*: ad illud autem, quod pertinet ad facienda bona opera, *Unge caput tuum*, et es amabilis sicut Maria, quae postquam conscientiam suam lacrymis poenitentiae lavit, postea infudit oleum super caput Christi, et impleta est domus odore: ita et tuorum operum fama, si fueris talis, totam implebit Ecclesiam. Et quam proprie dixit, faciem quidem lavare: caput autem non lavare, sed ungere. Quamdiu enim sumus in corpore, conscientia nostra semper sordida est in peccatis. Caput autem nostrum Christus lavationem necessariam non habet, sed solam unctionem: quia *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*Isai*. 53. 9). 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram.* Praesens capitulum ad praecedens non habet consequentiae rationem, quia illud de jejunio dictum est, hoc autem de eleemosynis. Quid ergo est? Si memores sumus, nihil de eleemosnya, vel de oratione, vel de jejunio Dominus docuit supra: sed simulationem eorum compescuit tantum, ut nec coram hominibus faciant ea, ut videantur ab eis: non quia possibile est sic ea agere, ut non ea videant homines, sicut diximus supra; sed sollicitum fecit hominem, ut quantum ad se sic festinet agere ea, ut non videatur: ut ipsum bonum opus homini Christiano magis in affectu sit, quam in actu. Et convenienter, quoniam et supra legis quidem mandata magis ad opus respiciebant, quam ad affectum: id est, *Non occides, non adulterabis*, etc.: Christus ad supplementum eorum spiritualiora introduxit mandata, ad affectum magis respicientia, quam ad actum: *Ego autem dico, Ne irascaris, ne concupiscas*, etc. Sic et hic, ut boni simulatione praecisa, opera eorum bona ad cor magis respiciant, quam ad aspectum. Quoniam ergo, sicut exposuimus, nihil docuerat Christus de illis, nunc secundum tres supradictas justitias, eleemosynae, orationis et jejunii, tres consequentias introduxit doctrinae: unam ad eleemosynam, alteram ad orationem, tertiam ad jejunium. De quibus singulis demonstrabimus in proprio loco. Et ad eleemosynam doctrina subsequens haec est: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram*, ut talis ordo sit narrationis: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram.* Et hic dat consilium, ut eleemosyna fiat: in

Commented [p106]: Col.719

secundo loco ostendit, quae utilitas est in eleemosyna facienda: in tertio loco, ut neque timor inopiae accidentis impediat voluntatem eleemosynae faciendae. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram; sed de caelo estis, et de caelo venistis, et iterum redituri estis in caelum, nisi ultro remanere volueritis in terra. Illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. Vis autem scire, quia peregrinus es in hoc mundo? Audi prophetam dicentem: *Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua* (*Psal*. 118. 19). Quae est ergo insipientia, ut contentus sis super terram? id est, In alienis vis servire diabolo, cum possis in caelis, id est, in propriis, regnare cum Christo? *Ubi tinea et comestura exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur.* Omnia bona mundi triplex interitus tollit. Aut enim a semetipsis veterascunt, et tineant, sicut vestimenta: aut ipsis dominis luxuriose viventibus comeduntur, sicut caeterae facultates: aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur. Quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua. Sed dices, Numquid omnes qui haec habent, perdunt ea? Ventilo vestimentum meum, et non tineat: parcius ago, et facultates meae non comeduntur: sollicite ago res meas, et non diripiuntur a furibus. Interim quidem sic dicam, quia si non omnes perdunt, tamen multi perdunt. Quid ergo? melius est super terram reponere, ubi incertus est conservationis eventus, an in caelo, ubi est certa custodia? Hic si non custodieris, perdes: si custodieris, timore et sollicitudine cruciaris. Illic autem, etsi dormis, a Deo servantur: et cum recordatus fueris, spe gratularis. Quae est autem stultitia illic relinquere, unde exiturus es, et illuc non praemittere, quo iturus es? Vere autem male servatas divitias, etsi corporaliter non perdidisti, spiritualiter perdidisti, quia nec proficiunt tibi ad usum salutis. Quicquid enim pro anima tua feceris, hoc est tuum: quod autem reliqueris, perdidisti. Nam quod corporaliter male congregatur, spiritualiter dispersum videtur, et perditum: quod autem corporaliter bene dispergitur, spiritualiter illud congregatum et repositum videtur in caelo. Nunc autem ponit quae sit utilitas in eleemosyna facienda, dicens: 21. *Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum.* Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in caelo. Ut quid enim aspiciat in caelum, ubi nihil repositum habet? Propterea sive laetatur, in carnalibus et terrenis laetatur: sive tristatur, de carnalibus et terrenis tristatur. Qui autem divitias suas reponit in caelo, non habet spem in terra. Ut quid enim delectetur in terra, qui nihil habet in terra? Ideo sive laetatur, in spiritualibus laetatur: sive tristatur, de spiritualibus tristatur. Ergo peccatorum et laetitia mala, et tristitia pejor, quia aut de lucro terreno laetantur, aut de damno tristantur: justorum autem et laetitia bona, et tristitia melior, quoniam aut de justitia laetantur, aut de peccato tristantur. Si enim aliqua causa mortis advenerit, si quidem spes illius in terra sit, tristatur, quasi de domo sua ad peregre vadens, ut non dicam ad tormenta: si autem spes ejus in caelo sit, gaudet quasi de peregre ad domum propriam reversurus, ut non dicam ad regnum caeleste. Secundo, qui thesaurizat in terris, dupliciter facit peccatum. Primum, quia male congregat: secundo, quia cor habens in terra, numquam quae Dei sunt recordatur, sed semper quae terrae. Et qui thesaurizat in caelo, dupliciter justitiam facit. Primum, quia bene foenerat: secundo, quia spem habens in Deo, semper quae Dei sunt cogitat et mediatatur, et non quae terrae. Et quemadmodum qui semel congregare coeperit in terra, ipsa concupiscentia terrena facit eum magis sollicitum esse, nec solum ne minuat inde, sed ut magis augeat: sic et qui thesaurizat in caelo, ipsa concupiscentia spiritualis facit eum sollicitum, non solum ut non perdat quod habet, sed adhuc ut augeat super id quod habet. 22. *Lucerna corporis tui est*

Commented [p107]: Col.720

oculus tuus. Prius commemorare debemus, quia non de corporali oculo loquitur sermo, nec de hoc corpore, quod videtur a foris. Alioqui dixisset, Si oculus tuus sanus fuerit, aut infirmus: nunc autem dixit, *Simplex* et *Nequam*. Non enim omnis qui benignum habet oculum, omnino et corpus ejus lucidum est: nec enim omnis qui malignum oculum habet, corpus ejus in tenebris est. Quid enim, si benignum oculum habet, et infirmum, numquid corpus ejus in lumine est? Aut si malignum et sanum, numquid corpus ejus in tenebris est? Ergo *Corporis*, non a foris, sed ab intus, id est, corporalis naturae. Lucerna autem ejus est mens, per quam anima videt Deum. Unde Jacob est appellatus Israel. Israel autem Hebraice interpretatur mens videns Deum. Postquam ergo dixit, *Thesaurizate vobis in caelo, quoniam ubi thesaurus tuus fuerit, ibi erit et cor tuum*: convenienter subjunxit, *Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*: ut ostendat, quia qui eleemosynas faciunt, cor ad Deum habere debent: qui autem cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est: id est, illius mens spiritualis et munda est, nec terrenis concupiscentiis sordidata, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8). Sicut enim qui graves oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro tenebrosoque loco, melius videt: si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus ejus non suffert solis candorem: sic homo mundialis, qui oculum, id est, mentem terrenis desideriis sordidam habet, et turbulentam, si ponas eum in rebus mundialibus, sapit et astutus est: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit, quia mens illius desideriis corrupta terrenis justitiae bonum non sentit. Non sentit, dico, non nescit: scit autem, sed non sentit bonum justitiae, quia nec delectatur in eo: praeoccupatum enim habet cor circa delectationem terrenam. 23. *Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quae sunt in nobis tenebrae? Sensus carnales, malevoli et iniqui, qui semper desiderant quae sunt tenebrarum, et non lucis. In quo enim alio delectatur carnis natura, nisi in avaritia, in libidine, in superbia, in deliciis, caeterisque malis, quae ad tenebrosam mortem deducunt? Et qui intelligit quid est, quod *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Gal.* 5. 17), ille intelligit quia tenebrae sunt carnis natura. Qui ergo oculum habet mundum, id est, mentem spiritualem, caelestia semper aspicientem, corpus suum servat lucidum, id est, sine peccato. Si enim caro desiderat ea quae diximus mala, secundum suam naturam homo habens mentem lucidam, et spem ad Deum, justitiae consideratione dijudicat eam, et divini timoris virtute repercutit eam: et sic quamvis nolentem, tamen servat eam lucidam, id est, sine peccato. Intellexisti ergo, quomodo qui oculum habet simplicem, corpus suum lucidum habet: qui autem oculum, id est mentem habet aut malignitate aliqua tenebrosam, aut divitiarum concupiscentia turbulentam, tenebrosum possidet corpus? Nam quae res faciunt mentem hominis spiritualem esse mundum, ipsae res ex diverso faciunt carnalem et sordidam. Quomodo fit munda mens illius, qui facit eleemosynas, et spem habet in caelo, spes autem in Deum facit mentem spiritualem et mundam: sic qui divitias congregat cum peccato, spem suam ponit in terra: qui autem spem habet in terra, illius mens carnalis est et immunda. Illius ergo tota caro in tenebris est, id est, in peccatis. Quomodo? Quando enim caro secundum suam naturam, sicut diximus, concupiscit perversa, homo spem habens in terra, et mentem concupiscentiis turbulentam, non ei contradicit, nec justitiae consideratione dijudicat, nec judicii futuri virtute repercutit: quia nec videt cum sit caecus, nec intelligit esse malum quod malum est, et si vult, non potest, quia spem non habet nisi in saeculo. Scimus autem quia spes nobis praestat virtutem, ut carnalibus concupiscentiis resistamus: qui autem spem non habet in caelo, virtutem non habet resistere concupiscentiis suis, et

Commented [p108]: Col.721

ideo fit caro illius tota tenebrosa. Et ut brevius et manifestius exponamus: anima priusquam peccet, divino auxilio confortata, regina et domina est corporis sui, et quasi libera et regina sedet in throno cordis sui, et gubernat corpus suum quasi palatium suum, nec potest illam vincere caro. Si autem gravibus se peccatis obligaverit, tunc divino auxilio destituta, et in potestate spirituum immundorum redacta, fit debilis et infirma, ut non jam sit domina corporis sui, sed ancilla magis: et jam non caro animae subjecta est, sed anima carni, nec quod vult anima, caro facit, sed quod caro coegerit, hoc anima facit. Intellexisti ergo, quomodo qui oculum mentis sordidum habet, totum corpus illius tenebrosum est? *Si autem lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae sunt?* Sicut supra diximus, tenebrosa est semper carnalis natura, quia semper peccatrix est, etsi non peccet, contradicente sibi anima, tamen recte peccatrix et tenebrosa vocatur, quia semper habet caro peccandi propositum, ut frequenter etiam justae animae surrepat, ut quod suum est agat. Quis enim est ita fidelis, qui numquam vel ex parte est a carne victus? Et si est, rarus est. Lumen autem est in corde, sicut jam frequenter audistis, anima Deum videns, id est, spiritualis. Si ergo ipsa anima, divina cum sit, et data est ad illuminandum illam carnem, fiat quasi carnalis, et terrenis concupiscentiis contenebrescat, terrena semper aspiciens, illius talis hominis caro jam vide quomodo involuta sit in tenebris peccatorum. Si enim, sicut diximus, in viro justo contradicente sibi rationali anima, semper caro surrepit animae, et quod suum est agit: quantis putas in homine malo iniquitatibus se involvet caro, quando anima quae contradicere illi debuerat, consentit ei, consimilia concupiscens? Per alteram quidem speciem, tamen eumdem sensum exponit Lucas, primum mandans: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quod possidetis, et date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelo* (*Luc.* 12. 32. 33), et caetera. Deinde ait, *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis* (*Luc.* 12. 35. 36): ostendens quia nemo potest habere lumbos praecinctos ad exeundum de hoc mundo, nec lucernas ardentes, nec exspectare dominum suum, nisi qui vendunt quod habent, et dant eleemosynas, et faciunt sibi sacculos qui non veterascunt, et thesaurum non deficientem in caelo.

Commented [p109]: Col.722

Homilia xvj. ex capite vj. (col.722-5)

24. *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet* (*Luc.* 16. 13). Videamus in primis, quomodo dicta praecedentia subsequantur verba praesentia. Superius praecepit eleemosynas facere, dicens: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo,* quoniam qui thesaurizaverit thesauros sibi in caelo, ille cor habet in caelo, et spem ad Deum: ille habet oculum animae simplicem, id est, mentem mundam et spiritualem, et semper non terrena, sed caelestia meditantem. Qui autem habet mentem mundam et spiritualem, ille potest corpus suum servare lucidum, id est, sine peccato. Qui autem non facit eleemosynas, nec cor habet in caelo, nec spem in Deum: nec mentem mundam et spiritualem, neque potest corpus suum servare lucidum, id est, sine peccato: quia nemo potest duobus dominis servire, *Deo et mammonae,* id est, divitiis. Mammonae enim Syriaca lingua divitiae appellantur. Sicut ergo qui duos dominos habet, necesse est, ut unum amet, et alterum

odiat, unum contemnat, et alteri obediat: sic et qui vult Deum amare, necesse est, ut odiat divitias: qui autem voluerit amare divitias, necesse est, ut odiat Deum: et qui vult mandata Dei facere, necesse est, ut odiat divitias: et qui vult mandatis Dei obedire, necesse est, ut contemnat avaritiae mandata facere: et qui voluerit avaritiae mandata facere, necesse est, ut contemnat Dei mandata. Considera autem, non dixit, Nemo potest habere Deum et divitias: sed, Nemo potest Dei esse servus et divitiarum. Aliud est enim habere divitias, aliud autem servire divitiis. Si habes divitias, et divitiae illae non te faciunt superbum aut violentum, sed secundum quod potes, das impotentibus, dominus es divitiarum tuarum, non servus: quia non te divitiae tuae tenent, sed tu divitias tuas. Si autem divitiae tuae superbum te faciunt, aut violentum, et constrictus avaritia nemini aliquid praestas, tunc servus es divitiarum tuarum, non dominus: quia divitiae tuae te tenent, non tu divitias tuas. Nunc jam docet, ut ne timor inopiae impediat ab eleemosynis voluntatem, dicens: 25. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis in cordibus vestris, quid manducetis.* Nam sollicitudo desperationis est filia, quia desperatio sollicitudinem generat. Quid est quod dicit, *Ideo dico vobis?* et quid? Ut eleemosynas faciatis, ut thesaurizantes in caelo, cor mundum habeatis, sperantes in Deum. Qui autem sperat in Deum, ille non est sollicitus quid manducet, aut quo vestiatur: quoniam nulla res est quae facit homines desperare in aliqua necessitate, nisi ista res, quia non habet spem in Deum. Ne ergo mihi dicas, Numquid volo esse sollicitus? Sed ipsa res me cogit. Numquid nolo sperare in Deum? Sed non possum. Cor enim meum non me audit. Nescis quid pateris; langues, et tamen causam tui languoris ignoras. Vis ostendam tibi causam, ut in omni necessitate numquam desperes? Fac bene, et operare justitiam, ut spem habeas apud Deum, et non desperabis in terra. Bona enim opera sunt quae sperare faciunt, et mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit propheta: Spera in Deo, et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus: sed, *Spera in Deo, et fac bonitatem, et inhabita terram* (*Psal.* 36. 3). *Ne solliciti sitis quid manducetis*, Non dixit, Nolite laborare: sed, Nolite solliciti esse. Ergo solliciti esse vetamur, laborare autem jubemur. Sic enim et Dominus loquens ad Adam, non dixit, Cum sollicitudine facies tibi panem: sed, Cum labore et sudore faciei tuae. Ergo non sollicitudinibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis. Sicut laborantibus enim pro praemio diligentiae, Deo praestante, panis abundat: sic dormientibus et negligentibus pro poena negligentiae, Deo faciente, subducitur. *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?* Confirmat spem nostram, primum de majore ad minus descendens, deinde a minore ad majus ascendens. Quomodo si animam dedit, escam non dabit? Si corpus plasmavit, vestimentum non providebit? Nisi voluisset esse quod est, non crearet. Quod autem sic creavit, ut per escam servetur, necesse est, ut det ei escam, quamdiu vult esse quod fecit. Quid est a minore ad majus? 26. *Videte volatilia caeli, neque seminant neque metunt*, etc. Si avibus praestat alimentum, hominibus non praestabit alituram? si illi non laborantes, inveniunt escas, homo non inveniet, cui Deus dedit et operandi sapientiam, et fructificandi spem? Omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, hominibus non ministrabit propter seipsum? Omnia Deus in sapientia fecit, hominem autem non solum in sapientia, sed etiam secundum sapientiam suam. Quanto ergo pretiosior hominis creatio, quam animalium, tanto major sollicitudo Dei de hominibus, quam de animalibus. Omnia Deus animalia fecit, ut tamdiu sint, quamdiu sunt, cum vero mortua fuerint, fiant tamquam quae non fuerunt: hominem autem, ut non solum ante mortem, sed etiam post mortem

Commented [p110]: Col.723

vivat: magis autem post mortem, quam ante mortem: quoniam ante mortem in tentatione vivit, post mortem autem in gloria. Si ergo illis occurrit, quos sic creavit, ut tantummodo vivant: hominibus non occurret, quos fecit, ut in perpetuo vivant? 27. *Quis vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* 28. *Et de vestimento quid solliciti estis?* Si ergo cogitando modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto? Deus, qui te ex nihilo formavit in utero, et de periculo cum periculo nascentem de utero matris eripuit, te non solum non cogitante, sed neque sciente. Deus, qui per singulos dies incrementa corporis tui dat, et sapientia facit, te non intelligente. Si ergo in te ipso quotidie providentiam operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? *Considerate lilia agri, quomodo* in tempore opportuno *crescunt*, tempore statuto formantur. In frondibus vestiuntur candore, implentur odoribus: et quod terra radici non dederat, neque radix illi, invisibili operatione Deus largitur: neque plus istis, et minus aliis: sed in omnibus eadem providentiae plenitudo servatur, ut non seipsis nata, neque eventu acta putentur, sed Dei providentia intelligantur esse disposita. *Non laborant, neque nent.* Dicendo, *Non laborant*, intelligi vult homines: dicendo autem, *Neque nent*, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum autem lanificio substentatur. 29. *Neque Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur.* Quia Salomon etsi non laborabat, neque sollicitus erat quid vestiret, tamen vel jubebat, vel disponebat, vel sciebat. Ubi autem jussio et dispositio, illic et ministrantium offensa frequenter invenitur, et jubentis iracundia excitatur: haec autem nesciunt quomodo sic coronantur. Illi homines ministrabant, istis Deus. 30. *Si enim foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei?* Si ergo floribus sic occurrit, qui sic nati sunt, ut tantummodo videantur et pereant: homines negliget, quos sic creavit, ut non pro tempore videantur, sed ut in perpetuo sint? Qui intelligit quid est homo, non desperat de Deo: qui autem desperat de Deo, nescit quid est: quoniam homo in Deo, et Deus in homine est. 31. *Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Deus enim haec in natura creavit, quasi regulam terrae mandans: *Producat terra herbam* pabuli (*Gen*. 1. 11): ideo vult aut non vult, bonis et malis germinat: quia terra ministrare jussa est, non judicare. Bonum autem et malum non in natura creavit, sed in arbitrio nostro posuit, ut quod volumus, simus. Ideo bonis palma proponitur, malis autem poena. Quae est ergo sapientia, de eo esse solicitum, quod, etsi sollicitus non fueris, habebis: et de illo non esse sollicitum, de quo si sollicitus non fueris, perdes? Nam escam, etsi sollicitus non fueris de ea, invenies: justitiam autem, nisi sollicitus fueris, non apprehendes. 32. *Haec enim omnia gentes quaerunt.* Quia in rebus humanis fortunam esse credunt, non providentiam, neque judicio Dei vitas suas gubernari aestimant, sed incerto duci eventu: ideo merito timent, merito solliciti sunt, et desperant, quasi qui neminem habeant gubernantem. Qui autem credit, se judicio Dei gubernari, non incerto duci eventu, escam quidem suam in manu Dei committit, sciens quia neminem sine voluntate et judicio Dei fames aut nuditas occidit. Cogitat autem de bono et malo, sciens quia nisi sollicitus fuerit, nec malum fugiet, nec bonum apprehendet: ideo dicit, 33. *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus.* Regnum Dei est retributio bonorum operum et malorum: justitia autem est via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo die ac nocte cogitas, qualis erit gloria sanctorum, vel qualis erit interitus impiorum et peccatorum, necesse est ut aut propter timorem poenae territus recedas a malo, aut propter desiderium gloriae excitatus festines ad bonum. Et si quotidie cogitaveris, quae sit justitia Dei, et quid odit, quidve amat, ipsa justitia ostendet tibi vias suas. Nam justitia

Commented [p111]: Col.724

sicut odientes se fugit, sic amantes se sequitur. Nec enim daturi sumus rationem utrum pauperes fuerimus, aut divites, quia nec fuit hoc in nostra potestate: sed si bene egimus aut male, quod in nostro jacet arbitrio. Dictum est ad hominem: *Maledicta terra in operibus tuis* (*Gen*. 3. 17). Vides quia propter peccata hominum maledicitur terra, ut non germinet; benedicitur autem, cum bona opera fecerimus? Tu ergo quaere justitiam, et non tibi deerit panis: quoniam sicut propter mala opera fructus terrae subducitur, sic propter bona abundat. Propterea dicit, *Quaerite regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia apponentur vobis.* 34. *Nolite ergo solliciti esse in crastinum.* Jam diximus, quoniam quod dicit, hodie, hoc solum significat, quo opus habemus in vita nostra praesenti. Quod autem dicit, cras, quod superfluum est supra necessitatem ostendit. Nihil ergo curetis superfluum habere, quam necessarium est vobis in vita praesenti ad vitam quotidianam. Quod autem superfluum fuerit, quod est cras, curabit se: ac si dicat, Superflua quantacumque congregaveris, illa seipsa curabunt. Te quidem non eis fruente, ipsa autem invenient dominos multos, qui ea procurent, sicut placuerit ipsis. Quid ergo curas de illis, quorum potestatem aliis es dimissurus? *Sufficit enim diei malitia sua*: ac si dicat: Sufficit tibi labor et miseria quam pateris in vita propter usus quotidianos, quos necessarios habes. Noli superflue pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Malitiam autem diei ipsam afflictionem appellat sollicitudinum praesentium et laborum: non sicut Manichaei dicunt, malam esse ipsam creaturam Dei.

Commented [p112]: Col.725

Homilia xvij. ex capite vij. (col.725-9)

1. *Nolite judicare, ut ne judicemini: nolite condemnare, et non condemnabimini.* Quidam hunc locum secundum hujusmodi sensum exponunt, dicentes, quia Dominus hoc mandato non prohibet Christianos ex benevolentia corripere alios Christianos dignos correptione: sed ne aut per jactantiam justitiae suae Christianos despiciant peccatores, derogantes frequenter de multis, et ex solis plerumque suspicionibus odientes caeteros et condemnantes, et sub specie pietatis proprium odium exsequentes. Et ut ne sic quidem Christiani corripiant Christianos, convenit sermo, qui dicit: *Nolite judicare.* Si autem non corripuerint, utrum conveniat illud quod dicit: *Ut non judicemini*, nescio. Numquid propter illud solum, si sic non corripuerint peccatores, consequentur indulgentiam peccatorum suorum, secundum quod dictum est, *Et non judicabimini* (*Luc*. 6. 37)? Si enim judicantes, sicut judicare non decet, male faciunt: sine dubio non judicantes, veniam peccatorum priorum ex hoc non consequentur, quia non judicaverunt male. Quis enim consequitur indulgentiam mali sui prioris, quia non addidit et alterum malum? Certe si in se peccantes non judicaverint, nec ipsi judicabuntur a Deo pro suo peccato. Haec diximus, volentes ostendere, quia hic sermo non est positus de proximis non judicandis, qui peccant in Deum, sed qui in nos peccant. Quid ergo est? Usque nunc exposuit consequentiam ad justitiam eleemosynae pertinentem, nunc autem incipit exponere consequentiam ad justitiam orationis respicientem. Et est doctrina haec quodammodo pars ipsius orationis, ut sit talis ordo narrationis: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Nolite judicare, ut non judicemini.* Qui enim non judicat proximum suum propter peccatum, quod fecit in ipsum, illum nec Deus judicat propter peccatum, quod fecit in ipsum: sed dimittet Deus debitum ejus, sicut et ipse dimittit debitoribus suis. Sicut autem

caetera universa mandata generaliter cunctis mandavit, tam sacerdotibus, quam laicis, praecipue tamen doctoribus, qui quanto majores sunt in ordine, tanto perfectiores esse debent in disciplina: sic et hoc mandatum de proximis non judicandis ad omnes quidem pertinet, praecipue tamen ad doctores. Unde quaedam sunt mandatorum istorum, quae si diligenter aspicias, pene nec conveniunt laicis, nisi forte parum; doctoribus autem omnino conveniunt: quale est hoc ipsum quod sequitur: 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* 5. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Videre enim festucam in oculo fratris omnium est: ejicere illam posse non est omnium, sed tantum doctorum, qui per doctrinam, vel increpationem secundum Deum possunt ejicere de mente fratris sui peccatum, vel magnum, vel modicum. Sicut et illud quod dicit: 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras miseritis ante porcos.* Habere enim vel sancta, vel margaritas, et posse dispensare vel bona vel mala, et discernere qui hominum sunt canes, qui porci, non est omnium hominum, sed sanctorum. Vult ergo Dominus doctores Christianorum sicut in omni justitia, sic et hoc primum facere, deinde docere: ut doctrinam suam bonam meliori cum vita commendent, ut bene docendo scientiam inserant, melius autem vivendo timorem: quia tales sales sunt terrae, condientes omnes suae vitae exemplo, et lucescunt doctrinis illuminantes. Quis autem audiat illum docentem, qui seipsum non audit? Ideo dicit ad omnes, praecipue ad doctores: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Quoniam si doctor memor sit injuriae et doloris, et memoriam malitiae servet in anima sua, solvitur totus Ecclesiae status, sive ad tempus respicias apostolorum, sive ad nostrum. Tunc enim, sicut legimus, difficile aliquos convertebant ad fidem Christi, nisi multa prius paterentur ab ipsis. Nam quasi lassato diabolo, et devicto per sufferentiam eorum nimiam usque ad mortem, et relinquente corda infidelium et jam non habente virtutem amplius eos armare, accedente gratia Dei convertebantur ad Christum. Si ergo memores fuissent injuriarum, quas fuerant passi ab eis, numquam postmodum eos in caritate docuissent, numquam eos libenter ad fidem Christi postmodum recepissent. Sed et nunc cum frequenter doctores offendantur a laicis, sive juste, sive injuste, diabolo seminante occasiones, si memores sint injuriae et doloris, totam solvunt Ecclesiam. Nam ubi recordatio injuriae aut doloris in medio est, nec doctor benevolenter docet laicum, nec libenter eum laicus auscultat: et doctor forsitan vel invitus aperit os suum ad docendum: laicus autem cum sit omnino sine timore Dei, nec usque ad faciem contentus est eum audire, sed converso egreditur dorso, et se et illum spernens, et amplius se quam illum, et non sentit animae suae dispendium efferatus, sicut nec bestia irritata vulnus in se fixum. Hoc caput Lucas evangelista late prosequitur, dicens: *Nolite judicare, et non judicabimini: nolite condemnare, et non condemnabimini: dimittite, et dimittemini: date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et commotam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* 6. 37. 38). Et quis sit ille, qui nec judicat: quis autem, qui judicat quidem, et non condemnat: et quis est, qui condemnat quidem, et tamen dimittit: et quis est, qui dat, exposuimus tibi: et quoniam superflua quidem mensura datur ei, qui nec judicat: commota autem ei, qui judicat quidem, non autem condemnat: bona autem ei, qui condemnat, sed dimittit. Quoniam sicut major est superflua mensura, quam commota, et commota major est, quam bona et justa: sic perfectior est ille, qui nec judicat, quam ille, qui judicat, et non condemnat, et ille, qui judicat, et non condemnat, melior est illo, qui condemnat, et dimittit. Hic autem Matthaeus omnia illa brevi sermone conclusit, dicens:

Commented [p113]: Col.726

Nolite judicare, ut non judicemini. 2. *In quocumque enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis*: intelligens quoniam judicii sermo ad omnia pertinet illa. Nam qui judicat tantum peccantem in se, et non condemnat, judicat: et qui non solum judicat, sed etiam condemnat, judicat: hoc ipsum enim condemnare judicare est. Ergo pro illo, quod Lucas dixit, *Nolite judicare*, aut judicantes, *nolite condemnare*, iste dixit: *In quocumque judicio judicaveritis, judicabitur de vobis*: id est, Si judicaveritis et non condemnaveritis, simili judicio et vos quidem judicabimini a Deo, sed non condemnabimini: si autem et judicantes condemnaveritis, simili judicio et vos judicabimini, et condemnabimini. Et quod ille dixit: *Dimittite, et dimittemini: date, et dabitur vobis*: iste dixit, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: hoc est, Si non rogati dimiseritis peccatum proximis vestris, sed solo respectu Dei, et Deus ex se, prius quam rogetur a vobis dimittet vobis; si autem rogati veniam dederitis, et Deus tunc dabit vobis veniam, cum dignis precibus et congrua lamentatione eum rogaveritis. Quoniam ergo dixerat praecipue, sicut diximus, doctoribus, *Nolite judicare, ut non judicemini*: convenienter addit, et dicit, 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo non vides?* Id est: Qui trabem in oculo tuo non vides, ut quid vides festucam in oculo fratris tui? Ac si dicat: Melius est nec docere, nec reprehendere laicum, quam docere et reprehendere, et teipsum in reprehensione consistere: quoniam talis doctrina doctoris non est audibilis, sed derisibilis. Propter quod omnis sacerdos si vult docere populum, prius seipsum doceat: si autem seipsum non vult docere de omni quod docet, nec seipsum arguere de omni quod arguit, nec alios doceat, nec arguat quemquam, ut si judicium Dei non evadit, vel hominum opprobrium non patiatur. 4. *Aut quomodo dicis fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in oculo tuo?* Id est: Cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui, ipse in eodem, aut in majore peccato exsistens? Non times, ne audias ex diverso, *Medice, cura teipsum* (*Luc*. 4. 23)? Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatem habet in potestate, nec suam, si alios velit curare, et ipse debilis sit, quasi testimonium imperitiae suae portat in corpore suo propriam passionem: quomodo doctori non sit opprobrium alios velle eruere a peccato, et ipsum in majoribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum cruere a peccato, quam alios? Aut ita: *Quomodo fratri tuo dicis?* id est, Quo proposito putas? ex caritate cordis dicis, ut salves proximum tuum? Non; sed ut te simules justum. Si autem vere ex caritate cordis argueres proximum tuum, ut salvares, teipsum ante salvares. Numquid possibile est ut benevolentior sis alteri, quam tibi? ut quid cum teipsum nolis salvare, alterum velis? Omnis ergo doctor, qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, et ipse in eodem constitutus, non se prius expurgat, certum est quia alloquens in ecclesia non alios vult salvare, sed per bonam doctrinam malos actus suos celare, et scientiae laudem ab hominibus quaerit, non aedificationis mercedem a Deo, et est hypocrita. Ideo competenter addit et dicit: 5. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Hypocrita est enim omnis doctor, qui non prius facit bona, et postea docet. Dum enim bona docet, profitetur se justum coram hominibus: dum autem male agit, peccatorem se constituit intra se. Hoc ergo dicit: Vis libere et fiducialiter reprehendere laicum, et ejicere de oculo mentis ejus peccatum? Prius tuam ipsius mentem purga ab omni malo, ut cum tu argueris laicum pro peccatis ejus, ex diverso laicus non habeat, unde redarguat te pro peccato tuo. Nam incipiet te timere in se, cum non invenerit quod contemnat in te. Omne autem peccatum non secundum actum suum dijudicatur, an modicum sit, aut magnum, sed secundum peccantis personam. Laicus enim etsi magnum fecerit peccatum, modicum

Commented [p114]: Col.727

est, et festuca est, quantum ad sacerdotis dico peccatum, quia laicus est: doctor autem, etsi modicum fecerit peccatum, magnum est, et trabs est, quantum ad laici dico peccatum, quia doctor est. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos.* Cum supra dedisset Dominus mandatum omnibus, praecipue autem doctoribus, ut diligerent inimicos suos, et benefacerent eis: iterum paulo ante, ut ne judicarent eos, qui peccant in ipsis: considerans, quoniam qui persequuntur sacerdotes Dei, aut injuriant eos, aut laedunt, plerumque aut infideles sunt, quales sunt gentiles vel haeretici: aut si sunt Christiani, sordidi sunt et insensati, quia nec considerant, nec intelligunt, sacerdotes Christi vicarios esse Christi, et Christum: et quoniam qui honorat sacerdotem Christi, honorat Christum: et qui injuriat sacerdotem Christi, injuriat Christum, ne forte consequenter cogitantes intra se sacerdotes dicant, Si jubemur diligere inimicos nostros, et benefacere eis: si jubemur nec judicare eos peccatores, qui peccant in nos: sine dubio sicut debemus diligere eos, et benefacere eis, sic non debemus eos judicare peccatores, qui peccant in nos: ut non solum nostra, sed etiam quae propria Dei sunt, eis communicemus, ut sit plena misericordia nostra, sicut et Dei: ideo talem aestimationem eorum provido sermone compescuit, dicens: *Nolite sanctum dare canibus, et margaritas vestras nolite mittere ante porcos*. Ac si dicat, Mandavi vobis diligere inimicos vestros, et non judicare eos, ut vos exhibeam misericordes ad illos, ut benefaciatis eis de corporalibus vestris, non de meis spiritualibus bonis, quoniam in natura vobis communes sunt, et non in fide. Mandavi autem vobis, ut non judicetis eos, qui in vobis peccaverint. Id vero non ideo praecepi, ut mysteriorum meorum secreta non pandatis eis, qui nolentes me scire, blasphemant, et spernunt. Videte Patrem vestrum Deum, ad cujus exemplum volui vos esse misericordes: carnalia beneficia dignis, et non dignis similiter praestat, numquid gratias spirituales? Nec enim dixi vobis de illo, qui Spiritum sanctum jubet descendere super gratos et ingratos, et dat benedictiones suas super justos et injustos: propter quod in vestris quidem estote simplices et benigni, in meis autem prudentes et cauti. Si tu vestiarium tuum studiosum, et clavicularium cellarii tui fidelem tibi requiris: quanto magis Deus talem requirit dispensatorem gratiarum suarum, qui bene tractando gratias ejus, faciat gratiores, non, male dispensando, reddat ingratas? Sicut enim si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritae nutriunt porcos, sed e contra canes coinquinant sanctum, et porci margaritas sordidant, vel confringunt: ita si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis, aut mysteria secreta credideris, nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis eos illuminant, sed e contra ipsi sanctum coinquinant, et mysteria veritatis blasphemant. Canis et porcus ambo quidem immunda animalia sunt: sed canis ex omni parte immundus est: nam nec ruminat, nec ungulam habet fissam. Porcus autem ex parte immundus est: nam quoniam ungulam habet fissam, mundus est: quoniam autem non ruminat, immundus habetur. Propter quod canes puto intelligendos gentiles, vel haereticos omnino immundos: nam etsi propter actus suos malos immundi sunt, et propter perfidiam suam vel idololatriam amplius sunt immundi; porcos autem, Christianos carnalibus et immundis voluptatibus deditos, quoniam propter fidem quidem suam mundi sunt, propter actus autem suos sordidos habentur immundi. Aut canes quidem gentiles: porcos autem haereticos, propter aliquid eorum modicum mundum: quia vel nomen Domini invocare videntur, sed ex moribus intelligis, qui sunt canes, vel porci. Canis naturale est improbum esse, numquam vocem mittere propter aliquam alteram cansam, sicut caetera alia

Commented [p115]: Col.728

animalia, nisi ad abigendos supervenientes; interdum autem et de superfluo in aerem latrat. Tales sunt omnes gentiles, vel haeretici inapprobabiles, latrantes plurimum adversus servos Dei, latrantes aliquando et adversus Deum blasphemiis: ululantes aperte, et numquam os suum aperientes ad bonum, sed semper ad malum. Item porci proprium est in coeno se volutare, et numquam in caelum aspicere, nec quaerere dominum suum, nisi cum esurierit. Tales sunt etiam Christiani, qui in carnalibus immunditiis delectantur, nec aspiciunt aliquando caelos, nec quaerunt Deum, nisi cum necessitas eis advenerit: et illi, qui quidem evomunt malum, quando bene judicantur de malo: revertuntur autem ad vomitum suum, sicut canes, quando nihilominus agunt malum: et isti projiciunt stercora peccatorum suorum, quando poenitent: revertuntur autem ad stercora sua, sicut porci, quando omissam repetunt vitam. Nunc videamus, quae sunt sancta, et quae sunt margaritae. Non enim distinxit, quid sit, sanctum dare, quid non dare, cum sit inter sanctum et sanctum differentia sanctitatis: sed generaliter omne quod sanctum est, vetuit dare. Ergo sanctum est baptismum; propterea non est dandum, nisi jam fidem habentibus. Sancta est gratia corporis Christi; propterea illis solis danda est, qui jam per baptismum facti sunt filii Dei, et per impositionem manus. Benedictus panis sancta sunt; propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionum per fidem. Item mysteria veritatis margaritae sunt, quia sicut margaritae inclusae cochleis positae sunt in profundum maris: sic et divina mysteria, in verbis inclusa, posita sunt intus in altitudinem sensus Scripturarum sanctarum. Et sicut non omnis homo potest se mergere, et de profundo tollere margaritas, nisi artifex, qui habet usum rei illius: sic non omnis homo potest descendere in altitudinem sensuum, et illic invenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis, qui habet exercitationem spiritualium narrationum Dei. Propterea margaritae non sunt dandae, nisi desiderantibus veritatem, et cum ratione humana viventibus. Si ergo talibus porcis secretorum mysteriorum miseris margaritas, coenosae vitae delectatione mente gravati, non intelligunt pretiositatem earum: sed aestimantes eas similes esse caeteris fabulis mundialibus, similiter eas carnalibus actibus conculcant: et post modicum conversi per inobedientiam, rumpunt praebitores earum: frequenter autem et scandalizati in eis, calumniantur expositores earum, quasi dogmatum novorum seminatores. Et si talibus canibus, qualibus diximus, dederis sancta, suscipiunt, quasi canes, sine discretione, et sordidis actibus suis conculcant ea, et pro nihilo aestimantes quae acceperunt, conversi disputationibus suis, quasi latratibus irrationabilibus, rumpunt veritatis praedicatorem. Et puto, non sine rationabili differentia sanctum quidem canibus dare vetuit Dominus, margaritas autem non dare porcis. Et de margaritis quidem possumus dicere, quia si porcis mitti vetantur minus immundis, quanto magis canibus plus immundis? De sancto autem dando idem aestimare non possumus. Quid est enim, si plus immundis dare non convenit, minus autem immundis oportet? Idcirco neque vetitum intelligimus, neque mandatum: forte quia frequenter et manum imponimus, et benedictionem damus etiam porcorum more viventibus Christianis, non quia illi merentur accipere, sed nos ex nobis contra justitiam, dare usurpamus, ne forte plenius scandalizati depereant. Ideo jussum non est, quia injustum est: vetitum autem non est, quia infirmitati fuerat ignoscendum. Sed quia de sanctis coepimus dicere, non est tacendum, quoniam aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat: sanctificatum autem alterum sanctificare non potest, quamvis ipsum sit sanctum. Utputa, signas panem tuum, quem manducas, sicut ait Paulus: *Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (1. *Tim.* 4. 5.): sanctificasti eum, non

Commented [p116]: Col.729

fecisti sanctificationem. Quod autem sacerdos de manu sua dat, non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non solum datur, quod videtur, sed etiam illud, quod intelligitur. De sanctificato ergo pane licet et animalibus jactare, et infidelibus dare: quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur: omnes de mensa manducarent, et nemo de manu sacerdotis acciperet. Unde et Dominus in via non solum benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophae, et socio ejus (*Luc*. 24). Et Paulus navigans non solum benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucae, et caeteris discipulis suis (*Act*. 27). Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum: quia non solum sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, et sanctificat accipientem.

Homilia xviij. ex capite vij. (col.729-36)

7. *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis.* Transitum consequentem de capitulo ad capitulum invenire difficile est. Ideo diversa proponimus secundum diversas aestimationes interpretum. Sciens Dominus, quoniam quaecumque mandaverat supra, hominibus impossibilia erant: et quantum ad naturam humanam, supra naturam. Nam qui se non abstinet a caedibus, quomodo potest abstinere se ab ira? Qui non se abstinet a fornicatione, quomodo se abstinet a concupiscentia? Qui non se abstinet a perjurio, quomodo se abstineat a juramento? Qui alios ferire non cessat, quomodo se praebeat feriendum? Qui nec amicum suum sincere diligit, quomodo diligat inimicum? Quid autem sic impossibile est, quomodo eleemosynas facere, vel orare, vel jejunare, et nolle hominibus apparere? Quid autem difficilius est, quam non judicare peccantem in se, aut nihil sanctum vel secretum dicere aut dare indignis? Necesse est enim ut et multos sibi faciat inimicos. Quoniam ergo majora erant mandata, quam virtus humana est, transmittit eos ad Deum cujus gratiae impossibile nihil est, dicens: *Petite, et dabitur vobis*: ut quod ex vobis hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Quoniam creaturam sensibilem Deus armatam et munitam creavit. Alios enim munivit veloci pedum cursu, alios armavit unguibus, alios velocibus pennis, alios dentibus, alios cornibus: hominem autem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse. Et in eo quod infirmiorem eum fecit omnibus, in ipso fortiorem eum voluit esse in se. Nam sciens Deus, quia cognoscere et colere Deum vita aeterna est, ignorare autem, et contemnere, perditio sempiterna, nec ita infirmum eum creavit, ut omnino nihil boni facere posset, ne quem super omnia, et propter quem omnia fecerat, omnibus inveniretur esse deterior: nec ita potentem eum creavit, ut etiam sine Dei auxilio ex seipso facere posset quod vult, ut infirmitatis suae necessitate coactus, semper necessarium habeat Dominum suum. Et vere justissima res est, ut factura necessarium habeat suum factorem. Si enim omnis virtus hominis in Deo est, et tamen contemnit omnium bonorum suorum auctorem: quanto magis negligeret Deum, si potentia ejus esset in ipso? Aut ita: quoniam ad sanctificandam orationem quaedam dederat eis observandae bonitatis mandata, dicens: *Nolite judicare, ut non judicemini*: competenter addidit, *Petite, et dabitur vobis*: tamquam si dicat: Si hanc clementiam servaveritis ad inimicos, quam mandavi vobis: quicquid vultis, petite, et dabitur vobis: et quicquid desideratis invenire, quaerite, et invenietis: et quicquid clausum vobis videtur, pulsate, et aperietur vobis. Gratia vos prosequente, petite precibus die ac nocte orantes. Quod si misericordiam suam protraxerit Deus ad tempus,

Commented [p117]: Col.730

volens tentare constantiam fidei tuae, tu a petitionibus tuis non recedas. Sicut enim qui vere esurit, tamdiu petit cibum, donec impleat necessitatem corporis sui, nec potest cessare, necessitas enim urget, quia sine cibo vivere non potest: ita et qui vere desiderat gratiam Dei, cessare non potest a petendo, sciens quia salvus fieri non potest sine gratia Dei. Adhuc quaerite, interrogantes sacerdotes caeterosque habentes scientiam spiritualium Scripturarum, sicut praecepit lex: *Interroga patrem tuum, et dicet tibi: seniores tuos, et annuntiabunt tibi* (*Deut.* 32. 7). Quaerite studio et labore, legentes Scripturas legis et prophetarum. Nam Deus ita nos disposuit esse, ut nec studentes et laborantes circa Scripturas acquiramus salutem scientiae sine gratia Dei, ut ne nobis imputemus quod scimus: nec tamen gratiam acquiramus, nisi studuerimus et laboraverimus circa Scripturas, ne donum Dei detur negligentibus. Gratia enim adjutorium est infirmitatis humanae: adjutorium autem non dormientibus datur, sed festinantibus, et praevalentibus. Sicut enim in bello non omnis, qui pugnat, vincit, nemo tamen vincere potest, nisi pugnaverit: sic non omnes, qui student et legunt, acquirunt scientiam spiritualem, nemo tamen acquirere potest, nisi qui aut studiosus fuerit ad legendum, aut assiduus ad audiendum. Et infideles quidem, et non timentes Deum inveniunt scientiam legendo et studendo, sed non illam quae ex Deo est, quae per Spiritum sanctum datur, sed hanc quae est ex natura carnali, quae per exercitationem carnis acquiritur, quam habuerunt etiam et gentilium studiosi. Multa enim differentia est inter scientias istas. Qui enim orationibus non instat, nec operibus bonis, sed per solum studium lectionum factus est sciens, quando aliis praedicat, ipse sibi non sentit quod praedicat. Si de ira Dei loquitur, alios forsitan terret, ipse autem non timet: si de misericordia, alios quidem forsitan consolatur, ipse autem non gaudet: alios admonet credere, et ipse non credit eis quae dicit. Sed quando alios docet, ab intus conscientia ejus ridet sibi de verbis suis: quia scientia, quae ex solis lectionibus est, ex ore procedit: quae autem de Spiritu sancto est, de corde profertur, et ideo spiritualis scientia non solum dicitur, sed et sentitur: non tantum in Scripturis legitur, sed ex corde suggeritur: et ideo si alios terret, ipse amplius timet: si consolatur, ipse melius gaudet: et omne quod loquitur, non tantum legit, sed experimento probavit. Ideo ergo petamus Deum, et operemur bona, ut non carnalem, sed spiritualem scientiam mereamur. Et hoc est quod dicit, *Pulsate, et aperietur vobis*. Pulsat enim Deum, qui facit bona opera ante Deum oratione, jejuniis, et eleemosynis. Sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed et manu: sic qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. Scriptum est enim, *Concupisce sapientiam, serva justitiam, et Deus praebebit eam tibi* (*Eccli*. 1. 33). Sed quid dicis? Hoc ipsum peto, ut sciam et faciam: et quomodo possum tacere priusquam accipiam? Etiam quod potes fac, ut amplius possis: et quod scis serva, ut amplius scias. Justitia enim ipsa se operatur, et ipsa se manifestat. Quomodo? Dum tu justitiam operaris in te, justitia te operatur in se. Nam omne artificium seipsum operatur: ut puta, operaris vineam, colligis fructus ejus, et delectatus in eis, melius operaris. Vides quia ipsa se colit fructificando tibi, dum colitur? Sic ex diverso, qui opus peccati exsequitur, ipsum cum peccatum sit spiritus immundus, operatur in eo delectationem peccandi: ut dum delectatur circa peccatum, amplius peccet. Sic et qui justitiam operatur, cum sit et ipsa justitia Spiritus sanctus, operatur in eo delectationem justitiae faciendae, ut delectatus circa justitiam, amplius faciat. Tale est quod dicit Sapientia: *Cogitatum habe in praeceptis Dei, et in mandatis ejus meditare semper, et ipse confirmabit cor tuum: et concupiscentiam sapientiae tibi dabit* (*Eccli*. 6. 37). Vides quia ipsa justitia se operatur, te tantummodo

Commented [p118]: Col.731

inchoante et laborante? Sed et ipsa se adaperit, dum colitur. Sicut enim qui peccat, dum peccat, magis atque magis tenebrescit mens ejus, et a luce veritatis recedit, ita ut nulla scientia salutaris remaneat in eo, nisi sola malignitas, de qua dicit Salomon: *Sapientia impiorum nequitia scientiae est* (*Eccli*. 19. 19): sic et qui justitiam operatur, dum operatur, magis atque magis clarescit mens ipsius, et ad notitiam sapientiae majoris ascendit, et ipsa se justitia quasi speculum offert ante oculos cordis ipsius. Deinde si opera justitiae non facis, id est, si non pulsas, nec orare ex fide potes. Nam virtus orationis est opus justitiae. Oratio autem quasi odor suavitatis est operis boni. Sicut ergo res aliqua sine odore potest esse, odor autem sine re aliqua esse non potest: sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine opere bono nihil est: et si oras, non ex fide oras. Nam sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur: sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur. Aut ita: cum supra mandasset omnibus, praecipue autem doctoribus, ut diligerent inimicos suos, et non judicarent quasi peccatores offendentes se: consequens erat, sicut jam diximus, ne forte sub obtentu dilectionis et bonitatis etiam sancta Dei et secreta communicarent eis. Ideo constituit ne faciant hoc, dicens: *Nolite sanctum dare canibus.* Nunc autem dat eis consilium bonum, ut si diligant inimicos suos, quasi Dei benigni imitatores, et velint eos etiam secundum Deum salvare, petant Deum pro illis, et dabitur eis: quaerant eos, qui perierunt in peccatis, et invenient eos, Dei gratia demonstrante: pulsent eos, qui sunt in erroribus conclusi, et aperiet eos Deus, ut habeat sermo eorum ad animas eorum ingressum: ac si dicat de Christianis, qui porcorum more viventes perdiderunt per se imaginem Dei, et cadentes ab homine porci facti sunt, et perierunt: Quaerite eos admonendo benevole, promittendo eis misericordiam Dei, et in spem eos adducendo. Sic enim et Paulus eum, qui quasi porcus et non homo indifferenter conjugium maculaverat patris, quaesivit, et per gratiam Dei invenit (1. *Cor.* 5). Gentiles autem vel haereticos, qui verisimilibus persuasionibus mendaciorum circumsepti sunt, et conclusi intra claustra perfidiae, pulsate eos doctrinis assiduis, et aperiet eos Deus, solvens claustra perfidiae, et habebitis in eos ingressum: sicut Christus dicit in Revelatione Joannis: *Ecce ego sto ad ostium, et pulso: et qui aperuerit mihi, introibo ad illum, et coenabo cum illo, et ille mecum* (*Apoc.* 3. 20). Ergo non temerando sancta Dei vel peccatores, vel gentiles, vel haereticos debemus velle salvare sub obtentu misericordiae: hoc enim temeritatis est, non bonitatis: sed Deum quidem petendo pro eis, ipsos autem vel quaerendo, si perierunt, vel pulsando, si clausi sunt. Et tunc, si et nos digne petimus, et illi sanabiles facti sunt, et ex canibus et porcis immundis reformati efficientur homines sancti, et sic juste et digne sancta participabunt, et audient secreta mysteria. 8. *Omnis enim qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.* Quoniam dixerat, *Petite, quaerite, pulsate*: ne forte aliqui peccatorum audientes dicant, Etiam, ista facere dignos hortatur; nos autem indigni, etsi petierimus, non accipiemus: etsi quaesiverimus, non inveniemus: etsi pulsaverimus, non nobis aperietur: vide quomodo eamdem clausulam repetendo, tam justis, quam peccatoribus misericordiam Dei commendat, dicens: Omnis qui petit, sive justus sit, sive peccator, tantum petere non dubitet, quaerere non negligat, pulsare non cesset: cum constet neminem sperni, nisi qui petere dubitaverit a Deo, quaerere neglexerit, pulsare cessaverit. Ut autem cognoscamus bonitatem Dei, dicamus de Deo, sicut Christus dixit de nobis. Dixit enim supra: *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* 5. 44), et caetera hujusmodi: et addidit, *Si autem diligitis diligentes vos, quam mercedem habebitis? nonne gentiles hoc faciunt* (*Ibid. v*. 46. 47)? Nos ergo dicamus de Deo: Si Deus tantummodo justos suos et

Commented [p119]: Col.732

amicos exaudit et adjuvat, quam laudem bonitatis meretur? nonne et homines, cum sint mali, amicos suos rogantes se audiunt, et beneficia eis praestant? Vides ergo, quoniam Dominus dicens, «Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est, qui solem suum oriri jubet super justos et injustos, et dat pluviam super gratos et ingratos» (*Luc.* 6. 36. *Matth.* 5. 45), bonitatem Dei voluit demonstrare, quia tam justis quam peccatoribus parata est bonitas ejus. Nec enim credibile est, ut opus bonitatis hominibus quidem injungat in malis constitutis, ipse autem non faciat cum sit bonus. Ergo omnis qui non habet justitiam, aut ut credat de regno caelesti, ut facere valeat justitiam, aut certe non petivit fideliter, aut non quaesivit studio et labore, aut non pulsavit operibus bonis: ideo non est duritia Dei non praestantis, sed culpa hominis negligentis. 9. *Quis vestrum habens filium, et si petat ab eo panem, numquid lapidem porriget ei?* 10. *Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* Vide quomodo nos ad spem divinae bonitatis inclinat, ne forte aliquis considerans, quanta est differentia inter Deum et hominem, et ponderans peccata sua, dum non sperat impetrare, nec incipiat petere: ideo patrum et filiorum similitudinem introduxit, ut etsi propter peccata nostra desperemus, propter paternam veritatem, bonitatem Dei speremus. Panis est verbum de notitia Dei Patris. Lapis est omne mendacium, et quicquid illud habet in se scandalum offensionis ad animum. Unde dicit propheta ad justum: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psal.* 90. 12). Omnis enim justus custoditur ab angelis, ne forte in occasionem offensionis incurrat pes conversationis ipsius. Piscem autem intelligere possumus verbum de Christo: serpentem autem ipsum diabolum. Ut ergo impetremus quod desideramus, duo haec convenire debent. Unum quidem, ut petas oratione, et quaeras studio, et pulses operibus: alterum autem, ut panis aut piscis sit, quod petis. Si autem quae non expediunt petis, hoc est, carnalia, quae nocent animae tuae, quasi lapis aut serpens, non tibi praestat, etiamsi petas, quia pater benignus est. Alioqui si praestat nociva petenti, non est pater, sed inimicus. 11. *Si vos, cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit spiritum bonum petentibus se?* Non quia apostoli erant mali, sed quantum ad comparationem Dei, qui solus singulariter est bonus, omnes mali videntur. Sicut ad comparationem nivis aut solis omne mundum sordidum videtur, et omne lucidum obscurum. Et vere, cum omnes patres mali sint praeter Deum, ecce si hodie pater injuriam patiatur a filio, statim affectus illius mutatur in odium, et irascitur illi forsitan et castigat. Non quia ille faciens injuriam patri peccavit ante Deum, ideo pater suus illi irascitur, sed quia illi fecit injuriam. Alioqui si pater, injuriam passus, non propter injuriam suam irasceretur filio, sed propter illius peccatum, in omni peccato filiorum similiter irasceretur. Nunc autem, quando ipsi injuriam patiuntur, dolent et fremunt: quando autem aliter filii eorum peccaverint in Deum, nec curant. Deus autem offensus ab homine, non ideo irascitur, quia ipse cum esset Deus constitutus, ab homine est contemptus, sed quia homo offendens Deum perdit animam suam. Vere ergo non irascitur de injuria sua, sed dolet de perditione humana. Et si castigat, non ut suam injuriam vindicet, sed ut illum corrigat ad salutem. Audi eum per prophetam dicentem: «Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo in virga injustitias eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis» (*Psal.* 88. 31. 33. 34), etc. Quoniam vero non omnia petentibus praestat, sed bona tantummodo, ideo non dixit, Quanto magis Pater vester dabit petentibus se: sed addidit, *Bona petentibus se.* 12. *Omnia ergo, quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis.* Supra propter sanctificandam orationem mandavit, ut non judicent qui peccant in ipsos: ita ex necessitate ab ordine suae

Commented [p120]: Col.733

narrationis excedens, introduxit alia quaedam quale est, *Quid tu vides festucam in oculo fratris tui?* et illud, *Nolite sanctum dare canibus*, etc., quae sequuntur. Nunc ad mandatum quod coeperat rediens ait: *Omnia, quaecumque vultis ut faciant vobis homines, facite et vos eis*: id est, Non solum mando, *Nolite judicare, ut non judicemini*, quod omnes homines sibi fieri volunt, ut cum nocuerint aliquibus, non judicentur ab eis: sed etiam *Omnia, quaecumque vultis ut faciunt vobis homines, vos facite eis*, et tunc impetrabiliter potestis orare. Nam quaecumque lex et prophetae sparsim in omnibus praeceperunt Scripturis, in hoc compendioso comprehenduntur mandato, quasi innumerabiles arboris rami in una radice. 13. *Intrate per angustam portam.* Tertia haec consequentia ad tertiam justitiam jejunii pertinet, et est pars doctrinae de jejunio factae: ut sit talis ordo narrationis: «Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Intrate per angustam portam»: quoniam omnis quidem justitiae introitus ad vitam aeternam angustus est homini viventi in carne, propter adversitatem naturae carnalis: nullus autem sic est angustus et laboriosus, quomodo jejunii sinceriter consummati: et ut scias attende. Omnes quidem passiones carnales dicuntur, et sunt, quia spiritu carnis moventur, sive ira, sive superbia, sive invidia, sive avaritia, sive vana gloria: praecipue tamen tres sunt quasi naturales, et intimae, et propriae carnis passiones: esca et potus, deinde amor viri ad mulierem, et mulieris amor ad virum. In tertio loco somnus, quoniam sine illis quidem passionibus ipsa natura carnis consistere non potest. Ergo quasi partes quodammodo et supplementa sunt naturae carnalis: nam ad omnes illas passiones non necessitas naturae carnalis urget, sed praesumptio spiritus carnis: ad istas autem ipsa necessitas naturae carnalis. Ideo et gravius est eas a natura carnali praecidere, quam caeteras passiones. Nam omnes illas passiones praecidere labor est per colluctationem cordis: istas autem passiones praecidere non solum labor est per colluctationem cordis, sed consumere et conterere ac interficere ipsam naturam carnalem, et quasi truncare substantiam ipsam: quemadmodum si quis praecideret a corpore aliquod membrorum ipsius. Si ergo hae tres passiones naturales sunt, et intimae, et propriae naturae carnalis: nullius passionis abstinentiam sic sanctificat corpus, quomodo abstinentia harum, ut sit homo castus, ut sit jejunus, ut sit in vigiliis perseverans. Et nulla illarum passionum sic coinquinat corpus, quomodo passiones istae, ut sit homo aut fornicarius, aut epulator, aut deditus somno; ideo et Apostolus dicit: *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (2. *Cor*. 6. 18), qui proprie de ipsa natura carnis passio fornicationis egreditur. Et Dominus in Evangelio epulatorem proponit divitem, cui pauper Lazarus adjacebat: et Abraham non dicit ei, Fili, recordare, quia tu hoc et hoc fecisti in vita tua, et nunc cruciaris: sed, *Quia bona recepisti in vita tua* (*Luc.* 16. 25). Et ubique Dominus in Evangelio praecipit assidue vigilare. Ergo propter omnes quidem justitias, praecipue autem propter laboriosissimum jejunium dicit: *Intrate per angustam portam*, etc. Porta perditionis est diabolus, per quam introitur in gehennam; porta autem vitae est Christus, per quam introitur in caelestia regna: de qua dictum est: *Haec porta Domini, justi intrabunt per eam* (*Psal.* 117. 20). Lata autem porta dicitur esse diabolus, non magnitudine potestatis extensus, sed effrenatae superbiae licentia dilatatus. Tale aliquid Dominus dicit, *Beati pauperes spiritu* (*Matth*. 5. 3). Pauper spiritu est, qui cum sit magnus, modicum se ostendit. Dives autem spiritu est, qui cum sit modicus, ostendit se magnum: sicut diabolus superbia animi elatus, qui cum esset minister Dei in caelo, quasi

Commented [p121]: Col.734

Deus super caelos extendere se usurpavit contra Deum. Porta autem angusta dicitur Christus, non parvitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus, sicut ipse de se testimonium dat: *Videte quia mitis sum, et himilis corde* (*Matth.* 11. 29). An non tibi videtur potestate latissimus, humilitate autem angustus, qui cum esset Dominus majestatis, quasi homo in hoc saeculo voluit apparere, et quem totus non capit mundus, seipsum intra angustias uteri virginalis inclusit? Et alias intelligitur diabolus porta lata, et Christus angusta, quoniam diabolus omnibus peccatis involutos et universam mundi sarcinam bajulantes recipit, et ducit in mortem: Christus autem non recipit in se, nisi qui se omnibus peccatis exuerint, et deposuerint omnem sarcinam mundi, et facti fuerint subtiles et spirituales, ut quales intrant in mundum, tales exeant de mundo. Adhuc latus dicitur diabolus, quoniam apud illum sine lege sunt omnia: Christus autem angustus, quoniam sub ratione legis apud eum universa consistunt. Quicquid enim sine lege solutum est, latum est: quod autem sub lege est, semper angustum est. Via autem perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spatiosa, quia non est intra regulam veritatis et disciplinae inclusa, sed per diversa carnalium voluptatum diffusa. Ambulantes in ea non quod debent agere, hoc agunt, sed quicquid eos delectaverit, hoc sequuntur. Voluntas eorum lex est ipsorum: et non ipsi sub lege sunt, sed lex est sub illis. Via autem vitae est omnis justitia. Dicitur autem esse arcta, quia intra regulam veritatis et disciplinae est inclusa, et ambulantes in ea non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent: quia lex non voluntas eorum est, nec lex est sub illis, sed ipsi sub lege. Considerandum est autem, quia via ducit ad portam, et nisi quis ambulaverit per viam, non potest pervenire ad portam: sic et qui justitiam faciunt, ipsi soli possunt cognoscere Christum, et intrant per ipsum. Qui autem non ambulant per viam justitiae, impossibile est, ut vere cognoscant Christum, quamvis multi etiam non ambulantes per justitiam videantur cognoscere Christum. Si autem nec fuisti nec es in via justitiae, et putas te cognoscere Christum, mentiris. Sicut enim qui audit quia mel dulce est, nec gustat de illo, nomen quidem mellis cognoscit, gratiam autem ejus naturae ignorat: sic et qui audit quia Christus Filius Dei est, justitia autem ejus non fuerit usus, tantummodo nomen Christi cognoscit, gratiam autem naturae ejus ignorat. Ideo non dixit propheta, Audite et videte quoniam suavis est Dominus: sed, *Gustate et videte* (*Psal.* 33. 9.) Quando ergo aliquid audimus de Christo, nomen Christi cognoscimus tantummodo, ut diximus: quando autem justitiam facimus ejus, ipsum Christum gustamus. Similiter nec incurrit in manus diaboli, nisi qui in via ambulat peccatorum. Vis non incurrere in diabolum? Declina a via, quae ducit ad illum, et nullam habet in te diabolus potestatem: si autem ambulaveris in via, quae ducit ad illum, jam non diabolo imputes perditionem tuam, quasi ille te traxerit ad se, sed tibi, quia tu ivisti ad illum. Numquid porta ducit ad viam? Sed via ducit ad portam: sic non prius diabolus homines ducit ad peccata, sed peccata ad diabolum ducunt. Vides ergo, haec via perditionis quam nociva est, quam spatiosa est? Et ideo non solum volentes, sed et nolentes incurrunt in eam: et difficile est, ut natus in hoc mundo aliquantulum non incidat in eam. Quasi lata enim de longe videtur, et ideo etiam infantes, antequam viam vitae videant, vel intelligant, istam vident: et cum intraverit quis in eam, prout vult, se agit, nec coangustatur in aliqua parte ita ut delectet eum ambulare per eam. Ambulant enim in ea gaudentes, ridentes, non solum manducantes et bibentes, sed etiam devorantes et inebriantes. Ambulant in ea divites, mentientes, perjurantes, aliena tollentes, et se divites facientes. Ambulant in ea cum uxoribus; non solum cum uxoribus, sed etiam fornicantes et adulterantes. Quid sit tribulatio, nesciunt. Et quis non delectetur quantum

Commented [p122]: Col.735

ad carnem ambulare per eam? Haec autem justitiae via angusta primum nec facile videtur: et ideo qui vult intrare in eam, necesse est ut aliquantulum evagetur in via illa spatiosa, donec ante considerans aliquando inveniat istam: et cum intraverit in eam, non prout vult, agit. Ex omni enim parte coangustatur, ita ut poeniteat eum intrasse in eam. Ambulant enim tristes, lugentes, jejunantes, etsi manducantes et bibentes, tamen non sine lege timoris manducantes et bibentes. Ambulant pauperes, etsi divites, non sibi, sed aliis: aliena non tangentes, sua dispergentes. Ambulant casti, etsi cum uxoribus, tamen non sine legis timore amorem suum dispergentes, blasphemati, injuriam passi, et spoliati. Et quem non poeniteat, quantum ad carnem, intrasse in eam? Et ne mireris quia dixi, quem non poeniteat intrasse per eam, audi prophetam dicentem: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns* (*Psal*. 72. 2. 3). Ideo videntes homines hanc tribulatam et angustam viam, multi recedunt ab ea, et quidam ab initio, nec accedunt ad eam, nec volunt eam videre. Quidam autem concupiscentes volunt eam videre, et accedunt ad eam; sed dum considerant angustias et labores ejus, recedunt ab ea. Alii autem audaciores, et intrant in eam; sed postea, dum non sustinent labores et angustias ejus, iterum reversi egrediuntur de ea. Adhuc autem spatiosa dicitur illa via etiam hac de causa, quia omnia quae sunt, uxores, filii, parentes, amici, aurum, argentum, vestimenta, domus, possessiones, omnes species bonorum ciborum et potuum, omnia artificia, omnes negotiationes, militiae, honores, et quicquid in hoc saeculo est, quod aut visum delectat, aut auditum, aut odoratum, aut gustum, aut tactum, viae perditionis sunt: non quia omnes, qui ambulant in illis rebus, peccant, sed quia omnes istae res ad peccatum compellunt. Via autem vitae angusta est, quia una est species: id est, abstinentia omnium rerum. Qui enim separat se ab omnibus rebus illis, salvatur. Non dicimus quia omnes, qui sunt in illis, pereunt: sed quoniam qui se separant ab illis omnes salvantur. Separant autem se non corpore, sed animo: non loco, sed actu. Nam quamvis sit in mundo, non videtur esse in mundo, qui non utitur mundo.

Commented [p123]: Col.736

Homilia xix. ex capite vij. (col.736-43)

Christus ostentationem prohibet. Nihil sic bonum pellit ut simulatum bonum. 15. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces:* 16. *a fructibus eorum cognoscentis eos*, etc. Supra mandavit apostolis suis Dominus, ne eleemosynas faciant coram hominibus, ut videantur ab eis, sicut hypocritae: et ut ne orent, ut ab hominibus videantur, sicut hypocritae: et ut ne jejunent coram hominibus se ostendentes, sicut faciunt hypocritae: et docuit illos, ut ne faciant sic, et instruxit eos, quia possibile est in hypocrisi et eleemosynas facere, et orare, et jejunare: propter quod quasi jam ad cognoscentes, quia haec omnia in hypocrisi fieri possunt, loquitur, dicens: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces.* Quae sunt vestimenta ovilia? Species videlicet simulatae religionis. Eleemosyna simulata vestimentum ovile est, non opus ovile. Oratio simulata vestimentum ovile est, non opus ovile. Jejunium simulatum vestimentum ovile est, non opus ovile: et caeterae species pietatis, quibus se vestiunt lupi rapaces. Nulla autem res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum. Nam manifestum malum quasi malum fugitur et cavetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur, et ideo conjunctum bono exterminat bonum. Sic

servi diaboli tunc pessime Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos: de quibus admonet discipulos suos Christus, magis autem nos omnes per illos, dicens: *Attendite a falsis prophetis*: quia magna virtus est hominum cognoscere malum, et firma tutela salutis est scire quem fugias. Haeresis quidem periculosa res est, sed utilis valde. Periculosa quidem, quia multi seducuntur per eam, et pereunt: utilis autem est, quia tentantur fideles per eam, et ab infidelibus segregantur. Qui murmurat de periculo tentationis murmuret necesse est de praemio probationis. In nullo enim negotio potest requies inveniri, nisi praecesserit labor: quanto magis in spiritualibus rebus, nisi praecesserit tentatio, non potest esse probatio! *Attendite a falsis prophetis.* Primum scire oportet, quia sunt omnino falsi Christiani. Nam nulla res perdit viros Christianos magis quam haec: quia quoscumque viderint dici Christianos, quasi Christianos eos aestimant. Si enim constat quia sunt falsi Christiani, aut ille est falsus Christianus, aut tu: si non tu, ille: si tu, non ille: si ille, ut quid illum Christianum aestimas, de quo tibi Christus mandavit? Quia Christianus non est, quem Deus suum non confitetur filium: tu quomodo tibi existimas fratrem? Sed forte dicis, Quomodo dicere illum possum non esse Christianum, quem video Christum confitentem, altare habentem, sacrificium panis et vini offerentem, baptizantem, Scripturas sanctorum legentem, omnem ordinem sacerdotii habentem? Vir sapiens, si non confitetur Christum, et manifesta esset gentilitas illius, et si seducebaris per eam, insania erat, qua seducebaris: nunc autem qui confitetur Christum, sed non sic, quemadmodum mandavit Christus, negligentiae tuae est, si ab eo seduceris. Qui enim in occultam foveam cadit, negligens esse dicitur, quia non caute prospexit: qui autem in manifestam foveam cadit, non negligens dicitur, sed insanus. Quae autem de similitudine ecclesiasticorum mysteriorum dixisti, hoc audi responsum. Quoniam et simia hominis habet membra, et per omnia hominem imitatur, numquid propterea dicenda est homo? Sic et haeresis omnia Ecclesiae habet et imitatur mysteria, sed non sunt Ecclesiae. Deinde sciens Dominus, quia non erant manifesti gentiles, sed absconditi sub nomine Christiano: ideo non dixit, Aspicite: sed, *Attendite.* Aspicere enim est simpliciter videre: attendere autem, est caute considerare. Ubi enim certa res est et indubitabilis, aspicitur: ubi autem incerta et dubitabilis, attenditur. Sciens ergo Christus, quia est in illis aliquid, quod aliis pro alio videbatur, aliud desuper positum, aliud intus inclusum: ideo dixit, *Attendite*, ut scias, quia non corporali aspectu attendendum est, sed vigilantia spirituali. Si enim corporaliter illos aspicias, cognoscere non potes, quia schemata Christianitatis habent. Nam, homines passibiles, quomodo potestis videre mendacia veritatis velamine cooperta? Primum ergo attendendum est per opera bona. Si enim opera justitiae facimus, et a nullo errore decipimur, et ipsi omnem sentimus errorem. Nam ipsa res facit errare, quae facit alterius errorem non cognoscere. Nam qui non cognoscit mendacium alterius, suam non intelligit veritatem. Ergo quamdiu bona opera facimus, ipsum lumen justitiae ante oculos nostros adaperit veritatem. Sic et peccata peccantium sensus tenebrescere faciunt, ut non videntes mendacium, cadant in illud. Vide enim ab initio, ex quo inter homines seminatus est error fidei, non error diabolicus fecit homines malos, sed homines mali diabolicum sibi fecerunt errorem. Si error fecisset homines malos, culpa erat Dei, qui tales homines fecit, ut ab erroribus seducantur: nunc autem culpa est hominis, qui voluntarie elegit errorem: quia non possunt errores praevalere in homines, nisi peccata praecesserint. Prius enim peccatis plurimis excaecatur homo, et sic diaboli seductione seducitur, et cadit in mortem. Quemadmodum enim sole manente non praevalet nox, cum autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum: sic quamdiu lumen justitiae in

Commented [p124]: Col.737

homine fuerit, tenebra erroris eum non apprehendit. Ergo bonis operibus vigilandum est, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. Sicut dicit Sapientia, Impietas trahit hominem ad errorem (*Prov*. 13. 6). Attendite, sicut admonet, attendite, quasi Deo invito diabolus haereses introducat: non Deo invito, sed permittente. Si enim gentes non credidissent in Christum, intelligebamus virtutem fuisse diaboli, qui gentes credere non permisit. Nam si diabolus aliquid potuisset, ab initio credere non permisisset: nunc autem ex eo quod omnes gentes crediderunt, sed postea ex credentibus factae sunt haereses, manifestum est quia non fuit virtus diaboli, sed permissio Dei. Et quare sic admonet, quasi qui noluerit fieri? Quia non sine judicio vult servos suos habere, ideo misit tentationem. Quoniam autem non vult per ignorantiam eos perire, ideo admonet. Ideo tentationem mittit ne mali cum bonis coronentur: ideo autem admonet, ne boni cum malis pereant. *Attendite vobis a falsis prophetis.* Scriptum est, *Omnis lex et prophetae usque ad Joannem* (*Matth.* 11. 13): non quia futuri non erant post Joannem: fuerunt enim et Agabus et Silas et multi; sed quia prophetia de Christo non erat ventura post eum. Ergo post Joannem prophetia quidem de Christo futuro cessavit, prophetae autem et fuerunt et sunt: sed non qui prophetarent de Christo, sed qui interpretarentur ea, quae de Christo ab antiquis fuerant prophetata: id est, doctores Ecclesiarum. Sed et omnes Christiani prophetae dicuntur, qui in regnum et in sacerdotium et in prophetiam unguntur. Nec enim potest quis propheticos interpretari sensus, nisi habeat spiritum prophetiae. Haec autem diximus, ut ostendamus, quia prophetae, de quibus loquitur Christus, doctores dicuntur. Sciens ergo Dominus futuros esse falsos doctores haeresum diversarum, contra veros doctores, qui Scripturas prophecticas et apostolicas perversa interpretatione confunderent, ideo per apostolos suos omnium Ecclesiarum doctores admonet dicens: *Attendite vobis a falsis prophetis.* Et ne forte dicat aliquis haereticus doctor, quia non dixit nos falsos prophetas, sed gentilium et Judaeorum doctores: ideo addidit dicens: *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*. Quamvis et de Judaicis quidem falsis apostolis et prophetis ista praedicit, tamen de illis Judaicis, qui in Christum quidem fuerant crediturі ex eis, perversa autem loquentes secundum suggestionem maligni spiritus, ad corruptionem Christianorum fuerant loquuturi, de quibus cavendis in omni epistola sua sollicite monet Apostolus: quorum filii sunt et haeretici modo. Oves enim proprie Christiani dicuntur: vestimentum autem ovile est species Christianitatis. Vides quia de haereticis Christianis loquatur Christus fugiendis, qui a foris in schemate Christiani videntur, ab intus autem confessionis efficacitate gentiles. Et isti multo periculosiores sunt quam illi Judaici: quia illi quidem rejecti ab apostolis, et notati, extra conventum Christianorum erratici vagabantur, haeretici et furtim quosdam corrumpebant incautos; isti autem quasi fundati Christiani, et Ecclesias suas habentes. Et quid dico? Ecclesias etiam regentes, palam cum libertate subvertunt, et sic multiplicati sunt ex diverso, ut Christiani vagi potius videantur quam illi. Et quomodo non sint periculosi, aut quomodo suadeant multis? Et ne adhuc dicat haereticus, quia de veris Christianis doctoribus loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamen peccatores sunt. Omnis enim Christianus, qui facit peccatum, falsus dicitur Christianus: et vere quidem est: quia Christianus qui facit peccatum, nec poenitet de peccato, falsus est Christianus. Tamen ut scias, quia non de Christianis peccatoribus, sed de haereticis doctoribus loquatur: non tantum dixit, *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*: sed addidit, *Ab intus autem sunt lupi rapaces.* Christiani enim doctores, etsi fuerint peccatores, servi quidem carnis dicuntur, quia vincuntur a carne, tamen propositum non habent perdere Christianos, et ideo non dicuntur lupi rapaces. Vides ergo,

Commented [p125]: Col.738

quia manifeste de haereticis doctoribus dicat, qui eo proposito schemata Christianorum susceperunt, providente diabolo, ut Christianos iniquo seductionis morsu dilanient. De qualibus lupis ad Ephesios dicebat Apostolus: *Scio quia post discessum meum introibunt lupi graves in vos, non parcentes gregi, et ex vobisipsis exient perversa loquentes, ut abducant discipulos post se* (*Act.* 20. 29. 30). Audi ergo, qui doctus ab haereticis, putas te eruditum: et baptizatus ab eis, putas te Christianum factum. Vide, doctores haeretici quid dicuntur a Christo? Devoratores. Si ergo eruditus es ab haereticis, raptus es, non eruditus, non pastus. Si baptizatus ab eis es, devoratus es, non salvatus. Nam luporum devorare est, non salvare. Quid ergo est? 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus enim hominis est confessio fidei ejus, et opera conversationis ipsius. Si ergo videris hominem Christianum, statim considera, si confessio ejus conveniat cum Scripturis, verus est Christianus: si autem non est quemadmodum Christus mandavit, falsus est. Sic enim et Joannes, cum de haereticis scripsisset epistolam, non dixit, Si quis venerit ad vos non habens nomen Christi, nec ave ei dixeritis: sed, *Si quis non attulerit istam doctrinam* (2. *Joan*. 10). Indicium Christianitatis non ad nomen Christi retulit, sed ad confessionem: quia non nomen solum Christi Christianum facit, sed etiam veritas Christi: quia in nomine Christi multi ambulant, in veritate autem ejus pauci. Deinde vide. Numquid ovis lupum persequitur aliquando? Non, sed lupus ovem. Sic enim et Cain persequutus est Abel, non Abel Cain. Sic Ismael persequutus est Isaac, non Isaac Ismael. Sic et Esau Jacob, non Jacob Esau. Judaei Christum, non Christus Judaeos: haeretici Christianos, non Christiani haereticos. Ergo, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Si quis lupum cooperiat pelle ovina, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aera convertit caput suum contra caelum, et sic ululat. Qui ergo secundum Deum vocem humilitatis et confessionis emittit, ovis est: qui vero adversus veritatem turpiter blasphemiis ululat contra Deum, lupus est: sicut dicit propheta de illis: *Iniquitatem in excelso loquuti sunt, posuerunt in caelum os suum* (*Psal*. 72. 8. 9). Ovis herbas manducat, lupus carnibus delectatur. Quem videris ergo de pratis Scripturarum herbas floridas justitiae colligentem, ovis est: quem videris autem in sanguine persequutionis gaudentem, lupus est. Adhuc autem considera an virtutes, quas facit, utiles sint an inutiles. Utiles sunt, quae mirabiliter fiunt, et ad salutem proficiunt: utputa infirmos sanare, et alia hujusmodi, quae fecit Christus. Vacuae autem sunt, quae admirationem quidem faciunt videntibus, utilitatem autem afferunt nullam: utputa volare per aerem, sicut et Dominum diabolus hortabatur: statuas facere ambulare: aut commisceri flammae, et non comburi: et alia qualia Simon fecit. Nam plena opera ex Deo sunt, quia et ipse est plenus: vacua autem ex diabolo, sicut et ipse est vacuus et vanus. Nam quia quaedam mirabilia fiunt ex Deo, quaedam autem ex diabolo, demonstrat Nicodemus. Non enim dixit, Nemo facit signa, nisi sit Deus cum illo: sed, *Nemo facit haec signa, quae tu facis, nisi sit Deus cum illo* (*Joan*. 3. 2). Et tunc quidem ex hoc solo cognoscebantur falsi prophetae et veri, si utilia aut inutilia facerent signa. Nunc autem, quia futurum est, ut etiam ex parte bona faciendorum signorum diabolo detur potestas, etiam aliud quaerere debemus: si necessarium est secundum tempus, aut non est necessarium. Si enim mirabilia Christus propter confirmationem infidelium faciebat, non propter ipsos quos sanabat: ipsos enim in fide sanare poterat, non in signo: manifestum est, quia modo cum nullus sit infidelis, faciendorum miraculorum necessitas non est. Ergo si inutile fecerit signum, falsus propheta est: quia non facit, ut alium aedificet in fide, sed ut se ostendat in opere.

Commented [p126]: Col.739

Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Uva mysterium habet in se Christi. Sicut enim botrus multa in se grana, ligno mediante, suspendit: sic et Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adjunctos. Similiter et sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et multos fideles quodam dulci caritatis amplexu una tenet Ecclesia. Et sunt in ficu signa haec: caritatis quidem in dulcedine, unitatis autem in conjunctione granorum, sicut scriptum est: *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal*. 67. 7). In uva quidem est patientiae signum, quia in torcular mittitur; gaudii autem in spe, quia *Vinum laetificat cor hominis* (*Psal*. 103. 15); sinceritatis, quia non est aqua permixtum, et delectatio suavitatis. De his scriptum est: «Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas; adversus hujusmodi non est lex» (*Gal*. 5. 22. 23). Spinae autem sunt haeretici, sicut sermo ipse demonstrat superius dicens: *Attendite a falsis prophetis.* Ergo non possunt spinae et tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Sed quid proferunt? Vulnera, tribulationes, et caetera mala. Quemadmodum spina, vel tribulus, ex quacumque parte illam conspexeris, habet aculeos: sic et servos diaboli ex quacumque parte consideraveris, iniquitatibus pleni sunt. Si loquitur, in dolo loquitur; si tacet, male cogitat; si irascitur, insanit; si patienter agit, tempus exspectat nocendi, et opportunitatem considerat, quando noceat. Si male agit, non erubescit; si bene facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructum, cujus radix diabolus est? Sub arbore bona et bestiae et animalia requiescunt: sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Sic juxta fideles homines et boni et mali homines pacem habere ac accipere possunt: juxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantummodo serpentes, id est, daemones, qui habent cubilia in pectoribus eorum. Fructus eorum nulli procedunt ad usum: umbra refrigerii non est in eis. Et verum est quidem, quia spinas et tribulos omnes iniquos haereticos appellavit: tamen forsitan sciens Dominus hanc haeresim esse praevaliturum prae omnibus, tribulos eos appellavit, quasi Trinitatis professores, et triangulam impietatem in sua perfidia bajulantes. 18. *Non potest arbor bona fructus malos facere: et non potest arbor mala facere bonum fructum.* Non dixit, Arbor mala non potest fieri bona, neque arbor bona, mala. Alioqui qui malus est, a Deo esset, quod malus est: et qui bonus est, a Deo esset, quod bonus est. Nunc autem sic dicit, Malus non potest facere fructus bonos: id est, quamdiu malus est. Si vero factus fuerit bonus, potest: ut unusquisque, quod malus est, aut bonus, voluntatis ejus sit, non naturae. Nam si volebat, et non poterat fructus bonos proferre, naturae erat: si autem potest, et non vult, arbitrii est, non naturae. Ergo servus Dei non potest facere malum: et si videtur tibi aliquando, quod male fecit, considera caute ipsum malum ejus, et invenies eum ab intus esse bonum. Nam ex proposito bono, etiam quod videtur malum, bonum est, quia propositum bonum malum opus excusat: malum autem opus bonum propositum non condemnat. Vidisti Mosem homicidium facientem, sed non propter suam injuriam, sed propter servorum Dei vindictam. Vidisti Jacob aliud loquentem in lingua, aliudque habentem in corde, cum diceret ad Esau, quia *Vidi faciem tuam, sicut qui videat faciem Dei* (*Gen.* 33. 10), sed non ut eum deciperet, sed ut compesceret. Similiter malus non potest facere bonum: et si videtur tibi facere bonum, considera caute ipsum bonum, et invenies illud ab intus esse malum. Nam quod ex proposito malo fit, etiam bonum, malum est: nam bonum opus malum propositum non excusat: malum autem propositum bonum opus condemnat. Si videris infidelem humilem, aut mansuetum, scito quia subdolus est in corde. De talibus

Commented [p127]: Col.740

enim dicit propheta: *Molliti sunt sermones ejus super oleum et ipsi sunt jacula* (*Psal*. 54. 22). Si videris eum bona opera facientem, intellige quia propter homines facit. De illis enim dicit Dominus: *Omnia faciunt, ut ab hominibus videantur.* Sicut ergo bonorum hominum omnia opera, etiam mala, bona sunt: sic malorum hominum omnia opera, etiam bona, mala sunt. Si ergo videris aliquem, Deum in veritate non colentem, quasi bonum, ne credas oculis tuis, ut et dicas bonae vitae illum; sed crede magis Deo, quam tibi qui dixit: *Non potest arbor mala facere fructum bonum.* Si autem dicis illum bonum, mendacem fecisti Christum. Tu enim vides quae sunt in facie, Deus autem quae sunt in corde. Sicut enim in horto sunt multae arbores fructum inutilem facientes, in silvis autem non invenitur bonum faciens: si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum: sic in Ecclesia, quae hortus est Christi, Salomone dicente, *Hortus conclusus, fons signatus, soror mea, paradisus cum fructu pomorum* (*Cant.* 4. 12. 13), multi sunt mali. In Ecclesiis autem haeresum, quae sunt silvae desertae, nemo est bonus: quia etsi aliquis est bonus, propter homines est bonus, et non propter Deum. Haec secundum fidem dixi: quae sunt autem secundum rationem audi: Quicumque facit aliquid, est propter quod facit: et nemo facit aliquid propter nihil. Qui pugnat, propter praedam, aut propter gloriam victoriae pugnat: qui navigat, propter necessitatem, aut propter lucrum navigat. Sicut nihil potest sine radice nasci, sic nihil potest fieri sine causa. Sic qui bonum facit, aut propter retributionem regni caelestis facit, aut propter judicium poenae. Interrogo ergo te, infidelis propter quid faciat bonum? Propter judicium poenae, dicis. Sed non timet Deum. Quomodo autem timeat Deum, ne peccet in opere, qui non timet Deum, ne peccet in fide, cum sit pejus male credere, quam male agere? Propter retributionem, dicis. Sed non sperat in Deum, qui non curat utrum mendaciter credat, an vere, cum sit melius bene credere quam bene agere: quoniam fides sine operibus aliquid est, etsi mortua est: opus sine fide nihil est. Ut quid ergo facit bonum? Ut videatur ab hominibus, et laudetur: et ideo bonum illius malum est. Si enim sine labore poterat homo bonum facere in hoc mundo, credibile erat ut infidelis bonum faceret propter hoc ipsum bonum: quia bonum facere bonum est. Nunc autem, cum hominibus in carne viventibus sic contrarium sit bonum facere, sic difficile, et prope impossibile, ut neque magni illi sancti perfecte potuerint explere quod bonum est: quomodo infidelis faciat bonum cum tanto luctamine, nullam spem habens retributionis prae oculis suis? Quis agonem suscipit sic periculosum, unde palmam non sperat? Quid ergo? Sine dubio sperat aliquid, ideo facit bonum. Quid illud? Ut mercetur ab hominibus gloriam vanam. Nam multam dat virtutem homini ad laborandum concupiscentia vanae gloriae, et si cum indulgentia possum dicere, majorem dat virtutem homini hypocritae concupiscentia vanae gloriae, quam fidelibus spes regni caelestis. Et haec est ratio: contra spem regni caelestis adversatur natura carnis: concupiscentia autem vanae gloriae ex carne est, et ideo consentit ei carnis natura. Ideo ergo dicit: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum*: quia et mala arbor videtur facere justitiam, sed non bonam, nec ad usum proficientem. Nam qui propter Deum facit justitiam, Deus illam facit: qui autem propter vanam gloriam facit bonum, diabolus illud facit bonum, diabolus delectatur in eo. Falsos ergo Christianos, quos Deus in ignem mittendos promittit, quomodo tu putas participes gloriae tuae? 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Falsos prophetas, de quibus cavendum erat loquutus, non alios esse, nisi falsos Christianos, et falsos Christianorum praedicatores, his verbis manifeste demonstrat. Gentiles enim, aut Judaei, priusquam credant, non dicunt Christo, Domine, Domine: sed

Commented [p128]: Col.741

illi soli, qui tam ex Judaeis quam ex gentilibus visi sunt quidem credidisse in Christum, conversantes autem et praedicantes contra voluntatem Dei et Christi praeceptum, facti sunt falsi praedicatores. Item quoniam falsos prophetas et veros ex fructibus eorum docuit esse discernendos, hic jam manifestius docet, qui sunt fructus, quibus discernuntur probi doctores et reprobi. Qui enim dicunt tantummodo Christo, Domine, Domine, et non faciunt Dei voluntatem, reprobi sunt: qui autem et dicunt Christo, Domine, Domine, et faciunt voluntatem Dei, illi soli probabiles sunt. Quae autem est voluntas Dei, ipse Dominus docet. *Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt Filium hominis, et credit in eum, habeat vitam aeternam* (*Joan.* 6. 40). Ergo voluntatem Dei facere, hoc est credere in Christum. Sicut et alibi Judaeis interrogantibus, *Quid faciemus ut operemur opera Dei*? respondit, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit* (*Ibid. v.* 28. 29).

Quid sit credere, vel non credere Christo. – Credulitatis autem sermo et ad confessionem respicit, et ad actum. Qui ergo sic confitetur Christum, sicut ipse docuit, ille credit Christo: qui autem non sic confitetur, quomodo docuit, ille non credit. Et si conversatur, quomodo mandavit ille, credit Christo: et qui non sic conversatur, quomodo ille mandavit, non credit Christo. Credere enim Christo obedire est Christo: qui autem aut non confitetur, aut non conversatur secundum verbum ejus, ille obaudit Christo, nec credit: propterea tam ille quam iste non intrabunt in regnum caelorum. 22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* In qua die? Quando venerit in majestate sua, et separaverit eos ab invicem, sicut pastor gregem suum: quando jam nemo ausus est garrula contentione sermonum aut mendacium defendere, aut contradicere veritati: quia tunc jam non mundialis et vana gloria desideratur, sed flamma judicii et poena timetur; in illo die, quando os non loquitur, opus non absconditur, sicut in hoc tempore, sed e contra opera singulorum loquentur, et ora tacebunt: non quando persona interrogatur, et conscientia non videtur, sed e contra conscientia discutitur, et persona confunditur, dicente Apostolo: *Cogitationibus invicem se accusantibus, aut etiam defendentibus* (*Rom.* 2. 15); in illa die, quando nemo excusat peccatores, sed omnes accusant, nec alter pro altero intervenit, sed singuli ibi timebunt, quia in illo judicio non erunt testes adulatores homines, sed angeli veraces non erunt judicantes personarum acceptores homines, sed Deus justus, *Qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Ibid. v.* 6). Quam proprie timentium hominum et angustias patientium vocem expressit, dicens: *Domine, Domine.* Non enim semel sufficit illi dicere, Domine, quem necessitas timoris adstringit. *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* Considera quia, *In nomine*, dicunt, non, In spiritu: quia in nomine Christi multi ambulant, qui non habent spiritum Christi, seducendi causa.

Christianus quomodo cognoscendus. – Ideo non ex nomine Christi cognoscendi sunt Christiani, sed de spiritu Christi. Ergo prophetant in nomine Christi, in spiritu autem diaboli: quales sunt divinatores. Sed sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit, sanctus autem Spiritus numquam interdum mentitur. Concessum est autem diabolo et interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendet. Si autem numquam diceret verum, nec ad tentationem poterat sufficere seductio ejus. *Et in nomine tuo daemonia ejecimus.* Daemonia enim ejiciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici: magis autem non ejiciunt, sed ejicere videntur, colludentibus sibi daemonibus ipsis; et ideo semper ejiciunt, et numquam sanant. Semper ante illos daemones quasi castigati clamant, et numquam quasi timentes recedunt. *Et in nomine tuo virtutes multas*

Commented [p129]: Col.742

fecimus. Faciunt et virtutes, secundum ea quae diximus, non utilia et necessaria, sed inutilia et vacua. In omnibus ergo secundum Christi praeceptum discutiendi sunt fructus eorum. Si bona conversatio est eorum, et confessio vera. Si autem aut confessio conversationi non convenerit, aut conversatio confessioni, falsus est. 23. *Tunc jurabo illis, quia nescio qui estis. Tunc*; usque tunc autem sustinebo; quia grandem iram grandis dilatio praecedere debet, et grandis dilatio justius facit esse judicium Dei, et digniorem interitum peccatorum. Sciendum quia peccatores nescit Deus, quia nec digni sunt, ut cognoscantur a Deo. Sicut enim et Apostolus ait: *Cognovit Dominus, qui sunt ipsius* (2. *Tim.* 2. 19). Non quia non cognoscit ipsos, sed suos illos esse non cognoscit: ideo qui pereunt, non fuerunt illius. Aut quomodo te Deus cognoscat, cum tu Deum cognoscere nolis? Sicut enim omnes homines naturaliter cognoscunt Deum, non autem videntur vere cognoscere, quia non digne colunt, sicut servi dominum, sicut factura factorem, et hoc est secundum naturam quidem cognoscere, non autem secundum voluntatem: sic et Deus naturaliter omnes cognoscit, sed non eos videtur vere cognoscere, quia non eos diligit quasi factor facturam, quasi dominus proprios servos. Et hoc est secundum naturam cognoscere, non autem ex voluntate: quia omne malum extraneum est a Deo. Jurat autem Christus, non ut suam veritatem commendet, sed ut illorum incredulitatem condemnet. Non enim, si non juraverit Christus, mentitur, sed ut illi amplius confundantur firmiori responso: quoniam qui mendax est, neminem putat dicere veritatem, neque ipsum Deum. Qui enim non seductioni diaboli deceptus mentitur, sed proposito mendax est, numquam desinit esse mendax, neque post mortem. Nam mors quidem animam a carne separat, animae autem propositum non immutat. Vis scire? Considera eos etiam post mortem mentientes: *Domine, in nomine tuo hoc et hoc fecimus.* Numquid nesciebant ipsi apud se, quia numquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem ejus? Sed putant se, sicut in hoc saeculo homines deceperunt, sic et ibi etiam Deum fallere posse. Ideo etiam non dicit illis, Discedite a me qui operati estis iniquitatem: sed, *Qui operamini*: quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui: quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.

Commented [p130]: Col.743

Homilia xx. ex capite vij. (col.743-7)

Vero Christiano quid faciendum sit. Fortitudo fidei petra dicitur. Haeretici numquam concordes. – 24. *Omnis qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.* Frequenter miramur, quod homines aut promissionibus flexi, aut terroribus fracti, aut persuasionibus falsorum doctorum circumventi, relinquunt fidei veritatem, et ad mendacium infidelitatis transmigrant. Quod si vel hanc unam sententiam Christi caute intelligeremus, et recordaremur, numquam de perditione talium hominum stuperemus. Quomodo enim permaneat apud Christum, qui numquam stetit in Christo? aut quomodo teneat eum veritas, qui numquam tenuit veritatem? aut quomodo servet eum justitia, qui justitiam non servavit? *Omnis qui audit verba mea haec, et facit ea.* Quae verba? Quae superius dixit: ut qui vult esse Christianus verus, non solum non occidat, sed nec irascatur sine causa: non solum non perjuret, sed nec juret: non solum non fornicetur, sed nec usque ad oculum concupiscat: non solum non percutiat, sed nec percussus repercutiat: non solum aliena non tollat, sed etiam cogenti dimittat: non solum amicos sincere diligat, sed etiam

inimicos. Eleemosynas faciat non coram hominibus: orationibus instet intrans in cubiculum suum: jejunia celebret non cum tristitia: non judicet fratrem suum peccantem, sed suae infirmitatis consideratione ignoscat: non det sanctum canibus, neque margaritas suas mittate ante porcos. Petat, quaerat, pulset, et accipiet. Attendat autem a falsis prophetis. Qui ergo se talibus aedificaverit mandatis, quomodo potest fieri, ut aliquando fractus tentationibus cadat? Aut e contra quomodo percussus tentationibus stabit, qui se nullius justitiae fundamento ligavit? Quis ista custodivit, et cecidit? Culpamus Deum, quia non custodivit. Si autem illis praevalet fortitudo diaboli, in quibus justitia Christi non invenitur, magis in illorum perditione laudandus est Deus, quam culpandus: quia ii soli pereunt, qui mandata Christi contemnunt. *Similabo eum viro sapienti.* Non dixit, Aestimabo eum virum sapientem: sed, *Similabo eum viro sapienti.* Ergo alter est, qui similatur, alter est vir, cui similatur. Ergo qui similatur, est homo: cui autem assimilatur, Christus. Christus enim sapiens est vir, qui aedificavit domum suam, id est, Ecclesiam, supra petram: id est, supra fortitudinem fidei. Nam et fortitudo fidei petra dicitur, propter quam Simon Petrus dictus est, ad quem dicit Deus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (*Matth.* 16. 18). Quis est vir stultus? Diabolus, de quo dicit Jeremias: *Clamavit perdix: congregavit filios quos non genuit: fecit divitias suas non cum judicio; in medio dierum derelinquet eas: et in finem erit stultus* (*Jer.* 17. 11). Iste ergo diabolus insipiens vir aedificavit domum suam super arenam. Domus enim ejus ante Christum fuerunt omnes gentes. Sicut enim sancti domus facti sunt Christi, ita et impii domus sunt inimici. Aedificati autem fuerunt super arenam, id est, super inconstantiam infidelitatis. Si enim constantia fidei dicitur petra, recte et inconstantia infidelitatis arena vocatur: id est, idololatria, quae per varias idolorum culturas semper dispersa est. Aut certe super arenam: id est, super carnales homines ac infideles. Ideo tales homines arena dicuntur, non terra: quoniam terra quidem fructum facit, arena autem sterilis manet. Deinde quia terra quidem unita est, et in seipsam constricta, arenae autem grana non conveniunt sibi, nec adhaerent ad invicem: sic sunt et omnes infideles, qui sub diabolo sunt: non sunt uniti, nec unum sapiunt, sed sunt per diversas opiniones dispersi; et alius quidem sic dicit, alius autem sic. Sic et dogmata philosophorum nos docent, quae sunt contraria sibi semper. Eo modo perfidia haereticorum, qui numquam sapiunt unum, sed quot sunt, tot sententias habent. Propter quod arenae assimilatur omnis diaboli populus. Populus autem Dei non solum unitus est, quasi terra, quae quamvis compacta sit, tamen solubilis est: sed est sicut lapis constrictus et indissolubilis. Tertio, quia diaboli populus non numerabilis est, sicut arena: Dei autem, ex multis vocatis pauci electi. Pluvia autem est doctrina: quia sicut pluvia irrigat terram, ut proferat fructum, sic doctrina hominem irrigat, ut justitiam operetur. Sicut dicit Deus per Isaiam de tollenda a Judaeis doctrina: *Et mandabo*, inquit, *nubibus, ne pluant super eam pluviam* (*Isai.* 5. 6). Nubes enim dicuntur prophetae et apostoli: quia sicut nubes bajulant pluviam, et effundunt eam super terram, sic et prophetae et apostoli accipiunt verba a Deo, et effundunt super rationabilem terram. Sunt autem nubes quae a Spiritu sancto excitantur, et sunt nubes, quae a spiritu potestatis aeris, sicut dicit propheta: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* 17. 12). Nubes enim, quae a Spiritu sancto excitantur, candidam bajulant aquam, id est, veram et sanctam doctrinam. Quae autem a spiritu potestatis aeris, tenebrosam bajulant aquam, id est, falsam et impiam doctrinam, quae non illuminat, sed tenebrescere facit mentes eorum, qui suscipiunt eam. Venti autem, ex parte quidem mala, sunt immundi spiritus, qui intra praecordia hominum flant:

Commented [p131]: Col.744

ex parte autem bona, spiritus diversarum virtutum, vel angeli, qui invisibiliter in sensibus hominum operantur, et adducunt ad bona. Et vide proprietatem rerum. Pluviae proprium est mollire et solvere: ventorum autem cum virtute urgere. Sic ergo impiorum nubes falsa sua doctrina et promissionibus molliunt homines, et blandimentis et persuasionibus solvunt: diabolus autem intrat in corda eorum, quasi ventus, et invisibiliter urget consentire mendaciis eorum, vel in caetera peccata compellit. Sic et in parte bona sanctae nubes doctrinam justitiae persuadent hominibus, et rationabiliter placant: Spiritus autem sanctus vel angeli, quasi prosperi venti, prosperantes in cordibus, faciunt homines acquiescere veritati. Sicut enim non est possibile, ut ex sola pluvia fructificet terra, nisi flaverit super eam ventus: sic non est possibile, ut sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius. Flumina autem sunt, ex parte quidem mala, hominis immundo spiritu pleni, et in verbositate structi: quales sunt philosophi dogmatum diversorum, oratores, grammatici, caeterique non secundum Deum sapientes: de quorum ventre exeunt flumina aquae mortuae. Ex parte autem bona, evangelistae, doctores populi, caeterique sapientes secundum Deum: de quorum ventre exeunt flumina aquae vivae. Ecclesiam ergo, quam Christus vir sapiens super petram aedificavit, neque pluvia mendacis doctrinae corrumpit, neque diabolicus ventus impellit, neque violentorum fluminum impetus movet. Nam etsi humiliatur Ecclesia propter tentationem, tamen perire non potest propter fidem Christi. Nec est contrarium, quod quidam de Ecclesia cadunt: illi enim numquam Christiani fuerunt. Sicut non omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitae: sic non omnes qui Christiani dicuntur, sunt et Christi. Christianorum enim opera sunt aspicienda, non nomina. Dicit enim Apostolus: *Cognovit Dominus qui sunt ipsius; et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini* (2. *Tim.* 2. 19). Ergo qui discedit ab iniquitate, ille est Christi, non qui vacue nominat nomen Christi. Illi enim tales nec super petram fidei erant aedificati, sicut inferius ostendemus. Adversus domum autem, quam aedificaverat stultus sibi super arenam, id est, adversus gentiles et omnes impios, qui sunt diaboli domus, descendit pluvia, id est, veritatis doctrina per propheticas et apostolicas nubes: flaverunt venti, id est, gratiae spirituales, aut angeli, qui invisibiliter operantes, homines ad fidem veritatis inclinant: venerunt flumina, id est, quatuor evangelistae, aut caeteri sapientes, et impegerunt in domum illam, et sic cecidit domus diaboli, et spiritualibus instrumentis erecta est domus Christi. Et ne mireris quia gentes venientes ad fidem cecidisse dicuntur. Ceciderunt enim diabolo, ut surgerent Christo. Ecce enim omnis homo quamdiu ambulat in peccatis, diabolo stat, Christo autem jacet: cum autem conversus fuerit ad justitiam, diabolo quidem cadit, Christo autem surgit. Dicit enim propheta de hominibus liberatis a Christo: *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem* (*Psal*. 67. 19). Item Dominus: *Quamdiu fortis armatus custodit domum suam, in tuto sunt omnia ejus: cum autem venerit fortior, diripiet vasa ejus* (*Luc.* 11. 21. 22): videlicet homines impios, ex quibus aedificata fuerat diabolo domus. Si ergo secundum prophetiam captivi dicuntur, quantum ad diabolum, quantum ad Christum, ad libertatem fidei sunt conversi. Si direpti dicuntur secundum Christum, consequenter et cecidisse dicuntur, quantum ad statum suum priorem, qui surrexerunt in fide. 27. *Et facta est ruina ejus magna*: videlicet idolis in toto mundo destructis, mendaciis in tota terra convictis, erroribus solutis: quia totus mundus diabolo cecidit, Christo autem surrexit. Sic ergo domum, quam stultus aedificaverat super arenam, sapiens Rex spiritualibus armis sanctorum suorum destruxit; domum autem, quam sapiens Christus aedificavit super petram, stultus diabolus fallacibus argumentis

Commented [p132]: Col.745

ministrorum suorum numquam poterit dissipare. Huic ergo viro sapienti Christo similis est Christianus omnis, qui aedificat se super petram, id est, Christum. Qui enim audit verba Christi, et facit ea, ipse est, qui aedificat se super petram Christum. Christus enim caritas est, et qui se aedificat in caritate, super petram Christum se aedificat. Qui aedificat se in mansuetudine, aedificat se super petram, id est, Christum: Christus est enim mansuetudo. Qui aedificat se in castitate, aedificat se super petram Christum: Christus est enim castitas. Qui aedificat se in misericordia, aedificat se super firmam petram Christum: Christus enim misericordia est, et in quacumque specie boni aedificaverit se homo, super petram Christum se aedificasse videtur: quia omne bonum est Christus. Similis autem est Christo, quoniam sicut Christi Ecclesiam aedificatam super petram nulla eam adversitas diruere potest: sic talem Christianum, qui se aedificaverit super Christum, nulla eum adversitas diruere potest, ut dicat cum Paulo: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia* (*Rom.* 8. 35), etc. Stulto autem diabolo similis est omnis Christianus, qui se aedificat super arenam. Super arenam autem aedificat se, qui audit verba Christi, et non facit ea. Verba enim, quae non convertuntur ad opus, arena sunt spargibilis. Sicut enim grana arenae non conveniunt in unum, neque adhaerent ad invicem, sed semper sunt separata: sic verba, quae audiuntur, et non convertuntur in unam justitiae massam per opus, separata sunt et dispersa. Et ideo assimilantur arenae, quae numquam in semetipsa conjungitur. Ergo super arenam se aedificat omnis Christianus, qui ex auditu solo verborum credit in Christum, et non per opera bona se confirmat in Christo. Sed et qui facit opera mala, super arenam aedificat. Arena enim est omnis malitia, sicut diximus supra: et qui in bonis mundialibus instruit, se super arenam aedificat. Similis autem stulto diabolo est, quia sicut diaboli domus, id est, idololatria, a Christo destructa est per opera ministrorum ejus et gratiarum: sic et ille hodie aut cras destruendus est a diabolo per opera ministrorum ejus, vel daemonum, vel hominum impiorum, et tales hi sunt, quos cadere de Ecclesia significavimus supra, eo quod non se aedificaverint super petram, sed magis super arenam. *Et erit ruina ejus magna.* Quomodo magna? Sicut enim domus, quae habet validum fundamentum, si pars aliqua parietis vel tecti ceciderit, ruina ejus magna non erit, quia potest fieri ut iterum reparetur; si autem fundamentum ejus casum fuerit passum, tunc est ruina ejus magna, quia tota venit deorsum: sic et Christianus, si aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidium fecerit, cecidit quidem, tamen ruina ejus magna non est, quia iterum poenitentia surgere potest sicut David. Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus, id est, si praevaricatus fuerit, et ad gentiles, aut haereticos transierit, tunc est ruina ejus magna, quia totus funditus ruit. 28. *Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina ejus.* Placatus rationabiliter intellectus hominis laudem generat: victus autem, admirationem. Quicquid autem digne laudare non possumus, hoc admiramur. Admiratio tamen eorum magis ad Christi gloriam pertinebat, quam ad fidem ipsorum. Non enim ideo mirabantur, quasi credentes in Christum, sed quia irreprehensibiles audierant sermones. Si autem credentes in Christum essent, non mirarentur, sed potius crederent. Nam omne dictum aut factum illud movet admirationem, quod superat facientis aut dicentis personam. Utputa, si homo tale aliquid dicat aut faciat, quod excedit mensuram naturae ejus. Quamvis autem magnum sit, quod Deus dicit aut facit, tamen minus est quam Dei potentia. Ideo quicquid a Deo factum aut dictum audimus, non admiremur, quia omnia minora quam Dei potentia. Tamen audiebat populus cum silentio et gravitate, et admirans proficiebat in verbis ipsius: quia admiratio,

Commented [p133]: Col.746

etsi ipsa non est ex fide, tamen invitatio est ad fidem. Nam qui admiratur de verbis doctrinae, quamvis adhuc non credat, tamen jam in ipso limine credulitatis consistit, ut credat, Turbae erant quae mirabantur, id est, populus vulgaris. Non erant illic Pharisaei, aut principes populi, aut sacerdotes, qui solent non discendi studio audire, sed contradicendi, non ut aliquid salutis acquirant, sed ut aliquid calumniae inveniant. Et ideo simpliciter audiebat populus simplex. Si autem aliqui eorum affuissent, sine dubio silentium et gravitatem populi, sicut consueti fuerant, contradictionibus suis conturbassent: quia ubi major scientia, illic malitia fortior. Qui enim festinaverat esse prior, difficile contentus erat esse secundus. 29. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* Omnis doctor servus est legis, quia neque supra legem addere potest aliquid de suo sensu, neque subtrahere aliquid secundum proprium intelletum, sed hoc tantummodo praedicat, quod habetur in lege. Nec enim potest mens humana directare, id est, extra rectum facere, scilicet perversum vel malum ostendere, quod sapientia divina dictavit. Sic enim ait Moses ac Salomon: *Non addas verbis Dei, neque detrahas inde* (*Deut.* 4. 2. *et* 12. 32. *et Prov.* 30. 6). Qui autem hoc ausus fuerit facere, se sapientiorem putat esse quam Deum, et incipit esse falsus testis, quia illud dicit quod nec auris audivit, nec oculus vidit. Christus autem dominus legis est, et subtrahere potest de lege, quod propter necessitatem temporis jussit. Utputa, propter duritiam cordis jussum fuerat dare libellum repudii. Dominus illud quasi potestatem habens subduxit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* 19. 6). Item etiam addidit, quod propter infirmitatem hominum minus fuerat jussum: utputa, *Antiquis dictum, Non occides: ego autem dico, Non irascaris* (*Matth.* 6. 21. 22). Ideo ergo mirabantur, quia non quasi servus legis sub potestate constitutus illud docebat quod fuerat jussum, sed quasi dominus legis, et habens potestatem, sua auctoritate addebat super quam fuerat dictum, dicens: Antiquis dictum est hoc: ego autem dico hoc.

Commented [p134]: Col.747

Homilia xxj. ex capite viij. (col.747-50)

1. *Et descendente eo de monte, sequutae sunt eum turbae multae,* etc. Vide quia super montem discipuli tantum dicuntur ascendisse ad Jesum: descendente autem eo de monte, sequntae sunt eum turbae, et merito multae turbae: quia mons est virtutis fastigium, cacumen Ecclesiae, in quo appropinquare Christo non possunt turbae, vel peccatis gravatae, vel curis mundialibus oneratae. Nec possunt imitari Christum, nec sublimes audire sermones, qui dicuntur in monte: sed soli discipuli, qui a passionibus vitiorum liberi sunt, qui curis mundialibus onerati non sunt. Propterea, quasi leves et expediti, ad Christum accedere possunt, facti imitatores ejus in omnibus, ut sublimiores sermones ipsius possint audire. Et tamen cum descenderet ad humilia de altitudine pietatis propter infirmitatem hominum sequi eum non potentium super montem, tunc sequuntur eum turbae multae. 2. *Ecce leprosus.* Sciendum est, quod Lucas quidem et Marcus statim in primis ponunt daemoniacum curatum, in secundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium liberatam, ea videlicet ratione, quia major cura Dei est de salute animae, quam de salute carnis (*Luc.* 4. *Marc.* 1). Primum quidem, quia dignitosior est anima quam caro. Anima enim sine carne vivere potest, caro autem sine anima vivere non potest. Secundo autem, quia in omni peccato prius anima peccat, postea caro. Nam nisi anima prius fuerit victa, numquam caro potest peccare. Caro quidem prius

concupiscere malum potest, peccare autem non potest, nisi anima illi consenserit, quia caro in potestate animae est, non anima in potestate carnis. Ideo ergo necessarium fuit, ut anima quae prius ceciderat, ante resurgeret. Deinde anima liberata a potestate diaboli carnem suam liberare potest a peccato: caro autem sanata ab infirmitate animam liberare non potest a peccato, sed magis eam evertit, quia incolumitas carnis semper impugnat justitiae disciplinam. Hic autem Matthaeus statim leprosum ponit mundatum in mysterio carnis. Quid ergo? praeteriit rationem, quam alii evangelistae tetigerunt? Non, sed abundanter eam exposuit. Pro eo enim, quod illi posuerunt daemoniacum curatum in mysterio animae, iste propter salutem animae posuit Christum docentem in monte: quod alii non dixerunt. Nam sicut effugatio immundi spiritus liberat animam de potestate peccati, quod fit per suggestionem diaboli: ita et verbum doctrinae solvit operationem diaboli, et animam liberat ab errore, liberat a peccato, caeterisque malis, quae diabolo suggerente nascuntur: quia non solum ille diabolum patitur, cujus corpus vexatur ab eo, sed etiam omnis, qui facit diaboli voluntatem, pejus vexabitur ab eo. Leprosum autem ponit in mysterio carnis sanatae. Lepra enim passio est carnalis. Sed ne forte diceret populus apud se, Verba quidem magna, et terribilia sunt, sed opera nulla; dicere granditer non est multum: facere multum est: ideo excitavit leprosum, ut mundationis illius miraculo praecedentibus verbis auctoritatem praestaret: ut in verbis mirabilis, mirabilior esset in opere. Ecce leprosus, quasi jam praeparatus, descendenti illi occurrit. Et forte et ideo descendit, ut leprosum mundaret. Lepra enim est peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo Dominus de altitudine caeli, quasi de excelso monte, descendit, ut lepram peccatorum nostrorum mundaret. Quare, putas, iste inter caeteros non ascendit in montem, ut audiret sermones divinos? Quia lepra erat gravatus, et peccatorum bajulans pondus, sursum ascendere non valebat. Aut non audisti prophetam dicentem, quomodo leves esse debeant, qui ad ecclesiasticum montem ascendunt? *Quis*, inquit, *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde* (*Psal*. 23. 3. 4), etc. Sic quicumque in malis ambulat, non potest in ecclesiam ascendere, quae mons Domini appellatur, nec audire spiritualem doctrinam. Et si venit, corpore quidem venit, animo autem non ascendit. Qui autem cum puro corde non venit, nihil illi prodest, quia corpore venit. Et si audit spiritualem doctrinam, non intelligit, quia sensus ejus carnalium vitiorum lepra corruptus est. Nemo enim bonarum rerum potest sentire saporem, quamdiu delectatur in malis. Quamdiu enim delectat eum malum, non potest eum delectare bonum. Tunc autem incipit ei placere bonum, cum coeperit ei displicere malum. *Veniens adorabat eum.* Oratio perfecta est fides et confessio, sicut ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom*. 10. 10). Sic et leprosus fidei opus adorans implevit, confessionis autem, in verbis: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat quasi Deum. Spirituali medico spiritualem afferebat mercedem. Nam omnes medici pecuniis, iste autem sola oratione placatur. Vere enim nihil est dignius quod offeramus Deo, quam oratio fidelis: quicquid enim obtulerimus, de nostris est, oratio autem de nobis. *Domine, si vis, potes me mundare.* Non de voluntate Christi ad omne bonum parata dubitabat dicens, *Si vis*: hoc enim dubietatis esset de judicio voluntatis ejus. Christus enim cum sit bonus, nociva non vult praestare, etiam si rogetur. Nec enim expedit omnibus corporalis integritas. Quoniam ergo nesciebat, utrum expediret ei curatio illa, ideo ambigebat de voluntate ipsius, quamvis sciebat eam ad omne bonum paratam. Nam credere quidem bonum misericordiae Dei, hominis est fidelis, scire autem judicia misericordiae ejus non

Commented [p135]: Col.748

est hominis, neque fidelis, cum constet nec ipsum Apostolum potuisse cognoscere, cum Dominum ter rogaret ut discederet ab eo ille stimulus carnis, angelus satanae, qui datus ei fuerat, ut non extolleretur, propter quod et dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (1. *Cor.* 12. 9): ac si dicat: Credo quia omne quod bonum est, vis: ignoro autem si bonum est mihi, quod desidero. Hoc autem plane non dubito, sed potius credo: quoniam si bonum est mihi, et tu vis. Hic ergo sermo non dubitantem eum ostendit de misericordia ejus, sed ignorantem judicia misericordiae ejus. 3. *Et extendens manum suam, tetigit eum.* Quia in lege dictum erat, ut qui tangeret lepram, immundus esset usque ad vesperam: tetigit lepram, non quasi servus legis, sed quasi dominus. Nam lex legislatori subjecta est, non legislator legi. Quid ergo, solvit legem? Non: literam quidem legis solvit, propositum autem ejus non solvit, sed magis illi addidit dignitatem. Si enim lex facere potuisset, ut lepra non sordidaret tangentem, numquam jussisset homines, ut non tengerent lepram. Ideo ergo jussit non tangere lepram, quia non potuit facere, ut lepra non sordidaret tangentem. Iste ergo, qui tangens lepram, sordidatus non est a lepra, non egit contra legem, sed amplius fecit quam lex jubebat: quia non solum sordidatus non est a lepra, sed adhuc ipse lepram mundavit. Nec est credibile, ut dicatur sordidatus esse a lepra, qui ipsam lepram mundavit. Lex enim non ideo vetuit tangere lepram, ut ne leprosi sanarentur: sed ut ne tangentes lepram, coinquinarentur. Iste ergo, qui tangens coinquinatus non est, sed adhuc mundavit, amplius fecit quam voluit lex. Tetigit ergo lepram, et legis literam solvit, ut jam non lepra corporis, sed lepra animae fugiatur. Nam infirmitas corporis miseranda est, non odienda: infirmitas autem animae non est miseranda, sed odienda: quia infirmitas corporis non est in nostra potestate, ut aut non veniat super nos, aut recedat a nobis; infirmitas autem animae in nostra est potestate, ut aut non veniat super nos, aut recedat a nobis. Infirmitas enim corporis tenet nos, nec tenetur a nobis; infirmitas autem animae non tenet nos, sed tenetur a nobis. Ideo illa infirmitas miseranda est, haec odienda. Ergo rescindit legem, non justitiam legis: non illam, quam in corde hominibus creando conscripsit, sed quam dictavit in libro, cum populus vitulum adorasset: non illam de qua dictum est, *Lex Domini irreprehensibilis est, convertens animas* (*Psal.* 18. 8); sed illam de qua dictum est, *Lex iram operatur: ubi autem non est lex, non est praevaricatio* (*Rom.* 4. 15). Quomodo enim digna erat servari, quam meruerant peccata? merito ergo placatus rescidit, quod iratus dictavit. Nam si lex sublata non fuisset, numquam spiritualis leprosus sanaretur: quia omnis qui sub lege vivit, leprosus est. *Volo, mundare: et confestim mundata est lepra ejus.* Non ex quo tacta est lepra recessit, sed ex quo jussa est: ut ostendatur, quia non propter effugationem leprae tetigit eum, sed ut solveret legem. Alioqui quantum ad lepram sufficiebat sermo tantummodo: sed neque sermo necessarius erat, sed sola voluntas: ergo voluntas facta est propter leprosum, verbum autem propter spectantes. Nam si tacite eum curasset tot adstantibus circa Christum: quis scire poterat, cujus virtute sanatus est? Ideo ergo dixit, *Volo, mundare*: ut omnes sciant, quia illius virtute sanatus est, qui praeceptum sanitatis emisit. Hoc, quod dicit, *Volo.* voluntatis ejus est indicium, respiciens ad illud quod ille dixit, *Si vis*: quod autem dixit, *Mundare*: potestatis est praeceptum, pertinens ad hoc quod dixerat ille, *Potes.* 4. *Et ait ei Jesus: Vide, nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod praecepit Moyses, in testimonium illis* (*Levit.* 14). Non sic intellige, quia hoc Moses praecepit in testimonium illis, sed vade et offer in testimonium illis. Non dixit, Vade, ostende te sacerdotibus, et nemini dixeris: sed, Primo nemini dixeris, et vade, ostende te. Non enim semper jubet illum tacere, sed quamdiu ostendat se sacerdotibus, ne

Commented [p136]: Col.749

forte si ante alicui nuntiaret, de verbo in verbum audirent sacerdotes, et occasionem habentes leprae, propter odium et inimicitias Christi expellerent eum de populo quasi leprosum, non recipientes mundatum. Ideo eum jubet offerre munera, ut si postmodum vellent eum expellere, diceret eis: Munera quasi a mundato suscepistis, et quomodo me quasi leprosum expellitis? Si leprosus adhuc fui, munera accipere non debuistis, quasi a mundato: si autem mundus factus sum, repellere non debetis quasi leprosum. Eadem aliter. Omnia opera curationum Christi habent in se mysteria dispositionum Dei absconditarum. Ideo corporalia quidem curationum ejus commoda, et illorum fuerunt tunc, et modo sunt nostra: spiritualia autem, forsitan nostra tantummodo. Igitur hic leprosus, qui post verba doctrinae confestim, quasi jam praeparatus, accessit ad curam, in figura fuit populi Judaici, deorsum quidem consistentis, quia populus erat: audientis autem verbum tunc quod dictum fuerat sursum, et credentis, et adorantis, et complectentis. Omnis enim qui verbum Dei adorat, aestimans et ipsum esse divinum, et complectitur illud cordis affectu, sine dubio et verbum Dei attingit animam ejus. Nec enim possibile est, ut anima, quae complectitur verbum, non tangatur a verbo: cum autem tetigerit eam verbum, a lepra infidelitatis eam mundat, secundum quod scriptum est: *Et vos mundi estis propter verbum, quod loquutus sum vobis* (*Joan*. 15. 3). Et Petrus in Actibus apostolorum, *Mundans*, inquit, *corda eorum per fidem* (*Act.* 15. 9). Propter quod et populus, qui in lege degerat austera, et gratiam nondum erat expertus, de potentia quidem ejus firmiter credidit secundum traditionem patrum suorum, de misericordia autem dubitavit dicens: *Si vis, potes me mundare*. Nam lex potentiam quidem Dei sufficienter tradebat, misericordiam autem ejus non satis aperte. Propter quod et Dominus cognoscenti potentiam Christi, secundum legem, quam dederat, adimplevit, ut et misericordiam gratiae ejus cognosceret, dicens: *Volo, mundare*: et praecepit ei, ut offerret munera, secundum quod praeceperat Moses. Quae illa? Par turturum, aut duos pullos columbarum (*Levit.* 14. 22). Omnis enim justitia in his est duobus: in abstinentia rerum malarum, et in opere rerum bonarum. Per turturem ergo jubet populum, ab infidelitate mundatum, sanctitatem offerre Deo in abstinentia rerum malarum: quoniam castitas spiritualis animae abstinentia est malorum, ut non coeat cum spiritu alieno, nec inspirationis ejus suscipiat semen, ne generet opera similia spiritui malo. Per columbam autem omne opus significat bonum, nascens ex caritate: quoniam caritas omne opus generat bonum. Qui ergo proximum suum diligit sicut se, nullum bonum subducit proximo suo, sicut nec sibi. Cum ergo has duas justitias impleverit quis, ab omni malo se abstinens, quod est castitatis, et omne bonum faciens, quod est caritatis, manifestus efficitur ille talis, quia ab infidelitatis lepra mundatus est. Sic enim populus emundatus, et talia sacrificia offerens Deo, factus est in testimoniam contra incredulos sacerdotes, qui gloriantes in litera legis, repulerunt auctorem legis, purificantem populum a peccatis, quem lex purificare non potuit. Et si tu complexus fueris verbum Dei cordis affectu, et tuam nihilominus animam attingit verbum, quoniam diligentes se diligit, sicut dicit in Proverbiis (*Cap*. 8. *v.* 17) Salomon, et ab omni te infidelitatis lepra mundat. Cum autem te emundaverit, praecipit tibi, ut sacerdotibus te ostendas mundatum, castigans teipsum ab omni coinquinatione operis mali, et expandens caritatem tuam ad omnes per opera bona, ut per haec sacrificia a sacerdotibus cognoscaris, quia mundatus es, cum viderint te non facientem alteri quod pati non vis, sed adhuc et facientem omnibus quae tibi vis fieri. Si autem harum justitiarum sacrificia non obtuleris Deo, manifestus es omnibus, quia non es mundatus, sed adhuc in priore infidelitate manes leprosus.

Commented [p137]: Col.750

Homilia xxij. ex capite viij. (col.751-4)

5. *Post haec autem cum venisset in Capernaum, accessit ad eum centurio, rogans eum,* 6. *et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.* Postquam Dominus populum docuit super montem, et leprosum mundavit sub monte: post haec venit Capernaum in mysterio: post Judaeorum mundationem venit ad gentes. Et ecce centurio quidam accessit ad eum rogans. Centurio, primus fructus ex gentibus, ad cujus fidei comparationem omnium Judaeorum fides infidelitas est inventa. Hic neque Christum audivit docentem, neque leprosum, cum mundaretur, aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quam audivit. Ille enim seipsum obtulit, dicens: *Si vis, potes me mundare*. Fidei quidem sunt haec verba, non tamen magnae, quoniam talia verba dici poterant etiam hominibus sanctis: qualis fuit Helisaeus, qui leprosum mundavit, non manibus, sed praecepto (4. *Reg*. 5). Iste autem centurio non solum potestatis ejus virtutem confessus est, sed ipsam divinitatis ejus naturam cognovit. Non enim quasi corporalem sanctum rogavit, sed quasi Deum ubique praesentem, dicens: *Dic verbo, et sanabitur puer meus.* Quasi qui poterat etiam absentium infirmitatibus imperare. Erat enim iste centurio in mysterio gentium futurarum, quae neque legem aut prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderant, sed justitiam legis, quam in libris non legerant, in corde senserunt: et Christum, quem oculis non viderant, mente viderunt, ostendentes in se, quoniam Scripturae ad praejudicium peccatorum factae sunt, non ad necessitatem sanctorum: quia rectis et fidelibus Scripturae necessariae non sunt, dicente Apostolo: *Lex non est posita justo, sed injustis* (1. *Tim*. 1. 9). Magistra enim omnis justitiae ipsa natura est hominum, et scriptura infalsabilis de Deo creaturae sunt omnium rerum: quia nihil est creatum in mundo, per quod non manifestissime Deus ostendatur. Ideo elementa omnium rerum in hoc quidem tempore admonent homines de potentia Dei, in illa autem die judicio suo condemnabuntur. Sciendum est autem quoniam Lucas per sacerdotes ponit Christum a centurione rogatum (*Luc*. 7), Matthaeus autem ab ipso centurione. Diversae quidem species expositionum, unus autem expositionis est sensus. Ille enim per sacerdotes exponens, mysterium demonstravit: quoniam omnis petitio populi per sacerdotes debet transmitti ad Christum. Iste autem rem ipsam exposuit, quoniam et qui per sacerdotes rogat Christum, recte ipse rogare videtur. Ex eo autem, quod et illic sacerdotibus intercedentibus acquievit, et hic ipso rogante promisit, manifestum est, quoniam et illic non propter personam sacerdotum acquievit, sed propter fidem ipsius centurionis: ut sciamus quoniam in omni causa non intercedentium merita, sed humiliter petentium aspicitur fides. *Puer meus in domo jacet paralyticus, et male torquetur.* Quid primum miremur in centurione? Humilitatem, aut fidem, aut sapientiam, aut bonitatem? Humilitatem, quia nec in domo sua Christum suscipere dignum se esse existimavit. Fidem autem, quia credidit eum posse quod petiit. Sapientiam, quia divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine oculorum, sed mentis puritate, nullo demonstrante prospexit. Bonitatem autem, quia pro salute servi sic sollicite festinabat, quasi non damnum pecuniae, sed salutis passurus in morte illius. Puto quod iste centurio inter servum et dominum nullam differentiam aestimabat: sciens quoniam etsi dignitas in hoc saeculo diversa est inter illos, una est tamen natura illis. Ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus captivitatis contemnebat in servo: quod Deus non secundum suam justitiam creando disposuit, sed propter peccata hominum permittendo suscepit. Si tu enim dominus pretium dedisti pro

Commented [p138]: Col.752

servo, Deus Spiritum suum plantavit in eo. Quanto ergo major est Spiritus Dei, quam pretium hominis: tanto majus est quod ametur, quam quod contemnatur in servo. Vide ergo ne forte si tu propter pretium tuum abusus fueris illo sine timore Dei, Deus propter Spiritum suum rationem a te exigat sine misericordia. Audiant etiam et intelligant servi. Sicut enim habent domini quod imitentur in centurione, propter misericordiam: sic habent et servi quod imitentur in puero, propter sinceritatem. Putas autem qualis erat ille puer, ut sic amaretur a domino? Secundum dilectionem domini mensurate fidem servi. Nec enim possibile erat, ut sine pretio bonorum morum tantam sibi dilectionem domini comparasset. Domini ergo servis debent amorem, propter communem naturam; servi autem debent dominis suis timorem, propter ordinationem divinam. Et in servis Christus amatur a dominis, et in dominis Christus timetur a servis. *Et male torquetur*. Etsi non satis male torquebatur, tamen aestimabat illum dominus male torqueri, quia sic diligebat eum. Nam unusquisque quem diligit, etsi modice fuerit taediatus, gravius eum putat habere, quam habet. Vide autem sapientiam centurionis et fidem. Fidem quidem, quia non dixit, Veni, et salva eum: sciens quia et illic constitutus, in omni loco fuerat praesens. Nam quamvis Christus videbatur esse in mundo, propter dispensationem carnis, tamen mundus erat in Christo, secundum substantiam deitatis. Sapientiam autem, quia non dixit, Vel hic constitutus sana eum: sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantummodo exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiae ejus dimisit. Nam et medico corporali necessarium est tantummodo passionem exponere, quid autem, aut quomodo faciat, ipse cognoscit. 7. *Respondit ei Jesus: Ego veniam, et curabo eum.* Propter multas causas, cum non peteretur, ut iret, promittit se ire. Primum quidem, ut excitaret fidem ejus, hoc ipsum respondere voluit quod respondit. Nisi enim ille dixisset, *Veniam, et sanabo eum*: numquam iste responderet, 8. *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed dic verbo, et sanabitur puer meus.* Hoc enim consilio et Chananaea clamante, *Filia mea male a daemonio torquetur* (*Matth.* 15. 22), respondit quod non erat facturus. *Non est bonum tollere panem filiorum, et dare canibus* (*Ibid. v.* 26): ut illa provocata responderet, *Etiam, Domine; nam et catelli de micis filiorum manducant* (*Ibid. v.* 27). Sic et huic respondit, quod nolebat, ut quod volebat audiret. Deinde quoniam petitio centurionis erat pro servo, ideo ire proposuit: ut nos doceret, non magnos colere, et modicos contemnere, sed pauperes et divites similiter honorare. Si enim divitem honoras, propter personam ipsius honoras eum: si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. Propterea et in quodam loco, regulo postulante pro filio suo, non dixit, Ego veniam, et sanabo eum: sed quid? *Vade, filius tuus vivit* (*Joan.* 4. 50). Illic cum rogaretur, noluit ire, ne forte personam reguli videatur accipere: hic autem non rogatus, promisit ire, ne videatur humilitatem servi contemnere. Illum ergo contempsit, quem dignitas sublevabat regalis: istum autem honoravit, quem conditio humiliabat servilis. 8. *Respondit autem centurio: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Honorem tibi debeo pro beneficio misericordiae tuae, non injuriam. Sufficit mihi, quod puerum meum sanabis. Ut quid injuriam etiam patiaris intrando sub tectum domus indignae? Quod autem in hunc mundum venisti, injuriam passus es: sed tolerabilis est injuria tua, quoniam pateris illam propter omnium hominum communem salutem. Ut quid et alteram injuriam patiaris, introeundo in domum meam propter servi unius salutem? *Dic verbo, et sanabitur puer meus.* Sciebat quoniam adstant illi angeli invisibiliter ministrantes, qui omne verbum ejus faciunt. Quod etsi angeli cessent, tamen ipsae

Commented [p139]: Col.753

infirmitates et spiritus passionum praeceptis ejus vivacibus expelluntur: quoniam omnis sermo ejus virtus est viva. 9. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus.* Vide quomodo mysterium Patris et Filii in seipso, Spiritu suggerente, depinxit? Numquid non sufficiebat ad confessionem potestatis Christi hoc solum dicere, *Et ego homo sum, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit: et alteri, Veni, et venit?* Quoniam et Christus habet sub se angelos, quibus eundi et redeundi ponit praeceptum. Quid ergo necessarium fuit addere, *Et ego homo sum sub potestate*: nisi ut plenissime Christi dignitatem ostenderet in seipso? Id est, Ego sum homo sub potestate alterius, tamen habeo potestatem jubendi eis, qui sub me sunt. Nec enim impedior jubere minores, propter quod ipse sum sub majoribus; sed ab illis quidem jubeor, sub quibus sum: illis autem jubeo, qui sub me sunt: sic et tu quamvis sub potestate Patris sis, secundum quod homo es, habes tamen potestatem jubendi angelis tuis, nec impediris jubere inferioribus, propter quod ipse habes superiorem. Nam ut homo et juberis a Patre quasi minor, tamen angelis jubes quasi major. [Sed forte dicit haereticus, volens ostendere Patrem et Filium unum vel aequalem: Non est ita intelligendus hic locus, sed sic:] Si ego, sub potestate constitutus, possum jubere eis, qui sub mea sunt potestate: quanto magis tu, qui in nullius es potestate, potes jubere eis, quos habes in potestate? Sed hanc interpretationem perversam non recipit textus. [Non enim dixit, Si ego homo in potestate: sed ita, Nam et ego homo sum sub potestate. Non comparationis inter se et Christum differentiam fecit, sed rationem similitudinis introduxit.] Vide ergo quomodo gentilis et rusticus miles mysterium veritatis cognovit, et homines Christiani, qui Scripturas portant in ore, denegant veritatem. Non quia obscura sunt aut profunda mysteria veritatis, non omnes ea cognoscunt: sed quia perversa sunt corda eorum, et non requiescit in eis spiritus veritatis: propterea veritas fugit ab eis. Qui autem rectus est corde, ita ut requiescat in eo spiritus veritatis, non potest longe esse a veritate. Scriptum est enim: *In malevolam animam non introibit sapientia* (*Sap*. 1. 4), etc. Sed dicit aliquis: Vos ergo omnes justi estis et recti, qui putatis vos esse in veritate? Non omnes, quod pejus est, sed multi sunt perversi in veritate fidei; tamen in erroribus nullus est rectus. Aliud est enim, multos esse malos, aliud est, neminem esse bonum. Ubi enim quidam sunt mali, quidam boni, hominum est differentia: ubi autem omnes mali, rei perversitas est. Nam et in medio tritici voluntariae nascuntur spinae. Inter spinas autem voluntarium triticum non generatur. 10. *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: In nullo tantam fidem inveni in Israel.* Credidit Andreas, sed praesignante sibi Joanne ac dicente: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan*. 1. 29). Credidit autem et Petrus, sed evangelizante sibi de illo Andrea et dicente: *Invenimus Messiam* (*Ibid. v.* 41). Credidit et Philippus, sed legendo Scripturas, sicut ipse ad Nathanael dixit, *Quem scripsit Moses in lege, et prophetae, invenimus Jesum a Nazareth* (*Ibid. v.* 45). Ipse quoque Nathanael, nisi audisset a Christo, *Cum esses sub arbore fici, vidi te* (*Ibid*. *v*. 48): numquam respondisset, *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel* (*Ibid. v.* 49). Prius signum divinitatis accepit, et sic confessionem fidei obtulit. Aut si non sumus ausi fideliorem illum putare quam apostolos, ita testimonium Christi intelligendum est, quod unumquodque bonum hominis secundum qualitatem personae illius laudatur. Puta, si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, philosophus multo amplius sapienter: in modico sermone sapientiae rusticus plus laudatur, quam in magno philosophus: quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est: philosophum autem dicere sapienter, non est mirum. Aut si puer aliquid astute loquatur, dicimus, Satis sapiens puer: si autem vir perfectus sapienter loquatur, non

Commented [p140]: Col.754

laudatur quasi sapiens: non quia puer plus sapuit quam perfectus, sed quantum ad comparationem aetatis suae sapientior videtur esse, quam ille perfectus. Sic et in centurione dictum est, *In nullo tantam inveni fidem in Israel*, non quia nec apostoli tantam fidem habuerunt.

Homilia xxiij. ex capite viij. (col.754-6)

23. *In illo tempore, ascendente Jesu in naviculam, sequuti sunt eum discipuli ejus*, et reliqua. Navigante Domino cum discipulis, orta magna tempestas est, ita ut navem conciti maris insurgentes fluctus obruerent. 24. *Ipse vero*, inquit, *dormiebat*. Mira ratio. Ascendi: parvam naviculam, ut navigaret, ille qui totum mundum divina virtute gubernat. Dormit in somnum, qui populum suum vigilia aeterna custodit. Dormit autem Dominus, non necessitate infirmitatis humanae, sed spontanea voluntate. Nam cum in Dei illa aeterna natura somnus non cadat, secundum quod de eo legimus dictum, *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* (*Psal*. 120. 4): tamen Dominus ac Salvator noster ad probandam in se suscepti corporis veritatem, etiam usque ad somnum humanae naturae omnia implere dignatur, ut evidenter veritatem in se assumpti corporis demonstraret. Sed cum, dormiente Domino, saeviente procella, usque ad periculum navis violenti fluctus insurgerent, discipuli timore perculsi, Dominum suscitant, dicentes: 25. *Domine, libera nos, perimus*. Quod idipsum olim David ex persona apostolorum suscitantium Dominum significasse videtur, cum dicit: *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum* (*Psal.* 43. 23. 26). 26. *Surgens ergo Dominus ait illis: Quid timidi estis, modicae fidei? Et imperavit vento et mari, et facta est tranquillitas magna.* In quo manifeste divinitatis suae potentiam Dominus declaravit, dum violentos maris fluctus divinae potestatis verbo compescuit. Neque venti vel mare obedire poterant, nisi Domino et Creatori suo. Quod futurum ante praenuntiaverat David, dicendo: *Viderunt te aquae, Deus, viderunt te aquae, et timuerunt, et turbatae sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes* (*Psal*. 76. 17. 18). Et quae istae nubes sunt, quae timentibus aquis vocem dederunt, nisi discipuli, qui viso signo divinae virtutis exclamaverunt, dicentes: *Vere hic Filius Dei erat* (*Marc.* 15. 39)? Nubes autem idcirco apostoli intelliguntur, quia modo nubium de terra surgentes, ad caelos, sine aliquo pondere peccati, spiritualis naturae levitate feruntur, et ad riganda corda credentium pluviam divinae praedicationis infundunt. Alio quoque loco idem David, quod Domino imperante verbo, maris violentia mitiganda esset, ita testatus est dicens: *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas* (*Psal*. 88. 10). Et iterum: *Dixit, et stetit spiritus procellae, et siluerunt fluctus ejus* (*Psal*. 106. 25). Et iterum: *Qui conturbas fundum maris: sonum autem fluctuum ejus tu mitigas* (*Psal.* 64. 8). Et iterum: *Ecce dabit vocem virtutis* (*Psal*. 67. 34): hanc utique vocem, qua divinae potestatis virtute ventis imperante maris tranquillitas restituta est. Beatus quoque Job hoc ipsum futurum per Spiritum sanctum non ignorans, cum de Domino loqueretur, ita ait: *Virtute sedavit mare.* Cum igitur sedata tempestate maris, jussione verbi esset tranquillitas instituta: 27. *Hi*, inquit, *qui erant in navi, mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quod venti et mare obediunt ei?* Hanc autem dominici verbi virtutem, et eorum qui in navi erant admirationem, olim sanctus David praenuntiaverat in Psalmo, dicendo: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera*

Commented [p141]: Col.755

Domini, et mirabilia ejus in profundo. Dixit, et stetit spiritus procellae (*Psal*. 106. 23-25). Et iterum: *Statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et laetati sunt quia siluerunt* (*Ibid. v.* 29. 30). Haec itaque primum, secundum simplicitatem historiae per Domini virtutem ista gesta cognoscimus: secundum allegoricam vero rationem, quae in his omnibus figura monstrata sit, sollicite debemus intelligere. Quaerendum enim est, quid haec navis juxta spiritualem rationem intelligi debeat, vel quod hoc mare, vel qui insurgentes fluctus, qui venti, qui hos fluctus concitant; qui etiam somnus Domini, vel quae haec increpatio Domini in ventos, et quae ista restituta tranquillitas, vel quae digna admiratio navigantium. Et non dubium est navem istam Ecclesiam figurasse, secundum quod per Salomonem de ea Spiritus sanctus loquitur, dicens, *Facta est tamquam navis mercatura longinqua* (*Prov.* 31. 14): id est Ecclesia, quae navigantibus apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu sancto, praedicationis verbo ubique discurrit, portans secum magnum et inaestimabile pretium, quo omne genus hominum, vel potius totum mundum sanguine Christi mercata est. De quo alio quoque loco idem Salomon retulit, dicendo inter caetera, vestigium navis pelagizantibus inveniri non posse (*Sap*. 5. 10): ostendens conversationem Ecclesiae non terrenam esse, vel saeculi, sed caelestem, secundum quod sanctus apostolus refert, dicens: *Nostra autem conversatio in caelis est* (*Philipp.* 3. 20). Mare saeculum intelligitur, quod a diversis peccatis, et variis tentationibus, velut quibusdam fluctibus aestuat. De quo scriptum legimus: *Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis, et draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* 103. 25. 26). Et iterum: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal*. 68. 3). Venti autem nequitiae spirituales et immundi spiritus intelliguntur, qui ad naufragium Ecclesiae per diversas saeculi tentationes velut per fluctus maris, desaeviunt. Dormire vero Dominus in hac navi tunc intelligitur, cum ad probationem fidei Ecclesiam suam pressuris et persequutionibus mundi istius tentari permittit. Oratio vero discipulorum, et excitantium Dominum, et auxilium implorantium, ut liberarentur, preces sanctorum omnium ostenduntur, qui orta tempestate persequutionis, saeviente diabolo et angelis ejus, devota fide, ac jugi oratione, patientiam Domini velut de somno excitant, ut misericordiae suae auxilio per timorem humanae infirmitatis periclitantibus subvenire dignetur: quo increpatis ventis, immundis scilicet spiritibus, qui auctores sunt persequutionis, et mitigata omni saeculi tempestate, Ecclesiam suam in pace et tranquillitate restituat. In admiratione vero eorum qui in navi erant, qui post factam tranquillitatem Dei filium confitentur, omnium credentium persona et fides ostensa est, qui in Ecclesia constituti, prius orationibus Dominum excitantes, reddita sibi pace, vere Dominum ac defensorem Ecclesiae suae Dei Filium confitentur. Quod factum statim in Actis apostolorum, post Herodis persequutionem et Judaeorum, a sanctis pro Ecclesia recognoscimus. Unde et quamvis infestatione inimici Ecclesia, vel saeculi tempestate laboret, quibusvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia Filium Dei habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas saeculi persequutiones plus gloriae ac virtutis acquirit, dum in fide firma et indissolubili permanet. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu, per hujus saeculi mare, habens Deum gubernatorem, angelos remiges, portans choros omnium sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua evangelicae fidei vela suspendens, flante Spiritu sancto, ad portum paradisi et securitatem quietis aeternae deducitur. Et haec quidem navis, quamvis per hoc tempus vitae, per has tentationes saeculi naviget: non est tamen saeculi navis, sed Dei. Est enim et alia saeculi navis, non

Commented [p142]: Col.756

Dei: id est, collectio haereticorum, quae sibi hujus nomen Ecclesiae vindicat. Adversum quam diem judicii futurum Isaias manifeste declarat dicens: *Dies*, inquit, *Domini Sabaoth adversus omnem contumeliosum et superbum* (*Isai*. 2. 12). Et post aliquantulum ait: *Et adversus omnem navem maris* (*Ibid. v.* 16), id est, omnem Ecclesiam haereticorum. De qua alibi idem Isaias retulit: *Dirupti sunt*, inquit, *funes tui, quae non valuit arbor tua, inclinaverunt vela tua, et non laxabunt vela tua* (*Isai*. 33. 23). Navem vero hanc maris esse dixit, quia hujusmodi Ecclesia non Dei est, sed saeculi, quae licet habere in se praedicationem dominicae crucis videatur, invalidam tamen hanc arborem ejus ostendit: quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est. Unde inclinata et laxata vela ejus sunt ostensa, quae nullo flatu sancti Spiritus diriguntur. Et ideo hujusmodi navis, hoc est Ecclesia haereticorum, amisso verae fidei gubernaculo, dominantibus adversis spiritibus, in naufragium mortis aeternae demergitur, quae gubernari a Christo Domino non meretur, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Homilia xxiv. ex capite x. (col.756-60)

16. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, et reliqua. Omne malum, quod accidit ex insperato, nimis est grave: quod autem exspectatur antequam accidat, postquam acciderit, levius invenitur. Ideo praescius Dominus futurarum persequutionum, praemonet apostolos, dicens: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: ut cum periculum illud evenerit, non quasi novum perhorrescant, sed tamquam cognitum fortiores excipiant. *Ecce ego*, qui mensurata spatia constitui diei et nocti, et numquam altera in alterius tempus contempta definitione transgreditur. Ecce ego, qui turbidum mare, quasi feram cavea, sic in sua littora clausi, et quasi indissolubili catena praecepto ligavi. Ideo dixit, *Ecce ego mitto vos*: ut dum mittentis potestas consideratur, periculi magnitudo non timeatur. *Sicut oves*. Non humanae naturae beneficium tollo, sed ovilis patientiae opus injungo. Non indignentur servi vocabulum ovis accipere, cum sciant Dominum suum nomen agni portasse. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan*. 1. 29). Et quomodo, inquit, proficiemus, oves contra lupos? Ovium mansuetudo non potest resistere luporum crudelitati. Luporum crudelitas mitescere nescit, nisi gratia Christi faceret quod ipsa natura fieri negat. Non vestra virtus, aut solertia aestimatur, aut laudatur in vobis: sed nominis mei potestas intelligatur, ut glorificetur per vos, quia fortior est gloria Dei, quam rerum natura. *Sicut oves*. Cum coeperint vos lupi vellicare, nolite resistere, aut vociferare, scientes, quia nisi vos spoliati fueritis, alii non vestientur: id est, nisi vos mortui fueritis, alii non vivent. Nec timeatis hanc vellicationem praesentem. Cum enim aetas resurrectionis advenerit, alia super vos lana immortalitatis nascetur. Quamdiu autem propter instigationem diaboli gentes permanserint lupi, dorsum illis praestate ad vellicandum: cum autem per patientiam vestram lupi illi facti fuerint agni, praebete illis, tanquam oves, lac doctrinae. Manifestum quidem est, quia oves appellat propter mansuetudinem: non timentes autem Deum, lupos propter crudelitatem. Sed hoc videamus, quare istos quidem dixit quasi oves: illos autem non quasi lupos, sed lupos. Si enim istos propter solam causam mansuetudinis oves dixisset, quoniam natura quidem homines erant, mansuetudine autem oves, utique et illos quasi lupos dixisset: quoniam et illi, etsi crudelitate quasi lupi erant, tamen natura similiter homines erant. Puto ergo ista ratione istos quidem quasi oves

Commented [p143]: Col.757

dictos, illos autem non quasi lupos, sed ad plenum lupos: quoniam homo Dei, quamvis fuerit bonus, tamen semper habet in se aliquid mali secundum carnem, quasi homo: et ovis quidem dicitur, propter quod bonus: quasi ovis autem, qua non ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoscit, nihil in se boni potest habere, propterea lupus dicitur, non quasi lupus, quia nihil boni habet in se, quia in se non cognoscit Deum. Causa est ista, quia omnes homines secundum carnis naturam mali sumus: et sicut dicit Apostolus, *Natura sumus filii irae: sed per timorem Dei efficimur boni* (*Ephes.* 2. 3). Quamvis autem per timorem Dei efficimur boni, tamen semper aliquid naturalis mali remanet in natura hominum. Ergo si natura carnalis compellit fieri malum, timor Dei ex parte retinet eum a malo. Hominem non cognoscentem Deum, aut cognoscentem quidem, sed non timentem, natura compellit facere malum, et timor Dei non retinet a malo, et ideo non potest esse in illis aliquid boni, nisi forte propter homines, quando ipsum non est bonum, sed malum, quod est propter Deum. *Quicquid autem non est ex fide, peccatum est* (*Rom*. 14. 23). Ideo sancti quidem quasi oves, mali autem non quasi lupi, sed ad plenum vocantur lupi. Nec moveat te, quod etiam Christus quasi ovis est dictus, non ovis, cum sit totus bonus. Ibi enim non persona Christi comparata est ad personam ovis, sed occisio Christi sicut occisio ovis. Denique ita subjungit: *Sic non aperuit os in humilitate* (*Isai*. 53. 7). Nam nec ovis, cum ducitur ad occisionem, aliquam vocem emittit. Hic autem persona apostolorum comparata est ad ovium mores: non missio eorum ad missionem ovium, id est, apostoli ipsi dicti sunt sicut oves, non missio eorum sicut missio ovium. Non enim mittuntur aliquando oves ad lupos, nec comparat aliquis possibilem etiam impossibiliter. Unde alibi dictus agnus est, non quasi agnus. *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, ad intelligendas fraudes. *Estote simplices sicut columbae*, ad ignoscendas injurias. Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem laqueum incurratis. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis, sed secundum tempus et personas mutetis et mores. Estote serpentes, ne comprehendamini. Si enim comprehensi fueritis, estote columbae, ut ne mordeatis. Quamdiu enim homo gentilis est, serpens in illo est: quoniam indignatio illius secundum similitudinem est illius serpentis, qui in paradiso hominem a Deo separavit: cum vero convertitur ad fidem, recedente serpente, ingreditur in illum Spiritus, qui in specie columbae descendit de caelo et fit columba. Ergo contra infideles estote serpentes, quia serpens serpenti non nocet: cum fidelibus autem estote columbae, ut quasi columbae columbis caritatis oscula porrigatis. Et ut breviter dicam, estote prudentes sicut serpentes, ut malum intelligatis et caveatis. Et estote simplices sicut columbae, ut non faciatis ullum malum. Quia intelligere malum, laudabile est: facere autem, vituperabile. Nec qui intelligit malum, ipse facit malum, sed qui facit malum. 17. *Attendite vobis ab hominibus, tradent enim vos in conciliis.* Quoniam superius dixit, *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*: nunc ad utrumque causam ostendit, et quare vult esse prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Prudentes quidem sicut serpentes, ut attendant sibi ab hominibus, qui tradent eos in conciliis. Proprium enim est serpentis, ab hominibus sibi caute prospicere. Unde Apostolus admonet, dicens: *In sapientia ambulate, quoniam tempus malignum est* (*Col*. 4. 5. *Ephes*. 5. 16). Quare autem vult eos esse simplices? Ut non adversus proditores suos malitiae memores sint, sed diligant inimicos suos, et benefaciant persequentibus se, secundum Dei Christi praeceptum (*Matth*. 5. 44); quia non tantum laedimur ab iniquis inimicis, quando nocemur ab ipsis, sed etiam proficimus, cum per malitiam eorum constantia bonitatis nostrae a suo proposito victa non recesserit:

Commented [p144]: Col.758

quoniam proprium est columbae usque ad mortem in simplicitate manere. Unde et de tolerantia Job dictum est, *Et adhuc perseverat in simplicitate* (*Job* 2. 3). *Attendite vobis ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos,* 18. *et ante reges et praesides stabilis in testimonium illis, et gentibus.* Ita dixit, Attendite vobis ab hominibus, quasi a quibusdam pessimis malis, et super omnia mala malis. Nam si non quasi homines accusans dixisset, sufficeret illi dicere, Attendite vobis, tradent enim vos. Nunc autem addidit, *Attendite vobis ab hominibus*: ostendere volens, quia prae omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestiis comparare volueris eum, pejorem invenies eum. Bestia enim, quamvis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas ejus. Homo autem crudelis cum sit, et rationabilis, non facile evadetur crudelitas ejus. Si comparaveris hominem serpenti, pejorem invenies hominem: quoniam serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet. Ideo, si quem absconse potuerit, mordet: si autem non potuerit, fugit. Homo autem et malitiam habet serpentis, et timorem non habet sicut serpens. Ideo quamdiu non habet tempus, latet sicut serpens, si autem invenerit, irruit sicut bestia. Adhuc autem anguis, siquidem irritata fuerit, saevit, si autem irritata non fuerit, in silentio transit. Homo autem et non irritatus insanit, et magis super illos insanit a quibus non fuerit irritatus. Et ut breviter dicam, unaquaeque bestia unum habet et proprium malum; homo autem omnia habet in se. Denique homo malus pejor est quam ipse diabolus. Diabolus enim si videat justum, non est ausus ad eum accedere: homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit. Non enim diabolus homini praestat virtutem, sed homo diabolo. Arma enim diaboli est malus homo. Sicut enim homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic diabolus etiam sine homine non valet aliquid contra sanctos. *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.* Quasi ad majorem laudem Dei in synagogis suis flagellabunt: ubi orationes et laudes, ubi lectiones vel sacrificia, apostolos ibi poenis afficiebant, quasi sacrificium Deo offerentes; re autem vera sacrificium erat Dei cruciatio apostolorum, non ad Judaeorum mercedem, sed ad suam coronam: Judaeorum autem erat interitus. Quoniam autem dicit, ante reges et praesides stare, et non cogitare quid respondere debeant, hoc est quod in Joanne dicit: *Cum autem venerit ille Paracletus, ille testificabitur de me. Et vos testimonium reddetis, quia ab initio mecum fuistis. Ante reges et praesides stabitis in testimonium illis et gentibus* (*Joan.* 15. 26. 27): ut dum apostoli accusantur, dum respondent, in singulis quibusque praetoriis Christi veritas praedicetur, et Judaeorum perfidia demonstretur, et gentibus, vel ad salutem credentibus, pietatis mysterium reveletur. Audientes autem apostoli, quia coram regibus et judicibus stare jubebantur, ne forte dicant ad Christum: Tu ipse scis, quia in illorum judicibus scholastici praesunt, quomodo ergo possumus nos homines piscatores, et sine literis, coram illis testimonium dare? tu enim ab initio non nos docuisti loqui, sed credere: denique cum nos discipulos congregares, non invenisti nos in Capitolio philosophicos libros legentes: sed retia in mare mittentes; neque dixisti, Venite, faciam vos advocatos meos: sed, *Venite, faciam vos piscatores hominum* (*Matth*. 4. 19); conscientias, non eloquentias nostras elegisti: ideo ipse inquit: 19. *Cum autem tradent vos, nolite solliciti esse, quomodo, aut quid loquamini.* Mea est enim causa. Deus humano auxilio non indiget. Ideo vos tantummodo mihi personam praestate, et ego vobis sensum. Nam sollicitum esse ante judicium non est praeparatio rei, sed desperatio de Deo, in illis enim rebus potest esse desperatio de Deo, in quibus potest esse consideratio. Puta, si propter aliquem actum iter facturus es,

Commented [p145]: Col.759

consideras qualitatem actuum, et quantitatem itineris: et secundum eas praeparas tibi expensas. Aut si domum aedificare proponas, consideras qualia aedificia, et talia praeparas instrumenta. In judicio autem quomodo potest praeparari responsum? Numquid scis, qualis sit interrogatio futura? Minime, cum in judicio tali non judices a semetipsis loquuntur, sed diabolus in judicibus. Si ergo homo hominis cogitationem non solum futuram, sed nec praesentem cognoscit: quomodo potest cognoscere consilium inimici? quia nemo hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo (1. *Cor*. 2. 11). Si ergo ex vobis loquamini, secundum verbum respondebitis; si autem Dei Spiritus, secundum cogitatum eorum. Sinite ergo, ut in causa sua loquatur Deus in vobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Non enim possibile est, ut rex, qui milites suos mittit ad bellum, non illis praestet arma adversus hostem. Qui ergo sollicitus est quid loquatur, in sua sapientia sperat: quae est prima causa ruinae. Nam in persequutionibus virtus Dei non requiritur, nisi praecesserit fides. Ad majorem consolationem apostolorum non dixit, Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis: sed, 20. *Qui loquitur*: ut ostendat quia non solum tunc, sed nec modo aliquid sine Spiritu Dei faciunt, aut loquuntur; tamquam si ita dicat ad illos: Maxime quia creditis in me, aut confitemini me esse verum. Esurientem me videtis, et creditis quia sum panis caelestis. Sitientem me videtis, et creditis quia ego sum fons aquae salientis in vitam aeternam (*Joan*. 4. 14). Quomodo est iste sensus humanus, qui aliud videt, et aliud credit, et confitetur? Si ergo modo, quando periculum non est, gratia mea operatur in vobis: quanto magis erit vobiscum, cum persequutio venerit? Nam qui vos in pace sustentat, multo amplius adjuvat in bello. 21. *Frater fratrem tradet in mortem.* Audientes apostoli, ne forte cogitent aestimantes, cum traditi fuerint in conciliis, et in synagogis ad flagellandum: Illo tempore, putas, nemo erit patronus, qui adjuvet: nemo amicus, qui indulgeat: nemo amicus, qui misereatur? ideo dicit Dominus: Nemo speret in patronis, nemo in amicis, aut parentibus: cum etiam frater fratrem tradet in mortem, pater filium, et filius patrem. Vide quale tunc incendium persequutionis ardebit, ut nec sibi ipsi parcat natura. Quomodo autem tunc patronorum aut amicorum fidem integram quaeres, cum videris ipsius fraternitatis et paternitatis vim esse extractam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet, quomodo invenietur extra naturam? Ergo quia non est satis stupendum, si frater fratrem tradat in mortem? Cain enim propter invidiam sacrificii interfecit Abel fratrem suum (*Gen.* 4): et propter benedictionem surreptam Esau persequebatur Jacob (*Ibid*. 27): hoc autem quis audivit, ut nulla injuria exsistente, propter solam Christi fidem pater filium tradat in mortem? Quia fortior est conflictio inimici, quam virtus naturae. Corruptibilis enim est dilectio carnis. Mendax est omnis saecularis amicitia, quae divini timoris vinculo non est ligata. Non est fides in servis diaboli. Diabolus nec generat, nec generatur: si non generatur, nescit servare jura propinquitatis, qui nullum habet propinquum. Non quia odibile est genus Christianorum, sed quia divinum est, carnales odiunt. Alii adjunguntur multo plures et cariores proximitate conjuncti, beatior commutatio bonum odium est. 22. *Et eritis odio omnibus hominibus, propter nomen meum.* Id est, omnibus infidelibus: non solum inimicis, sed etiam amicis: non solum extraneis, sed etiam parentibus: non solum parentibus aut fratribus, sed etiam ipsis patribus vestris. O inaestimabile diabolici furoris incendium, quod nec ipsa paternitatis caritas exstinguere potest! Supra naturam et contra naturam persequutio ardens, sapientibus evidenter ostendit, quoniam illa odia non facit more humano accidentium ira causarum, sed invidia diaboli propter Christum. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quia incipere multorum est, finire vero paucorum. Semper in

Commented [p146]: Col.760

principio dilectio est, in fine probatio. Nemo enim circa Deum usque ad finem potest perseverare, nisi qui propter Deum tantummodo factus est Dei. Omne enim quod propter carnem fit, corporale est, quemadmodum et caro ipsa temporalis est: quod autem propter Deum fit, aeternum est, sicut et Deus aeternus est. Cor bonae fidei est exitus bonus: quia non incipere aliquod bonum gloriosum est, sed finire. Nam quod incipit, corporis voluptas est frequenter: quod autem finit, virtus est animae. Nam frequenter concupiscentia carnalis incipit bonum, sed non finit, nisi gratia Dei. Cum ergo conversus fueris ad Deum et coeperis Deo servire, et opera justitiae facere, ne aliquando acta tua recorderis, sed finem tuum cogita: quia praeteritorum bonorum consideratio jactantiam operatur, consideratio autem finis timorem: quoniam *Qui perseveraverit usque in fine, hic salvus erit.*

Homilia xxv. ex capite x. (col.760-7)

26. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nihil opertum, quod non reveletur: et occultum, quod non sciatur*, et reliqua. Nunc profectum praedicationis eorum futurum eis annuntiat, quoniam praedicatio eorum habitura fuerat exitum gloriosum. Ecce ego ipse, qui sum lumen absconditum in tenebris, Deus celatus in homine, sublimitas in humilitate. Tunc sicut hoc mysterium absconditum fuit a saeculis, nunc autem per vos manifestabitur cunctis, ut impleatur sermo propheticus, qui dictus est de me: *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus: et non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal*. 18. 7). Sicut enim nullus est locus, ubi non appareat sol, aut non sentiatur calor ejus: sic nullus erit locus, ubi non cognoscatur Christus, aut non intelligatur divinitas ejus, ut omnis conditio hominum in duas dividatur partes, ita ut credentes merito coronentur, ac non credentes sine excusatione puniantur. Et vos cum interim quasi inimicos suos odiant homines, postea vos cognitos complectentur quasi suae salutis auctores. Interim quasi maleficos homines vos abominabuntur, postea quasi sanctos venerabuntur. Interim vos quasi persequutores persequentur, postea vos omnes homines in Ecclesiis suis quasi deos adorabunt. Mementote praeterita, et consolamini de futuris, quando justitiae Domini dominata est iniquitas, quando veritatem longo tempore celaverunt tenebrosa mendacia, quando innocentia sub existimatione criminis diu velata est. Moses fuit celatus in Aegypto, dictus est filius Aegyptiae (*Exod*. 2. *et seq.*). Quasi homicida fugatus est, quasi mercenarius contemptibilis, ovium factus est pastor. Numquam est manifestata sanctitas ejus, numquam est coronata innocentia ejus? Ecce qui pastor ovium fuerat irrationabilium, factus est dux populi gloriosi. Qui quasi homicida ex Aegypto egressus, postea ingressus est judex sanctorum, jam non filius Aegyptiae, sed quasi filius Dei. Perdidit beneficium suum Aegyptus, non potuit bene nutriendo facere suum, qui melius nascendo fuerat alienus. Qui Pharaonem regem quasi captivus ante timuerat, postea illum decem plagis, quasi servum obnoxium castigavit, quia *Nihil est opertum, quod non reveletur.* Joseph celatus est in Aegypto, quasi adulter accusatus est, castitatis custos fidelis (*Gen*. 39. *et seq.*). Numquid non est manifestata innocentia ejus? numquid non multipliciter coronata est castitas ejus? Qui quasi maleficus in carcere fuerat, quasi propheta eductus est. In unius pueri vindicta totus mundus fame flagellatus est. Et quem sacerdos Putiphar primum quasi adulterum uxoris suae condemnaverat, postea gloriosum generum in cubiculum suum locat (*Ibid*. 41). Absconditi fuerant et tres

pueri in Babylonia, et quasi contemptores regis sunt accusati pro crimine (*Dan*. 3); ad quorum interitum jussum est, ut caminus accenderetur septies amplius quam solebat: non quia ad comburendam carnis naturam tantum incendium necessarium erat, sed quia tantum insanientis regis iracundia suggerebat. Et quid ignis in suo camino, furoris spiritu percussus, corrigit? Et perdito suae virtutis calore, specie sola ardebat, ut incorruptibilem integritatem eorum corruptus ignis ostenderet, et ardentiorem fidem eorum ardens flamma ostentaret, ipsa natura sua clamans, non in voce, quia *Nihil occultum, quod non sciatur*. Sed vos sustinete introitum injuriosum, ut habeatis exitum gloriosum. Et tamquam promissionum consolationem habentes, 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quae in aure auditis, praedicate super tecta.* Quid est, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*? Item tenebras Judaicum populum dicit, sicut scriptum est: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt* (*Joan*. 1. 5). Et ideo tenebrae intelliguntur, quia lumen verum cognoscere non potuerunt. Quaecumque igitur Dominus in Judaeis loquutus est, in Ecclesia manifestanda esse annuntiabat. Lux enim populus Christianus intelligitur, sicut et Apostolus ait: *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate* (*Ephes*. 5. 8). Aut ita: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, id est, Quod nunc dico vobis in mysterio parabolarum, vos postea dicite manifeste. Quod enim in mysterio est absconditum, sic est quasi in tenebris positum. Unde et Moses quando legem accepturus ascendit in montem, sicut dicit Scriptura, *Ingressus est Moses in nubem* (*Exod*. 24. 18), ostendens quia lex, quae dabatur in mysterio posita, obscura erat futura, quasi sub nube nigerrima. Quod autem manifeste dicitur, in lumine dicitur. Quid est, *Quod aure auditis, praedicate super tecta?* Id est, Quod auditis in secreto soli, praedicate coram omnibus, nulli abscondentes verbum, quasi qui stet supra tecta et clamet. Quid est quod apostoli audierunt in mysterio? quid? «Exivit seminator seminare semen suum. Et quaedam ceciderunt secus viam, quaedam super petram, quaedam inter spinas, quaedam super terram bonam» (*Luc*. 8. 5-10). «Et loquebatur eis in parabolis, et sine parabolis loquebatur eis nihil» (*Matth*. 15. 34). «Et accesserunt discipuli ejus ad eum secreto, dicentes: Enarra nobis parabolam. Quibus respondit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis, ut audientes non audiant, et videntes caeci fiant» (*Ibid. v.* 3-13). Quid ergo? Quod tunc in mysterio solis apostolis credabatur, nunc evangelistis referentibus, et apostolis praedicantibus, quotidie in medio Ecclesiae omnibus populis enarratur. Ergo hoc est: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: id est, Quod dico vobis in secreto, praedicate coram omnibus; sicut est, ubi vocavit Dominus discipulos suos seorsum, dicens eis: *Vos autem quem me esse dicitis? Responderunt: Tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (*Matth.* 16. 15. 16). *Et mandavit eis, Nemini dixeritis: quia oportet Filium hominis crucifigi, et tertia die resurgere* (*Luc*. 9. 21. 22): quia si manifeste cognitus fuisset Filius Dei, nemo ausus fuisset manus injicere in eum. Et ideo crucifixus non esset, neque resurrexisset a mortuis. Propterea adhuc infernorum regnum esset in terra, et dominatio diaboli mundum totum teneret. Quid ergo? Postquam Dominus surrexit a mortuis, quod audierat Petrus in secreto, coepit coram omnibus praedicare dicens: *Deus patrum nostrorum suscitavit Filium suum Jesum, quem vos crucifixistis, et denegastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos vero justum negastis, et virum homicidam petistis donari vobis, principem autem vitae interemistis* (*Act.* 3. 13-15). Ergo hoc est, *Quod in aure audistis, praedicate super tecta.* 28. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Ne forte propter timorem mortis non libere dicatis quod

Commented [p147]: Col.761

audistis: nec fiducialiter praedicetis in omnibus, quod in aure soli audistis. Sic ergo ex his verbis ostenditur, quod non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur, sed etiam ille, qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere oportet, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem quam audivit a Deo libere praedicet: sic laicus debitor est, ut veritatem, quam audivit quidem a sacerdotibus probatam in Scripturis, defendat fiducialiter. Quod si non fecerit, proditor est veritatis. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* 10. 10). Haec autem diximus, quoniam multi Christianorum palam quidem transgredi veritatem putant peccatum, tacere autem veritatem coram infidelibus non putant esse peccatum: et propterea multi inveniuntur in isto reatu. Ideo nos convenit apertius dicere, quoniam nihil de veritate neganda praesens loquitur sermo, sed de veritate non libere praedicanda, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et nolite timere eos, qui occidunt corpus*, quo minus dicatis in lumine, quod audistis in tenebris. Vide quoniam non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem, sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dicam? Quia propter timorem mortis tacent homines veritatem, et propter miserum ventrem, et propter spem vani honoris, in conspectu infidelium tacent homines veritatem. Utputa, eunt homines ad convivium impiorum sacerdotum, et confugiunt ad patrocinium malorum haereticorum; fit sermo de fide: ille sacerdos impius, vel patronus, blasphemat veritatem tuam, quasi mendacium: fidem tuam, quasi perfidiam, ut aut seducat, aut vulneret conscientiam tuam, et faciat eam infirmam, etsi ad plenum capere non potuerit; tu autem etsi non denegaveris palam veritatem, tamen non contendis cum persona ejus, cujus panem inanem manducas, ut non perdas spem patrocinii, aut rapacitatis: veritatem, quam oportebat te libere defendere, tacens, confundis eam in conspectu inimicorum ejus, ut videatur a te tacente falsa quae vera est. Et quomodo non es tu proditor veritatis? Sed forte dicis: Si taceo veritatem ante adversarios, numquid consentio mendacio eorum? Dic mihi, si princeps aliquis imperatoris, videns civitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum possit liberare eam, et neglexit defendere: num ipse videbitur tradidisse, quam potuit liberare, si voluisset? Sic et tu videns veritatem ab impiis expugnari, cum eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacens expugnasti, per hoc ipsum quod compassus es expugnari. Et si propter timorem eorum, qui occidunt corpus, tacere veritatem, sicut praesens scriptura testatur, impietas est: quomodo non sit impietas major, tacere veritatem propter miserum ventrem, et spem vani honoris, et meliorem facere gratiam panis et honoris quam gloriam veritatis Dei? *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus*: quoniam corpus, etsi ab impiis occisum non fuerit propter Deum, a semetipso post modicum morietur propter naturam. Ergo occisi secundum corpus ab impiis, nihil perditis, nisi mortis dilationem, ut corpus, quod post modicum fuerat moriturum, ante modicum moriatur, magis autem nec ante ipsam mortis dilationem. Si ergo verum est, quia nec folium cadit de arbore sine praecepto Dei: et quia numerati dati nobis sunt dies ad vitam, credere debemus, quia nec morimur ante diem, nec transire possumus diem: tamen ponamus, quod ante diem moritur, qui moritur propter Deum. Si ergo et gratis, id est, sine molestia percussoris, post modicum morituri sumus, nulla Dei causa proposita: quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur, ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, ut offeramus Deo pro munere, quod redditur a te pro debito? Ideo *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Substantia enim

Commented [p148]: Col.762

hominis non est corpus, sed anima. Hanc enim solam Deus ad imaginem suam fecit, et hanc diligit: propter hanc fecit et mundum. Hanc zelat, et persequitur inimicus: propter hanc et ipse Filius Dei venit in mundum. Corpus autem vestimentum est animae, sicut ait Apostolus: *De corpore nostro, in quo ingemiscimus onerati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut mortale hoc absorbeatur a vita* (2. *Cor*. 5. 4). Sicut ergo vestimentum super homines positum si quis furibundus scindat, illatorem quidem injuriae sentit homo, damnum autem non patitur in natura; sic corpus super animam positum si occidatur ab impiis, anima quidem occisionis ejus sentit dolorem, damnum autem suae naturae non patitur. Habemus autem hujus rei unde loquimur argumentum in membris. Sicut enim ungues cum summitatem vestiunt digitorum, quamdiu praecidantur, dolorem faciunt corpori: cum vero praecisi fuerint, nullus sensus corporis invenitur in eis, sed ex ipsa natura alteri novi procedunt, ut nullum videatur natura sustinuisse dispendium: sic corpus donec caeditur, sentit anima: cum autem occisum fuerit, nullus sensus aut dolor animae invenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno gloriosius illlud retexet corpus, ut nullum detrimentum anima videatur perpessa, sed argumentata. Dicam autem quod sentio verius: non solum ad vestimentum animae caro creata est, sed magis ad tentationem ejus, quasi domestica et naturalis inimica copulata est: et dum expugnatur a carne, nec vincit, nec coronatur a Deo. Hujusmodi mysterii Paulus testis est, dicens: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal*. 5. 17). Si ergo caro, animae inimica, tentatio est: quis sapiens non intelligit, quia occisio corporis optanda est magis, quam timenda? Ideo tibi corruptibilis natura creata est, inde deponendi corporis tempus est numeratum, ut homo morituro corpori tuo non parcas, sed commerito perituro compares tibi vitam mansuram. Ecce si mutuo accipis, utputa bovem, vel equum: nonne assidue operaris opus tuum in eum? Dicis enim apud te, Hodie aut cras tollendus est a me, quia non est meus. Etiam tu, in corpore corruptibili natus, quare non ad utilitatem animae tuae uteris temporali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est a te, quia non est tuum? Quae ergo est ista insipientia vestra, odire quod nostrum est, et amare quod nostrum non est? studere servare, quod servare non possumus, et negligere, quod in aeternum habebimus? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Quid est timor mortis? Non dolor exeundi a corpore, sed desperatio vitae post mortem. Ille timet mortem, qui non putat se vivere post mortem. Vis scire? Ecce frequenter homines gravem dolorem patiuntur in infirmitate, et non moriuntur; frequenter modicum taedium habent, et moriuntur: et tamen magis contenti sunt gravem dolorem pati, et non mori. Vides ergo quia non dolor mortis, sed ipsa mors timetur? Sicut autem omnia mala operatur timor mortis, sic omnia bona operatur contemptio mortis.

Qui mortem timet, parum boni operatur. – Qui timet mori, id est, qui non sperat vivere post mortem, neque eleemosynas dat, neque orationibus instat, neque jejunium celebrat, neque paupertatem sustinet, neque opprobrium suffert, neque damnum substantiae suae contentus est pati, neque corporalem injuriam sustinet propter Deum: sed hoc suae lucrum vitae existimat, si bonis istius mundi feliciter fruitus fuerit: et hoc damnum vitae suae putat, si fuerit alienatus ab istis bonis. Quare? Quia laborum suorum praemium in resurrectione non sperat. Qui autem non timet mori, id est, qui vitam sperat post mortem, omnia quae diximus libenter sustinet propter Deum: quia laborum suorum mercedem multiplicem indubitanter exspectat. Ille est ergo perfectus discipulus Christi, qui haec omnia patitur, aut pati paratus est. Non ergo ideo Dominus mandat, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, quia necesse est, omnem Christi discipulum occidi: sed

Commented [p149]: Col.763

ne omnes illas res, quas supra diximus, per singulas mandet, quasi per compendium dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*: quoniam qui occidi non timet, multo magis contemnit caetera adversa carnalia, quae sunt ante mortem: quia omnia carnalia, quae sunt ante mortem, leviora sunt morte. Qui ergo quod gravius est non timet, multo magis contemnit quod levius est. Qui autem caeteras molestias, quae sunt ante mortem, non est contentus pati propter Deum, quomodo sustinet mortem? Considera autem, ut quid nobis in natura creavit timere mala carnalia, aut diligere bona: non ut mala carnalia timeamus, quae timemus, sed ut per timorem malorum carnalium intelligamus magis timenda esse spiritualia mala. Utputa, scis quia malum est pati dolorem carnis: per hoc intellige, quia pejus est dolorem animae pati. Scis quia malum est confundi coram hominibus: per hoc intellige, quia pejus est confundi coram angelis. Quantum enim angeli meliores sunt hominibus, tantum confusio illa pejor quam ista. Nam dolor et pudor corporalis cum corpore finitur, aut solvitur: dolor et pudor animae semper cum anima irruit ad poenam. Ita non ut diligas bona carnalia, quae diligis, sed ut per bona carnalia intelligas magis diligenda esse spiritualia bona. Utputa, scis quia bonum est gaudere carnaliter: per hoc intellige, quia melius est gaudium animae. Gaudium quippe carnis cum carne finitur, gaudium autem animae cum anima perseverat. Scis quod bonum est gloriari in terris: per hoc intellige, quia melius est gloriari in caelo. Quanto enim clarius est caelum quam terra, tanto gloriosior est illa gloria quam ista. De magnis autem thesauris bonorum vel malorum quasi modicum gustum dedit in mundo, ut ex modico gustu malorum, vel bonorum, plenitudinem cognoscamus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest corpus et animam perdere in gehennam.* Quid dicis, anima perit? Nonne immortalis creata est? Morte enim non solum exstinctio corporalis signatur, sed etiam poena mors dicitur. Unde et Paulus ait: *Quotidie morior pro vestra gloria, quam habeo in Christo Jesu* (1. *Cor*. 15. 31). Et Joannes in Apocalypsi sua sic dicit: *Beatus, qui habet partem in prima resurrectione; ei secunda mors non dominabitur* (*Apoc*. 20. 6). Secunda enim mors est ignis, et sulphur. Vides ergo, quia per damnationem animae non dicit ipsam solutionem animae, sed cruciationem gehennae, quae est mors secunda. Et tamquam si aliquis dicat: Ut quid tanta licentia data est malis, ut etiam contra voluntatem Dei habeant in sanctis potestatem nocendi? Absit, nihil possunt Deo nolente. 29. *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex eis non cadet sine voluntate Patris vestri?* Si ergo passeres in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominum, quos Deus ad usum hominum fecit, quanto magis vos: non cum estis in potestate hominum, sed in voluntate Dei, quos Deus ad suam gloriam fecit? Si passer eventu non moritur, nec cadit, propter hoc ipsum, quia opus Dei est: quanto magis justus homo non est in eventu positus, quia imago Dei est? Sed aut a Deo traditus moritur, aut a Deo liberatus evadit. Si in passeribus nihil sine ratione agitur, quorum duorum pretium unius est assis: quanto magis in vobis sine me nihil agitur, quorum pretium est sanguis meus? Si sic habentur passeres, quomodo habendi sunt filii? Ideo ergo non debetis timere homines, quia non est in vobis illorum potestas, sed Dei. Non enim quando volunt impii, tunc possunt nocere sanctis, sed quando Deus illis nocendi tempus concesserit, ut provideat sanctis suis coronam. Dicit Pilatus ad Jesum: *Nescis quia potestatem habeo dimittere te, et crucifigere te?* Respondit ad eum: *Non haberes ullam potestatem in me, nisi tibi datum fuisset desursum* (*Joan*. 19. 10. 11). Quae ergo est sapientia, illum non timere qui dat potestatem, sed illum timere qui accipit? Qui enim dat potestatem, quando vult dat: qui autem accipit, non quando vult accipit. Ergo si non es traditus, sine causa times, et si traditus es, sine causa

Commented [p150]: Col.764

times. Deo enim liberante, homo tibi nocere non potest, et si vult. Nescis quomodo Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat? 30. *Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid nobis prodest capillos numeratos habere, si morimur? Ideo numerati sunt, ut in aeternum vivamus. Numquid ideo numerat aliquid Deus, ut numerum ejus cognoscat, qui ab initio, ut dixit Sapientia, omnia in pondere, numero, et mensura creavit (*Sap*. 11. 21)? Sed ideo numeravit, ne aliquid perdat ex ipsis; sicut dicit propheta: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur* (*Psal*. 138. 17. 18). Non minuuntur qui numerati sunt, sed etiam multiplicabuntur. Vis scire dignitatem numeratorum? Considera ovem illam quomodo pastor non requievit per desertum discurrere, donec inveniret eam, et ad pristinum numerum revocaret (*Matth.* 18. 12. 13). Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo una periret. Qui autem perituri sunt, non numerantur. Ideo Dominus dicit: *Vestri etiam capilli capitis numerati sunt.* Peccatores autem ut quid numerantur, qui esse non aestimantur? illud enim numerat Deus, quod vult possidere: quod autem non vult habere, ut quid numerat? Ideo non numerantur peccatores, ut quicumque ex ipsis periret non sentiat, neque curet Deus, quasi de non numeratis: sicut scriptum est, *Pro nihilo habentur omnes gentes* (*Isai*. 40. 17). Ergo passeres sunt meliores, quam peccatores? Non, sed similes. Sicut enim Deus non dixit, quia non cadunt: sed, sine voluntate Dei non cadunt, Dei enim voluntas est, ut comprehendantur, et ad usum procedant hominum, quia ad hoc creati sunt: sic voluntas Dei est, ut homo, qui sine lege Dei vixit, sine lege et pereat: et qui Deum non aspexit, non aspiciat illum Deus. Vere in hoc pejor est homo peccator quam animal, quoniam animal etsi non glorificat, non exacerbat: homo autem malus non solum non glorificat, sed adhuc exacerbat. Quanta autem sit dignitas numeratorum, etiam in libro Numeri (*Cap.* 3. *et* 26) ostenditur, quoniam electi et colati numerantur a Mose, per praeceptionem Dei. Non numeratur inter eos femina. Femina autem intelligitur mollities, quae est corruptio corporalis. Omnis autem vir mollis animo, remissibilis in fide, et corruptus in actibus, corpore vir est, et femina intelligitur: ideo non numeratur cum sanctis. Femina autem si virilitatem sanctam habuerit, etsi corpore femina est, animo est vir, et numeratur cum sanctis. Illic quia figura erat caro, femina repellebatur: hic autem quia veritas est, femineus animus non numeratur. Illic servilis conditio excludebatur, hic autem conversatio servilis expellitur apud Deum. Non ille servus est qui servus est hominum, sed qui peccati sui. Ergo liber, si opera mala fecerit, diaboli servus est: servus, si bona opera fecerit, filius Dei est: ideo servilis anima non numeratur. Item neque Aegyptius mundialis. Qui ergo diligit mundum, in saecularibus negotiis gaudet. Propter negotia mundi transitoria tristatur, propter Deum vero non gaudet. Ille non numeratur, qui anima Aegyptius est. Aegyptius autem si caelestia amaverit, Hebraeus est. Item nec puer numeratur. Ille qui puer est sensibus, malitia autem perfectus est: qui autem malitia puer est, sensibus perfectus est. Qui autem mensurat plenitudinem aetatis Christi, ille etsi puer fuerit, sicut Daniel numeratur. Et qui procedit ad bellum contra alienigenas: id est, qui potest pugnare contra immundos spiritus, et desideriorum carnalium destruere castra, ille tantummodo numeratur. Sed nec omnes qui habent virtutem spiritualem, habent Israeliticam virtutem. Nam et gentiles habent virtutem animae, grammaticam, rhetoricam et philosophicam: sed non Israelitica virtus est, quae non fit propter Deum, sed propter bonam gloriam; Israeliticum autem bonum est, cujus mens Deum videt, sicut apostolorum, quibus dixit: *Vestri autem et capilli capitis numerati sunt omnes*.

Commented [p151]: Col.765

Spiritualiter autem capilli sunt subtiles animae, et innumerabiles sensus sanctorum, qui de spiritu Christi quasi de capite ipsorum prodeunt. Si autem justus tradidit se in potestate dilectionis, dilectio illa praecidit capillos ipsius, et tollit virtutem quam habet in capite, sicut Dalila Samsonis (*Judic*. 16). Nam omnis virtus eorum non in corpore, nec in divitiis, sed in virtutibus spiritualibus est posita. Et nulla res sic praecidit virtutem capillorum suorum, sicut corporalis voluptas. Si ergo perdidit virtutem capillorum suorum, apprehendunt eum alienigenae, id est, immundi spiritus, et alligabunt eum vinculis diversorum desideriorum, et excaecabunt oculos cordis ejus, ut non videat lumen, id est, viam veritatis, ut egressus suos extendat, ut impleatur in illo quod scriptum est: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Psal.* 68. 29. 32). 32. *Omnis ergo qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo.* 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo.* Et quoniam rem impossibilem, quantum ad naturam carnalem, mandaverat: nunc et poenam proponit et praemium, ut modo timore poenae, modo desiderio praemii virtus animae adjuvetur. Ecce praemium: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo*. Sed prius dicit praemium, postea poenam, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum bonos, quam ad puniendum indignos. Vide ergo quantum majus est praemium Dei, quam justitia nostra: et quanto gravior est vindicta, quam nostrum peccatum. Si tu confessus fueris Christum coram hominibus, confiteris quia nihil potes praestare Deo: si autem ille te confessus fuerit coram Deo, confitetur quia potest facere te immortalem. Si tu negaveris Christum coram hominibus, denegans Christum illi nocere non potes: si autem te negaverit Christus coram Deo, denegat qui perdere potest in igne aeterno. Quis est tam lapideus, qui non desideret justitiae suae testem habere Christum? Si ergo magnum est testem esse Christi, quantum magis est testem habere Christum?

Nihil prodest credre corde, nisi adfuerit confessio oris. – Considera etiam denique, ne forte dicant etiam fideles Christiani: Si necessitas persequutionis advenerit, interim coram hominibus de negatione patiar poenas, in corde autem meo veritatem teneo Christi: ideo non dicit, Qui me confessus fuerit in corde suo, sed, *Coram hominibus*: quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid, quod in corde credit in Christum: quia qui ore denegat, non potest fieri ut in corde credat. Radix enim confessionis fides est cordis: confessio autem fructus est fidei. Sicut ergo quamdiu radix est viva, necesse est ut aut ramos producat, aut folia; si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix ejus in terra siccata est: sic quamdiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore; si autem confessio non fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis ejus jam ante siccata est. Sic enim dicit Apostolus: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom*. 10. 10). Ergo nec valet confessio oris sine fide cordis, nec fides cordis sine confessione oris. Si autem tibi prodest corde credere, et non coram hominibus confiteri: ergo et infideli in hypocrisi confiteri Christum prodest, etiam si corde non credat? Si autem ille nihil proficit confitens sine fide, nec tu proficis credendo sine confessione. Si sufficit Christo, qui cognoscit, etsi confessus eum non fueris coram hominibus: ergo et tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, etsi non fuerit te confessus coram hominibus. Si autem tibi non sufficit cognitio ejus, nec illi sufficit fides tua. Si enim sufficeret tibi fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset: nunc autem et os tibi creavit Deus, ut corde credas, et ore confitearis. Nec tantum ore, sed quinque sensibus carnalibus. Si enim sufficeret cor aut os, sic diceret et propheta: *Confitemini Domino in cithara* (*Psal*. 32. 2), unius aut duarum chordarum, psalmum

Commented [p152]: Col.766

Commented [p153]: Col.767

dicite ei: nunc autem dicit, *In psalterio decem chordarum:* quia homo, qui est psalterium, decem sonos habet, quinque carnales, quinque spirituales. Cum his omnibus oportet confiteri Christum. Si autem vel unus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio. Ergo si quis tibi dicat, Non manduces idolothytum, sed aspice tantum ad idola, quomodo speciosa sunt: si aspexeris provocatus, oculis tuis negasti Christum: non quia aspicere idola aliquid sit, sed quia invitatus aspicis, peccas. Si autem non aspexeris oculis tuis, confessus es Christum. Ideo scriptum est, *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (*Psal*. 118. 37). Si vero dixerit tibi, Nolo ut aspicias idola, sed tantum ausculta quomodo ille gentilis blasphemat Christum, ut glorificet deos: si auscultaveris, auribus tuis Christum negasti. Si dixerit tibi, Nolo ut audias blasphemiam Christi, sed ecce quomodo incensum diis offertur, tantum sta, et accipe odorem incensi illius: si odoratus fueris, odoratu tuo Christum offensus es. Item si dixerit tibi, Non manduca carnem dentibus tuis, tantum finge te de immolato manducare: si simulaveris, sic gustu tuo Christum negasti. Si autem nolueris fingere, Christum confessus es, sicut Eleazarus in libro Machabaeorum (2. *Mach*. 6), qui carnes vervecinas sub specie porcinae noluit manducare. Si dixerit, nolo fingas te de immolato manducare, sed tantum tange idolum manu tua, aut tene thuribulum: si tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Christum negasti. Si autem nolueris, tactu tuo Christum confessus es, sicut scriptum est: *Si est iniquitas in manibus meis* (*Psal*. 7. 4). Omnia enim membra animae vel corporis tui non solum tibi ad usum Deus creavit, sed sibi ad gloriam.

Homilia xxvj. ex capite x. (col.767-71)

34. *In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram. Non veni mittere pacem, sed gladium*, et reliqua. Cum dixisset Dominus, *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, etc., quasi cogitantibus apostolis, et dicentibus apud se, Usque nunc sub tyrannis et Gentium dominatione deguimus, et nunc speravimus pacem nobis esse venturam: et quomodo hic nobis persequutiones et judicia futura promittit? respondit ita: *Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram.* Et est pax bona, et est pax mala. Pax bona est inter bonos fideles et justos, ut in quibus est unius fidei munus, una sit vitae concordia. Nam fides per verbum quidem Dei nascitur, per pacem autem servatur, et per caritatem nutritur, dicente Apostolo: *Fides est, quae per caritatem operatur* (*Gal.* 5. 6). Fides autem, quae non habet caritatem, nullum potest boni operis fructum perficere. Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hoc est mala discordia, sicut ait Dominus: *Omnis domus in se divisa non stabit* (*Matth.* 12. 25). Si et separata fraternitas, a semetipsa consumitur, sicut ait Apostolus: *Si autem invicem mordetis et criminamini, videte ne ab invicem consumamini* (*Gal.* 5. 15). Pax autem mala est inter infideles et iniquos, ut quibus est una malitia, sit unus ad malefaciendum consensus. Nam infidelitas et iniquitas ex suggestione quadam diaboli nascitur, per pacem autem servatur. Si ergo aliqua occasione infideles et iniqui ab invicem fuerint separati, hoc est bona discordia: quia sicut in pace bonorum fides et justitia stant, infidelitas autem et injustitia jacent; cum vero discordia venerit, fides et justitia cadunt, infidelitas autem et injustitia resurgunt: sic in pace iniquorum et injustitia et infidelitas stant, fides autem et justitia jacent. Cum vero concordia venerit, infidelitas et injustitia cadunt, fides autem et justitia surgunt. Ideo ergo Dominus bonam misit separationem in

terram, ut rumperet malam conjunctionem. Omnes enim tam boni quam mali, id est, qui diligentes malum, erant in malo, et qui per ignorantiam boni stabant in malo: omnes insimul, quasi sub una domo infidelitatis tenebantur inclusi, ideo misit Dominus separationis gladium inter illos, id est verbum veritatis, de quo ait Apostolus: «Vivum est verbum Dei, et efficax, et acumen habens super omnem gladium acutissimum, penetrans usque ad interiora animae et spiritus, artuumque et medullarum, scrutans corda, et cogitationes» (*Hebr.* 4. 12). Iste est ergo gladius bis acutus, ex una quidem parte bonos ab errore praecidens, ex altera autem parte malos ab excusatione, ut nec bonos ignorantia perdat, nec malos excuset: ut et boni, cognita veritate, cum sequuti fuerint veritatem, cum judicio et justitia salventur, et mali, cum veritate cognita, secesserint a veritate, cum judicio et justitia puniantur. Hoc ergo gladio Dominus separavit bonum a malo, ut et bonum separatum a malo surgat, et malum separatum a bono cadat. Nam bonum quamdiu fuerit mixtum, cum malo jacet, et mortuum est, quia non potest bonum esse conjunctum cum malo: cum autem a malo fuerit separatum, tunc surgit et vivit, quia incipit esse bonum separatum a malo. Sic et malum quamdiu fuerit mixtum cum bono, stat et vivit, quia sub se opprimit bonum: cum vero fuerit separatum a bono, tunc cadit et moritur, quia manifestatum jam non potest sub se opprimere bonum. Sic et fideles, quamdiu cum infidelibus fuerint juncti, jacent, et mortui sunt, quia non possunt esse fideles cum infidelibus mixti. Cum autem fuerint ab infidelibus separati, tunc resurgunt et vivunt, quia tunc incipiunt esse fideles cum fidelibus mixti. Item infideles, quamdiu fuerint cum fidelibus mixti, stant, et vivunt, quia sub sua infidelitate tenent fideles. Si vero a fidelibus fuerint separati, cadunt, et mortui sunt, quia manifesti infideles jam non possunt perdere fideles. Omnis enim res mala tamdiu stare videtur et vivere, quamdiu bonae rei potest nocere: cum vero manifestata fuerit, jam non potest nocere, jacet, et mortua est. Omnis autem res mortua, etsi est mala, tamen similis est rei, quae non est. Quid ergo infideles a fidelibus separati alios quidem timore frangunt, alios autem promissione corrumpunt? Haec res non dicit perdere bonos, sed magis glorificare permanentes in bono, cum ille, qui aut timore frangitur, aut promissione corrumpitur, numquam fuerit vere bonus. Tunc enim vere infideles dicuntur perdere fideles, quando fideles per ignorantiam veritatis cum infidelibus sunt. Seductionibus aut persequutionibus fides non corrumpitur, sed purgatur. O mira virtus gladii separantis, cui non solum conjunctio extraneorum resistere non potest, quos amicitia voluntaria jungit, sed nec ipsa dilectio violenta naturae carnalis! Et ideo non solum illos separat, qui dilectione conjuncti sunt, et natura disjuncti, sed etiam illos, quos carnalis necessitas dulcibus vinculis alligavit. Ideo non dicit, 35. *Veni enim separare filium adversus patrem*, etc. Notanda res est, quoniam quos separat Christus, fideles sunt: a quibus separat, infideles. Unde ostendit? Ex eo quod dicit: 37. *Qui diligit patrem plus quam me, non est me dignus*. Qui enim plus diligit patrem quam Deum, permanet juxta patrem. Qui autem diligit Deum plus quam patrem, recedit a patre fide, non corpore. Ideo autem diximus, quia quos separat Christus, fideles sunt: ut sciamus quia semper fideles ab infidelibus recedunt, non infideles a fidelibus: quia semper diabolus desiderat infideles suos cum fidelibus esse, ut infideles, cum fidelibus mixti, corrumpant fideles: et Christus semper fideles festinat ab infidelibus separare, ut ne fideles, convenientes cum infidelibus, corrumpantur ab eis. Et ubicumque separatio inter bonos et malos facta legitur in Scripturis, semper boni secesserunt a malis, et non mali a bonis. Cum essent Judaei in captivitate, Deus per prophetam non ad Assyrios dicit: Exite, exite de medio populi mei: sed ad populum suum, *Exite, exite de medio eorum, et*

Commented [p154]: Col.768

immundum ne tetigeritis (*Isai*. 52. 11): quia malum coinquinat bonum, bonum autem non coinquinat malum. Utputa, junge lutum farinae: non farina sordidat lutum, sed lutum farinam. Item junge acetum vino: non vinum corrumpit acetum, sed acetum vinum. Nec enim corrumpi potest ab alio, quod naturaliter a seipso corruptum est. Ideo cum dixerint infideles, A nobis vos recessistis, non nos a vobis: crede; verum enim est. Semper bonum ante malum fugit, malum autem ante bonum non fugit. Item cum dicit, Ecce ille sacerdos haereticus desiderat orare cum fidelibus, et dare benedictionem fidelibus: crede; verum est enim. Scit enim dato suo coinquinare, non sanctificare accipientem. Si enim sciret sanctificare qui dat, utique rogandus fuerat, non rogaret. Nunc autem quia coinquinat datum ejus, non exspectat ut quaeratur, sed ipse quaerit quem perdat. Ecce ille laicus infidelis benedictionem desiderat accipere a fideli, non ut ipse sanctificetur accipiens, sed ut tu et quod dedisti, perdas, et quia dedisti sanctum canibus, pereas. Non dixit, Separare filium a patre: sed, *Adversus patrem*: quia non corporalem separationem jubet, sed spiritualem. Qui enim corporaliter separatur, a patre separatur, non contra patrem: qui autem spiritualiter separatur, corpore quidem cum patre est, fide autem adversus patrem. Nam qui longe est a patre, non potest stare contra patrem: qui autem ante patrem est, ille potest esse contra patrem, respondendo, blandiendo, disputando. Non enim credibile est, ut corporaliter jubeat relinquere patrem, qui dixit: *Honora patrem tuum et matrem tuam* (*Exod*. 20. 12). Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei, et tu invenies mercedem pietatis, et ipse infidelitatis suae habebit damnationem suam. Et ideo non dixit, Qui diligit patrem, non est me dignus: sed ait: *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Sicut enim post Deum diligere parentes pietas est: sic plus quam Deum diligere impietas est. Si ergo habes patrem infidelem, obsequere ei. Si autem voluerit te in eamdem foveam infidelitatis immergere, in qua ipse est, tunc plus dilige Deum, quam patrem: quia pater non est animae, sed carnis. Solus autem Deus omnium animarum sanctarum Pater est. Reddite ergo unicuique quod suum est. Carnalibus patribus praebete carnis obsequium, spiritualibus autem patribus animae sanctitatem. Et vere nihil est, quod amplius diligere debemus quam Deum. Amici enim recedunt, parentes deficiunt, solus autem Christus nec recedit aliquando, nec deficit, donec voluerimus et nos esse cum ipso. Cum de hoc mundo exierimus, unaquaeque anima ad locum suum recedit: et nemo recordatur amplius carnalem affectum, cum de carne recesserit, non pater filium, non filius patrem. Omne enim quod de terra suscepimus, in terra dimittetur, et neminem nobiscum habebimus, nisi opera nostra, si bona sunt, ad gloriam: si mala sunt, ad poenam. 38. *Qui non tulerit crucem suam, et sequutus fuerit me, non est me dignus*. Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum, si necessarium fuerit, usque ad mortem, magis quam relinquere Christum. Ille talis etsi de misericordia Dei evadit, tamen quantum ad propositum suum quotidie cruciatur. Ideo etsi nihil tale fuerit passus, mercedem tamen accipiet. Voluntas enim remuneratur, non opus: quia voluntas ex nostro arbitrio procedit, opus autem per gratiam Dei consumatur. 39. *Qui invenit animam suam, perdet eam.* Melius est propter Deum mori, et in perpetuum vivere, quam propter vos vivere, et in perpetuum mori. Si ille pro nobis mortuus est, qui mori non poterat, nisi voluisset: quanto magis nos pro eo mori debemus, qui etsi nolumus, mortales sumus? Si Dominus pro servis mortuus est, et hoc sine praemio: justius est ut servus moriatur pro Domino, et hoc cum praemio. 40. *Qui vos recipit, me recipit.* Quoniam apostoli et caeteri Christiani, in persequutionibus Judaeorum et gentilium constituti, necesse habebant interdum declinandi, et pericula fugere de civitate in

Commented [p155]: Col.769

Commented [p156]: Col.770

civitatem, secundum Christi mandatum: ideo honorem suum dedit eis, magis autem seipsum posuit in eis, ut ad susceptionem eorum omnem Christianum populum provocaret, sibi imputans acceptum, quod illis fuerat datum, ut recipientibus eos dicat in die judicii: *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum quod vobis paratum est ante constitutionem mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* 25. 34. 35), etc. *Quod uni enim ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Ibid. v.* 40). Si enim qui minimis de Ecclesia facit, Christo facit: quanto magis qui apostolos recipit, caeterasque passiones Christi circumferens in corpore suo, ipsum recipit Christum? 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Prophetae doctores intelliguntur, sicut supra docuimus; justi autem omnes Christiani. Prophetae ergo nomine voluit ostendere omnes praedicatores Christi; justi autem nomine, omnem hominem Christianum: quia non solum doctorum est, persequutionum causa vagari de civitate in civitatem, sed omnium Christianorum perfectorum in Christo credentium. *In nomine prophetae*, id est, quasi prophetam Christi. *In nomine justi*, id est, justum Christi servum. Ut ergo habeat bonum opus mercedem, duo haec occurrere debent, ut et Christianum recipiant, et quasi Christianum, sive sacerdotem, sive laicum. Si autem aliquis aut non Christianum recipit, aut Christianum quidem recipit, non autem quasi Christianum: mercedem Christiani non recipit. Quid vero est, *Qui accipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipit? et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet?* Hoc est, qualem mercedem habet qui peregrinatur, talem mercedem habet et ille, qui suscipit propter Deum peregrinantem. Et fiunt ambo aequales, et ille qui propter Deum laborat, et iste qui propter Deum laborantem refrigerat. Utputa, suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem : suscepisti laicum justum, justi laici habes mercedem. Qui recipit Christianum ille qui Christianus non est, non habet mercedem Christiani illius: quia et Christianum si suscipit, tamen non cum nomine Christiani, aut propter honorem Christi, sed quasi quemcumque hominem. Qui enim Christum non cognoscit, quomodo Christianum suscepisse intelligatur propter Christum? et qui non credit veritati, quomodo confessorem veritatis intelligatur suscepisse propter veritatem? Non ergo recipit eum in nomine Christi, quasi Christianum, sed quemadmodum caeteri gentiles humanitatis causa recipiunt peregrinos, non propter Christum. Quod autem diximus, sive Christianum receperit, sive sacerdotem, sive laicum, non habet mercedem, quia non quasi sacerdotem suscepit, nec quasi Christianum: ita est intelligedum, ut suscipiens sacerdotem, mercedem sacerdotis non habeat: et suscipiens Christianum, mercedem Christiani non habeat. Alioqui habet mercedem propter hoc solum, quia bonum opus fecit, quamvis non fecerit propter Christum. Quoniam qui prophetam suscipit non quasi prophetam, prophetae quidem mercedem non habet, aliquam autem habet. Hujus rei testis est Daniel, dicens: *Et nunc, Domine rex, consilium meum audi, et peccata tua eleemosynis redime* (*Dan.* 4. 24). Si ergo ille rex idolorum cultor poterat eleemosynis peccata redimere, cui non prosunt eleemosynae? Sed audi mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit. Si fidelis fecerit opus bonum, et hic ei prodest, liberans eum a malis et in illo saeculo ad percipiendum regnum caeleste; magis autem ibi quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, et hic ei reddit Deus bona pro opere suo. In illo autem saeculo nihil ei prodest opus ipsius. Nec enim collocatur inter caeteros fideles propter opus suum; et juste, quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum. Ideo in corpus suum recipit mercedem operis sui, non in anima sua. Item si Christianus dederit

Commented [p157]: Col.771

ei, qui non est Christi, non magnam habet mercedem, quia nec Christiano dedit, nec quasi Christiano, dicente Tobia: *Effunde vinum unum super sepulcra justorum, et non dederis peccatori* (*Tob.* 4. 18). Item Sapientia, *Recipe,* inquit, *justum, et ne dederis impio* (*Eccli*. 12. 6). Tamen quia scriptum est, *Operemini bonum ad omnes, magis autem ad domesticos fidei* (*Gal*. 6. 10): qui dat infideli, modicam quidem, tamen habet mercedem: qui autem fideli dat, duplicem habet mercedem. Primum quidem quia creatura Dei est: secundum, quia servus Dei est. Qui autem infideli dat, unam habet mercedem, quia creatura quidem est Dei, voluntate autem adversus Deum. Quod si Christianus non Christianum, sed infidelem in nomine Christi suscipit, nihilominus habet statutam mercedem: quia quantum ad se non Christianum suscipit, sed quasi Christianum. 42. *Et quicumque uni ex minimis istis calicem aquae frigidae dederit tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Non peribit merces ejus. Quoniam supra dixerat, *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet*: hic exaggerans mercedem suscipientium, supra modum amplius dicit. Hoc est quod dico, quia qui etiam uni ex minimis istis, qui neque prophetae sunt, neque justi, sed tantum credentes in me, aquam frigidam porrexerit: hoc est, Non dicam qui eos magnifice susceperit, sed qui vel aquam frigidam porrexerit eis, merces ejus non peribit. Minimi autem sunt in Ecclesia, qui modicae justitiae sunt, aut modicae fidei. Et vide quam proprie de minimis dicat. Non dicit, Qui unum ex minimis receperit, sicut cum loqueretur de prophetis et justis: quia minimi in populo Christiano non opus habent susceptione. Nec enim peregrinantur causa persequutionis, nec contenti sunt persequutionis aliquam subire molestiam, sed statim scandalizantur. Unde et alibi dicit propter eos: *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus* (*Matth.* 24. 19). Proprium autem prophetarum et justorum virorum est causa persequutionis peregrinari de civitate in civitatem. Illos ideo suscipi mandat, his autem aliquid dari, ne forte propter ipsam levem indigentiam scandalizentur. Unde non dixit, Qui unum ex magnis istis scandalizaverit: sed, *Unum de pusillis istis*: quia magnus non scandalizatur, sed pusillus. Vere justus Judex. Qui enim et pro verbo otioso constituit poenam, justum erat ut pro aqua frigida daret mercedem (*Matth.* 12. 36). *Tantum in nomine discipuli,* supra cante addidit, dicens: Sciens quoniam si quis non propter nomen Christi dederit, non habet mercedem. Frigidam aquam dicit, ut ne calefaciendi impendat laborem. Non quia aliquid est, quod dat, ideo habet mercedem: sed ob id, quia magnus est, propter quem dat. Quid enim, si aliquis voluit dare, et non potuit? numquid justum est, ut secundum modicum angustetur larga voluntas? Melius est ergo, ut opus ostendatur secundum voluntatem, quam larga voluntas angustetur secundum opus. Quomodo ergo omnes pauperes volentes benefacere confortat, nolentes autem benefacere inexcusabiles reddit? Qui enim aquae frigidae mercedem constituit, puto quod et sine opere nudae voluntati reddet mercedem.

Homilia xxvij. ex capite xj. (col.771-5)

2. *In illo tempore, cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,* 3. *ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* et reliqua. Joannes, specie homo, gratia angelus: quia nihil carnis erat in eo, nisi visio sola: corpore tenebatur in carcere, anima autem in caelo. Et quod Herodes illi faciebat pro poena, ille

suscipiebat pro beneficio. Et ita illius quasi Dei misericordia fruebatur, quia verum gaudium est sanctorum, exire de mundo. Quemadmodum festinantem hominem ad rem aliquam quam desiderat, si quis nesciens consilium ejus, pro malo compellat eum ire volentem: sic puto esse, cum impius hominem justum vult occidere, mori cupientem. Sicut servus, postquam commissi operis impleverit pensum, gaudet ante faciem domini sui apparere: sic et Joannes, commissae praedicationis mysterio consummato, laetabatur ad eum transire. Et non solum de morte sua non contristabatur, sed ipsam quoque dilationem vitae suae poenam putabat. Vis scire quod est super humanam naturam? Missus in carcerem non de suo periculo sollicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat, id est, discipulorum suorum. Ideo mittens ad Christum, interrogabat: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* In prima quidem facie extraneum aliquid videtur facere Joannes. Cui enim ad baptismum suum venienti dixerat: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth*. 3. 14)? quem inter innumerabiles populos venientem, digito loquens monstraverat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan*. 1. 29): et quod amplius est, quem in utero constitutus, priusquam nasceretur, non solum cognovit, sed etiam exsultatione spirituali matrem suam fecit ipse prophetam: ipse nunc quasi nesciens interrogat, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Sed Joannes in carcere, sciens se jam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adjungere, tamquam si providus pater moriens filios suos consignet fideli tutori. Desiderabat enim vivens plenam fidem videre discipulorum, et sine dubitatione aliqua credentes in Christo. Sicut pater moriens, si viderit filios suos bonis moribus ornatos, et omni sapientia perfectos, quasi securus moritur, nihil de caetero timens de illis: sic et Joannes volebat discipulos suos perfectos videre in Christo, ut jucundius moreretur. Magis autem non sicut pater filios suos commendabat Christo quasi tutori, sed quasi paedagogus alienos filios, quos ad tempus accepit ut erudiret, eruditos volebat Christo reddere, quasi proprio patri ipsorum. Ideo interrogabat per discipulos suos, non ut ipse reaccipiens responsum, a Christo audiret, et disceret, sed ut missi discipuli oculis suis viderent opera ejus, et crederent: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Dum dicit, *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* ostendit quia duo erant qui essent venturi, Christus et Antichristus, de quo et Dominus alibi significat, dicens: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; alius veniet in nomine suo, et illum recipietis* (*Joan*. 5. 43): significans, quod quicumque non receperit Christum, exspectat Antichristum venire. Intellexit cogitationem Joannis Christus, animadvertit consilium principis sui rex, sentit sermonem servi sui Dominus. Quod enim Spiritus in Joanne dictaverat, Deus intellexit, dicente Apostolo: *Qui scrutatur corda scit quid desiderat Spiritus* (*Rom*. 8. 27). Propterea spiritualem hominem spiritualis facile intelligit. Carnalis autem non intelligit spiritualem, ipse tamen intelligitur ab eo: quia *Spiritualis dijudicat omnia, ipse autem a nemine dijudicatur* (1. *Cor*. 2. 15): quia carnalis homo secundum carnem loquitur, et semper secundum carnem intelligit: spiritualis autem secundum cor loquitur, et cogitationes intelligit. Considera denique, quomodo se similant sensus eorum et verba. Sicut enim Joannes in prima quidem facie per discipulos suos interrogabat Christum, *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* revera ad discipulos suos ait: Ite, videte, et credite: quia non est alius, qui venturus fuerat, nisi ipse: sic et Christus in prima quidem facie Joanni renuntiabat, dicens: 4. *Ite, dicite Joanni:* 5. *Caeci vident, surdi audiunt,* 6. *et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*: revera autem ad discipulos ejus dicebat: Ecce videte, et cognoscite, quia caeci vident, surdi audiunt, et beati eritis, si non fueritis scandalizati in me. Quid est, *Quod videtis et*

Commented [p158]: Col.772

auditis? Sciens Dominus quia venturi erant discipuli ab Joanne, sicut Lucas dicit, in illa hora multis et bonis hospitibus digna convivia praeparabat, ut etiam Christo tacente, ipsa opera ejus loquerentur de eo (*Luc*. 7. 20. 21). Nam et qui curati fuerant, gratias agebant: et quidam vero dicebant: *Numquam sic factum vidimus in Israel* (*Marc*. 2. 12); alii autem dicebant: *Visitavit Deus in bono plebem suam* (*Luc*. 7. 16); alii dicebant: *Gloria Deo, quia talem potestatem dedit hominibus* (*Matth*. 9. 8). Sic ergo discipuli et oculis et auribus pascebantur, mirabilia sanitatum videntes, gratias agentium voces audientes, aut certe mirabilia ejus videntes, et doctrinam ejus audientes, aut certe sanitates infirmorum videntes, et confessiones ejectorum daemonum audientes. O misericordia Christi! Omnia faciebat, ut paucorum animas lucraretur: quia melior est apud Deum unus justus, quam totus mundus de peccatoribus plenus. 7. *Abeuntibus autem illis, coepit dicere ad turbas de Joanne*. Quam bene recedentibus discipulis coepit laudare Joannem! non sicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant, aut quando vident amicos ejus fideles, aut domesticos ejus, quos credunt quia nuntiaturi sunt illi quicquid audierint. Nam insipiens est, qui gaudet laudatus in facie. Vir autem sapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Propter duas ergo causas hominem in facie laudare non debes. Primum si sapientem illum putas, graviter suscepturus est. Et quare illi laudibus tuis molestiam facis? Si insipientem illum existimas, extollendus non est. Quare inspientiam ejus laudibus tuis nutris? Numquid dicimus, Insipiens est qui in facie vult laudari? Omnes enim homines volumus laudari. Et ideo bonum faciamus, ut laudem consequamur ex eo, dicente Apostolo: *Quaecumque sunt laudis, quaecumque bonae operationis, haec sectamini, et Deus pacis erit vobiscum* (*Philipp*. 4. 8. 9). Nam qui vult laudari propter homines malos, vanus est: qui autem coram domesticis ejus hominem laudat, non est culpa laudati, sed laudantis. Ideo enim coram illis laudat eum, non ut opinionem ejus bonam commendet hominibus, sed ut audiat ille, quia laudavit eum. *Quid existis in desertum videre?* Non enim exierant in desertum ad hoc, ut viderent Joannem: nec enim erat tunc in deserto, sed in carcere. Sed praeteritum refert, quia frequenter exibat populus in desertum videre Joannem, cum esset adhuc in deserto.

Homo carnalis ut calamus ab omni tentationis vento flectitur. – Calamum a vento moveri? Calamus est vacuus, et nullam habet virtutem: et ideo qualisvis ventus flaverit super eum, huc et illuc flectit illum. Sic et homo carnalis et saecularis in quo fidei nulla est medulla, et virtus veritatis non invenitur in eo, qualiscumque tentatio venerit super eum, curvat eum. Nam Deus volens ostendere Job, in quibus hominibus diabolus requiescit, introducit draconem in figura diaboli, et cum multa dixisset de eo, inter caetera ait: *Secus calamum et papyrum requiescit* (*Job* 40. 16). Calamus enim est vacuus, papyrus autem nimium levis, et mollis. Sic omnis homo carnalis, vacuus in fide, et levis in sensu, et mollis in passionibus, calamus est et papyrus. Quoniam usque tunc Joannes multis modis plura testimonia in populo dederat de Christo, sicut legimus in principio Joannis evangelistae: postea autem missis ad eum discipulis, interrogabat eum, dicens: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* forsitan apud homines tunc ibi constitutos mirabile videbatur, et levissimi hominis signum, ut prius quasi sciens omnibus praedicaret, modo quasi nesciens interrogaret, si ipse esset, an alius. Propterea Dominus hoc introducit, et dicit, ut non putent hoc ipsum levitatis ejus fuisse, et non rationis alicujus occultioris. Propterea rationem quidem ejus non exponit, sed dignitatem, et gratiam ejus annuntiat: quia talis et talis est Joannes, ut praedicatio quidem dignitati ejus suspicionem levitatis tollat ab eo, rationem autem transmissorum discipulorum postea

Commented [p159]: Col.773

digni et fideles intelligant, qui Spiritum Dei habere meruerunt, scrutantes etiam altitudinem Dei. 8. *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum?* Id est, amicum saeculi, qui fruitur bonis ejus. Non vidistis quia vestimentum ejus erat de pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus? Esca autem ejus locustae, et mel silvestre, ut ipso conversationis suae testimonio contemneret mundum cum bonis ejus: stetit enim in mundo. Quod autem intravit in mundum, ideo intravit, non ut ipse remaneret in mundo, sed ut spoliaret mundum: id est, natus quidem est in mundo, sed non est ingressus ad aliqua hujus mundi bona. Quod autem natus in mundo, non ipse peccans remansit in mundo, sed peccatores convertens ad justitiam, liberavit de mundo. Multa enim delectamenta mundus iste ad seductionem ostendit hominibus. Sicut homo malignus, si viderit aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates ejus: sic et diabolus videns hominem habentem in se thesaurum caelestem, id est, animam immortalem a Deo creatam, sapientiam caelestem in arca terrena positam, ideo ostendit illi aurum et argentum, et concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas, et deliciosos cibos, et gloriosos honores; ut per hoc subjugans eum voluptatibus suis, auferat salutem animae ejus, et corrumpat gratiam cordis ipsius. 9. *Quid existis in desertum videre? prophetam? Amen dico vobis, et plus quam prophetam.* Prophetae enim est de Christo praedicare. Numquid prophetae fuit, ut in utero constitutus, Deum in utero cognosceret? Prophetae est, pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Numquid prophetae fuit, ut prius fieret propheta, quam homo, et ante gratiam acciperet? Prophetae est, beneficium a Deo accipere. Numquid prophetae est, beneficium baptismatis Deo donare? Prophetae est, verbum ante tempus significare de Christo. Numquid prophetae est, facie ad faciem digito Christum ostendere? Prophetae est, ut ipse de Deo prophetet. Numquid prophetae est, ut Deus de illo prophetet, dicens: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Luc*. 7. 27)? 10. *Hic est, de quo dictum est per prophetam: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam* (*Malach*. 3. 1). Jam nunc incipit dicere causas propter quas amplius erat quam propheta beatus Joannes, qui talem meruit habere laudatorem. Et Joannes quidem testificatus erat de Christo, *Ecce agnus Dei* (*Joan*. 1. 29): sed amplius recepit a Christo quam praestitit. Joannes enim Christum glorificans, humanam illi contulit laudem: Christus autem Joanni divinam contulit gloriam. Nam iste illum agnum ostendit, ille autem istum angelum praedicavit. Iste minus laudavit in Christo quam erat. Nam non solum peccatum mundi abstulit, sed etiam vitam aeternam mundo donavit. Ille autem istum supra quam videbatur erexit, ut qui homo erat, angelus diceretur. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.* Audi nunc, et intellige dignitatem. Puto, si non est audaciae dicere, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit, et propter virtutis meritum angelus est vocatus, quam si nomine angelus et natura fuisset. Angelus enim, hoc ipsum quod angelus est, non tantum est virtutis praemium, quantum naturae proprietas. Iste autem mirabilis est, qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, et obtinuit quod non habuit natura per gratiam Dei. Ecce omnes prophetae ante faciem Christi transmissi sunt, et angeli sunt vocati: sicut scriptum est, *Qui accepistis legem in praeceptis angelorum, et non custodistis* (*Act.* 7. 53). Et quomodo de solo Joanne quasi gratiae singularis est indicium, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam?* Omnes quidem prophetae ante faciem Christi transmissi sunt: solus autem Joannes sic missus est ante faciem Christi, ut pene cum ipso Christo veniret. Quantum prae caeteris prophetis

Commented [p160]: Col.774

Joannes in tempore juxta Christum, tantum justitia prae illis proximior erat Christo. Multae quidem stellae ante lucem praecedunt, nuntiantes lucis adventum, nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi una quae cum ipsa luce procedit: sic omnes prophetae ante faciem Christi praecedunt, nuntiantes adventum ejus, solus autem Joannes Praecursor est appellatus, quia non solum adventum ejus annuntiat, sed ipsum illum digito suo ostendit, *Ecce agnus Dei*. Omnes prophetae venturum testati sunt, ille solus jam venisse monstravit. Deinde alii prophetae missi sunt, ut adventum ejus annuntiarent: iste autem ut praepararet viam ipsius. Aliud autem est adventum ejus annuntiare, aliud est viam praeparare. Nuntiantibus adventum ejus, praedicationis sermo commissus est: praeparanti autem vias, humanae correctionis opus injunctum est: sicut angelus de eo: *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum suum* (*Malach.* 4. 6. *et Luc*. 1. 17). Ille ergo correxit, ut iste susciperet: ille mundavit, ut iste sanctificaret: ille praeparavit, ut iste inhabitaret. Altera causa propter quam melior est prophetis: 11. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* De quo propheta aliquando prophetatum est? Omnes prophetae prophetaverunt de Christo, de illis autem non prophetatum est. Ipse autem non solum prophetavit de Christo, sed etiam alii prophetae prophetaverunt de ipso. Quis aliquando dictus est *Vox clamantis in deserto* (*Luc.* 3. 4)? Nam omnes portiores verbi fuerunt: iste autem ipsa vox, quae desertum facere poterat quasi agrum cultum. Quanto vox proximior verbo, non tamen verbum: tanto Joannes propinquior Christo, non tamen Christus. Quis prophetarum cum esset propheta, prophetam facere potuit? Helias quidem unxit Helisaeum in prophetam, non tamen prophetandi gratiam illi donavit (3. *Reg.* 19). Iste autem in utero matris exsistens, divini introitus scientiam matri donavit, et os illius in verbo confessionis aperuit, ut cujus non videbat personam, cognosceret dignitatem, dicens: *Unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniret ad me* (*Luc.* 1. 43)? Nam quoniam Christus in utero constitutus Joannem in utero constitutum ordinare non poterat praecursorem: etsi poterat, tamen non sic poterat, ut omnes audirent: ideo fecit Mariam salutare Elizabeth, ut sermo procedens ex utero matris, ubi habitabat Dominus, et per aures Elizabeth ingressus, descenderet ad Joannem, et illic eum ungeret in prophetam. Nam sicut mater ipsa testatur, statim ut vox salutationis convenit ad aures Elizabeth, statim exsultans puer prophetavit, non voce, sed motu. Considera, non dixit, Inter natos de mulieribus: sed, *Inter natos mulierum.* Aliud est, esse natum mulieris, et aliud est, esse natum de muliere. Qui mulieris natus est, in muliere quidem natus est, et initium de muliere habet, et ante mulierem non fuit. Qui autem de muliere natus est, neque in muliere natus est. Ecce enim Christus de muliere quidem natus est; quantum autem ad sermonem, mulieris natus hic: et in muliere natus, qui ante mulierem erat. Ergo qui mulieris natus est, de muliere nascitur: non tamen omnis, qui de muliere nascitur, mulieris natus est. Ideo ergo non dixit, Inter natos de mulieribus, ne et se cum illis misceret. Scriptura quidem non dicit Joannem majorem esse caeteris sanctis, sed caeteros sanctos non esse majores Joanne. Coaequavit eum caeteris, non praeposuit. Sed cum tanta sit justitiae altitudo, ut in illa nemo possit esse perfectus, nisi solus Deus: puto quod omnes sancti, quantum ad subtilitatem divini judicii, invicem sibi aut inferiores sunt, aut priores. Ex quo intelligimus, quoniam qui majorem non se habet, omnibus major est. Hoc denique sequens sermo demonstrat, dicens: *Qui autem minor est in regno caelorum, major est eo.* Quis autem est minor et major? Christus videlicet, minor in corpore, major in spiritu. Vide ergo quia omnibus sanctis est major, cui solus Christus est prior, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Commented [p161]: Col.775

Homilia xxviij. ex capite xj. (col.775-80)

25. *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Domine, Pater caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis,* et reliqua. Postquam improperavit civitatibus, magis autem civibus, quod totiens seminati sunt in doctrina, et numquam germinaverunt in fide, qui virtutes et miracula Christi non quasi aedificamenta spiritualia, sed quasi delectamenta carnalia susceperunt: respondens ait, quasi ad sensum discipulorum secundum Lucam exponentium: *Confiteor tibi, Domine, Pater caeli et terrae.* Considerandum est, quoniam Lucas sic introducit hunc sensum: *In illa hora exsultavit in spiritu Jesus, et dixit: Confiteor tibi, Pater* (*Luc.* 10. 21): iste autem sic dicit: *Respondens Jesus ait.* Sicut ex diversis itineribus venientes ad unam mansionem contendunt: sic et evangelistae ex diversis occasionibus loquentes in unum sensum ingrediuntur. Ille ergo sic introducit: Postquam reversi sunt discipuli, gratias agentes, et dicentes: *Domine, in nomine tuo etiam daemonia nobis obediunt* (*Luc.* 10. 17): videns gratias discipulorum Christus, quomodo in consummatione commissi mysterii fuerint fideles, quomodo in gratiarum actionibus erant devoti, quasi congaudens discipulis suis, *Exsultavit, et dixit: Confiteor tibi, Pater.* Iste autem, postquam implacabiles animos Judaeorum et duras mentes ostendit, quos tot miracula ad fidem flectere non potuerunt: respondit excitatus discipulorum suorum suasu, illorum bonas imprecationes suscipiens, ad quorum nuntium bonum respondit. Alterum, duritia compulsus Judaeorum. Ergo ille gratias agit, quia illuminati sunt rustici et simplices homines, qui totum quicquid fecerint boni imputant auctori. Iste autem gratias agit, non solum quia illuminati sunt parvuli, sed quia excaecati sunt literati et sapientes Judaeorum, et qui omnem gratiam Dei imputant sibi. *Confiteor tibi, Domine, Pater caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. Quantum ad propositum quidem Christi in hoc loco loquentis, talis est intellectus verborum istorum. Postquam improperavit incredulis civitatibus, occasionem accipiens ab incredulitate earum, justam dispositionem Dei introducit in medium, gratias agens dicit. Quia placuit enim Deo Judaeos quidem repellere, qui prius sapientibus dabantur in eloquiis Dei, cum essent insipientes (sapientia quidem est, non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere), et recipere gentes, quia parvuli erant in scientia Dei, et parvuli per ignorantiam, non per contumaciam. Tu autem ad quascumque volueris personas, potes dilatare tractatum, quoniam et ab omnibus sapientibus, qui secundum sensum carnis sunt sapientes, et non secundum spiritum cordis, abscondit Deus semper mysterium veritatis, et parvulis illud revelat, quia parvuli malitia sunt. Qui sunt sapientes? Antiqui philosophi, et oratores, qui naturali sapientia literarum exercitatione exacuminati, de Dei natura quaerere contendebant, non Deum invenire desiderantes, sed altissima disserere cupientes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone: in ultimo nihil se amplius invenire potuisse confessi sunt, nisi quia Deus incognoscibilis est. Et ut quid ergo tantum laborasti, si ignorans es, postquam requisisti, quemadmodum fueras, antequam quaereres? Sicut enim qui innavigabilem oceanum navigare se usurpat, dum non potest eum transire, necesse est, ut per eamdem viam revertatur, unde ingressus est: sic et illi ab ignorantia coeperunt, et in ignorantia finierunt. O homo sapiens, magis autem insipiens! Deus invisibilis est, et quis eum potest videre, nisi ipse se videat? Serva ergo mandata

Commented [p162]: Col.776

Dei, sanctifica cor tuum, ita ut inhabitet Deus in te, et videas Deum. Magis autem non tu vides, sed Deus, qui est in te, ipse videt te. Deus incomprehensibilis est. Quis enim potest comprehendere eum, nisi ipse se comprehendat? Serva ergo mandata Dei, sanctifica cor tuum, ita ut Deus habitet in te, et quotidie magis ac magis invenies Deum. Non ergo in Deum, sed Deus invenit te. Qui sunt parvuli? Christiani, qui nihil possunt amplius aestimare de Christo, nisi quod vident in eo, et nihil amplius credere possunt, nisi quod audiunt in libris de ipso. Talis est enim natura infantium: cum viderint rem aliquam, animus eorum simplex nihil potest amplius considerare de ea, quam quod oculi eorum vident: et quod audierint ab aliquod nihil amplius in sermonibus exponentis intelligunt, neque possunt discutere rem auditam, sed quidquid audierint, credunt. Si bonum, toto corde laetantur: si malum, sine consolatione tristantur. [Sic et infideles, si audierint Christum dicentem, Non sum solus, sed qui misit me Pater, mecum est: non possunt intelligere, putantes quia non unus est Deus, Pater et Filius. Si enim esset unus, numquam diceret. Non sum solus. Qui enim unus est, et solus est: qui autem solus non est, nec unus est.] Si videmus Christum in cruce pendentem, non possumus intelligere ex nobis, quia homo purus est ille qui pendet. Nam recessisse majestatem Dei de corpore nec vidimus, nec audivimus. Sed forte dicis, Quomodo ergo clamabat in cruce, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.* 27. 46. *Psal*. 21. 2), si non esset corpus derelictum? Et non audisti quomodo ad latronem dicebat, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* 23. 43)? Homo purus, qui se derelictum dolebat, sicut tu dicis, quomodo ad paradisum ducatum praestabat? Clamabat ergo Filius ad Patrem, ut se ex infirmitate corporis pati probaret hominibus; non ut corpus a divinitate derelictum ostenderet. Item qui sunt sapientes, a quibus mysterium Christi absconditum est? Sacerdotes, scribae et Pharisaei, qui congregati in templo dicebant: *Quousque animam nostram tollis? Dic nobis palam, si tu es Christus.* Quibus respondit: *Et dixi vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testificantur de me* (*Joan.* 10. 24. 25). *Et tulerunt lapides, ut lapidarent eum, dicentes: Propter bonum opus non lapidamus te, sed propter blasphemiam: quia tu cum sis homo, facis teipsum Deum* (*Ibid. v.* 31. 33). Qui sunt parvuli quibus est revelatus? Quos Dominus interrogat dicens, *Vos autem quem me esse dicitis* (*Matth.* 16. 15. 16): Respondentes dixerunt: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Si ergo quod Judaei quotidie meditantes legem Dei invenire non potuerunt, piscatores et rustici invenerunt, quotidie tractantes retia in manibus suis: (26. *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Non dicit, qua ratione sic ei placuit, sed tantum gratias agit Patri, quia sic ei placuit.) Ita et tu numquam discutias consilia Dei, in operibus ejus quid fecit, aut qua ratione sic fecit: sed quomodocumque sic voluit rem suam ordinare, gratias agens sufficiat tibi ad testimonium ipsa Dei natura; quia Deus sine ratione et sine justitia nihil facit. Non enim ad discussionem suam, sed ad honorem suum creavit te. Nec judicem te esse voluit actuum suorum, sed servum praeceptorum suorum. Boni enim domini est omnia providere, quae ad utilitatem pertinent servi. Boni autem servi est, fideliter operari, et non discutere domini sui actus. 27. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* A quo illi tradita sunt, si unus est Pater et Filius? aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia Patri suo erat aequalis? Nam significatio traditionis tam unitatis rationem, quam aequalitatis excludit. Nam nec qui accipit, unus est cum dante: nec qui traditum acceperit, aequalis est ei qui tradidit. Tradita sunt ei secundum quod *Minoratus est paulo minus ab angelis* (*Hebr.* 2. 9). Nam secundum illud, quod *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo* (*Philip.* 2. 6), cum eo Deus unus et aequalis est, qui

Commented [p163]: Col.777

tradidit omnia. *Omnia mihi tradita sunt, caelestia, terrestria, et infernalia.* Caelestia quidem, ut jam numquam sint rebellantia: nec dicat aliquis eorum, *Ponam sedem meam in nube, et ero similis Altissimo* (*Isai.* 14. 14). Terrestria, ut relinquentes idola et peccata credant in me, et obaudiant meis mandatis. Infernalia, ut vocentur ad vitam, *Ut in nomine meo omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum* (*Philip.* 2. 10). Caelestia, ut sint in adjutorio terrestribus; terrestria autem, ut fiant imitatores caelestium; infernalia, ut jam non expugnatione hominum proficiant, sed ad probationem sanctorum. Et vide, non dixit, Omnes homines mihi traditi sunt: ut tantummodo de hominibus crediturus, sed etiam et de rebus omnibus, quae ad gloriam ejus fuerant convertendae, cum essent adversae, diabolo subvertente: utputa, omnia ei tradita sunt, caelum et terra, sol, luna, stellae, aer et ignis, aquae, flumina, infernus et mors, ut jam nemo haec omnia deos esse, aut ingenita esse, suggerente diabolo, arbitretur, sed omnes Christi esse opera, sancto Spiritu docente, cognoscant et fateantur. Non ergo tradita sunt, ut modo Christi secundum naturam fiant quae semper ejus fuerant, sed ut modo ejus esse credantur, et modo ad ejus gloriam convertantur: sicut et homini semper exstitit Deus, sed usque tunc cognitus non erat. Nunc autem traditi sunt ei absolute, ut cognoscant eum suum Factorem Deum, sicut scriptum est: Sicut dedisti mihi potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti mihi, dem eis vitam aeternam. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te unum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* 17. 2. 3). Mihi tradita est vita et mors, ut nec vita ad peccatum sit hominum, nec mors ad poenam: sed ut, qui vivunt, lucrum justitiae bene viventes faciant, et qui mortui fuerint, melius vivant, mecum regnantes in caelo. Mihi traditae sunt divitiae et paupertas. Usque nunc enim paupertas blasphemare cogebat, furtum committere suadebat: divitiae autem inflabant, nocendi virtutem praestabant. Nunc autem mihi traditae sunt, ut paupertas dum magnanimiter sustinetur, ad gloriam Dei proficiat: et divitiae dum misericorditer dispensantur, ad gloriam Dei proficiant. Mihi traditi sunt servi et reges, ut nec servi in suo servitio erubescant, sed in me Domino glorientur: et reges non in sua potentia extollantur, sed mihi genua curvent. *Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ita intelligendum est: Nemo ex se potest cognoscere quemquam illorum, nihi Patrem Filius revelaverit et Filium Pater. Nam de Patris quidem persona Christus ipse dixit, quia nemo scit Patrem, nisi Filius revelaverit: de Filii autem persona ideo non dixit, Nisi Pater revelaverit, quia jam superius dixerat: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis,* scilicet haec eadem quae dispensata sunt in adventu meo de me. Nam et ad Petrum confitentem se dixit: *Non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus* (*Matth.* 16. 17). Et Isaias dixit: *Ego Dominus sanctus vester, qui ostendi Israel regem vestrum* (*Isai*. 43. 15). Aut certe ita, secundum plenitudinem Patris: Patrem nemo cognoscit, nisi Filius. Et secundum plenitudinem Filii: Filium nemo cognoscit, nisi Pater: quia incomprehensibilem naturam comprehendere non potest comprehensibilis creatura. Quoniam etsi de Patre Filius revelet, aut de Filio Pater, tamen revelat non quantum sunt, sed quantum ille, cui revelatur, potest capere. Aut certe sic datur intelligi ex his quae praecedunt, quoniam dicit: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Et ex his quae sequuntur, quoniam dicit: 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis.* Puto quod secundum hoc nemo cognoscit Filium, secundum quod ei omnia tradita sunt, *Ut omne genu in nomine ejus flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris* (*Philip*. 2. 10. 11) Quae omnia futura erant, tunc adhuc nemo sciebat. Et secundum

Commented [p164]: Col.778

hoc nemo cognoscit Patrem, eo quod statuit in Filio suo omnibus dare salutem. Unde Apostolus dicebat: *Mysterii temporibus aeternis taciti, manifestati autem nunc* (*Rom.* 16. 25. 26), etc. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis.* Qui sunt qui laborant? Qui legis justitiam operantur. Et qui sunt qui onerati sunt? Ipsi Judaei, quibus post idololatriam vituli talia legis mandata imposuit Moses, in quibus numquam se explicarent. De quibus et Petrus ait: *Quid tentatis Deum, et vultis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri potuimus portare? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvos fieri* (*Act.* 15. 10. 11). Ideo sic dicit: *Qui laboratis*, id est, Qui contenditis justi esse, et non potestis: quia praeceptum legis dum expleri non potest, semper conscientiam facit obnoxiam. Et apud Judaeos quidem erat lex levis et justa, id est, decalogus, quem ante idololatriam acceperunt; sed sine gratia inveniebatur gravis. Sine gratiae enim auxilio omnis justitia hominibus gravis est: quia lex praeceptum est nudum, gratia autem virtus est Dei. Lex in libro conscribitur, gratia autem in corde plantatur. Ideo lex insufferribile pondus est, gratia autem delectatio cordis est, dicente Domino per Salomonem: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me; spiritus meus super mel dulcis* (*Eccli.* 24. 26. 27). Ergo lex non solum ideo gravis est, quia gravia praecipit observationis mandata: sed et quia praecipit fieri, et faciendi non praestat auxilium. Nec ideo solum gratia levis est, quia levia ponit mandata: sed quod fieri praecipit, et ipsa in nobis faciendi operatur virtutem. Ecce enim lex praecipit, *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* (*Levit.* 19. 18); gratia autem jubet, *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* 5. 44). Nonne gravius est gratiae mandatum, quam legis? Et tamen facilius est nobis per gratiam haec impossibilia adimplere, quam Judaeis per legem illa possibilia: quia in gratia Dei totum possumus, sine gratia autem nihil, dicente Apostolo: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (*Philip.* 4. 13). Adhuc autem dico: et si impleverit quis omnem justitiam legis, vivit quidem in ea, non tamen justificatus est. Unde adolescenti Dominus sic respondit, dicens: *Haec fac, et vives* (*Luc.* 10. 28). Non dixit, Et justus eris, quoniam lex abstinentiam mandat malorum, utputa, *Non occides*, et caetera. Non justitiae opus injungit, sicut gratia, ut non irascaris sine causa, nec concupiscas. Qui autem abstinet se a malis, innocens quidem est: justus autem non est, nisi et justitiae opus impleverit. Non quidem morietur, tamen nec gloriam habebit. Propterea dicebat Apostolus, qui erat filius Abrahae, qui conversatus fuerat in lege sine reprehensione (*Phil.* 3. 6): *Nos*, inquit, *Judaei, et non de gentibus peccatores, scientes quia in lege nemo justificatur, credimus Jesum Christum, ut ex fide Christi justificemur* (*Gal.* 2. 15. 16). Omnis autem, qui contendit justitiam facere, et non justificatur, laborat in opere, quia fructu laboris sui non fruitur: qui autem et contendit et justificatur, non laborat, sed delectatur in opere suo, quia operis sui fruitur fructu. Deinde quis nescit, quia minor est justitia legis, quam gratiae? Utputa, non occides, non adulterabis: hoc facilius est, quam non irasci, aut non concupiscere. Ab hoc enim multi se abstinent, etiam qui non timent Deum. Ab ira autem vel concupiscentia vix etiam spirituales viri: tamen difficilior et onerosior invenitur lex, quia opera quaerit, non voluntatem. Justitia autem gratiae licet major sit, tamen facilior invenitur, quia voluntatem, non opera quaerit. Utputa, si quis non iratus, sed propter disciplinam palmam alicui dederit, et eventu occiderit, sicut fieri solet, quantum ad gratiam innocens est, quia voluntatem, non opus requirit: quantum autem ad legem reus est, quia opera quaerit. Item si in persequutione prostituta fuerit virgo, in lege quasi non virgo jam repellitur, quia opus aspicit, non voluntatem: in gratia autem quasi virgo suscipitur, quia non opera quaerit, sed voluntatem. Vides quia injusta est lex et

Commented [p165]: Col.779

onerosa? Ideo homines desub pondere Judaicae legis hortatur Christus exire, et ad delectabilem gratiam pervenire, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos,* id est, repausabo. Et vide quomodo dicit, Quia laboratis? Quis est qui laborat? Qui festinat adimplere justitiam, et non praevalet. Qui autem non vult facere justitiam, ille non laborat sub pondere legis. Utputa, si ante te videris aliquem ponderis fascem: siquidem contendisti eum tollere super te, et non potes, laboras: si autem nec tentas, nullum sentis laborem de pondere. Ergo non illos vocabat Christus ad se, qui omnino non concupiscebant facere justitiam, sed qui festinabant, et qui laborabant, et praevalere non poterant. Adhuc etiam sermonibus istis etiam Christianos peccatorum pondere praegravatos ad requiem poenitentiae vocat. Putas quod peccatores istius mundi non laborant? Vere enim majores labores et sollicitudines habent, quam servi Dei, dicente propheta: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* (*Psal*. 13. 3). Item ex persona peccatorum poenitentiam agentium dicit Salomon: *Ergo erravimus a via veritatis, et lumen justitiae non luxit nobis, et sol non ortus est nobis: lassati sumus in iniquitatis via et perditionis, ambulavimus solitudines desertas, difficiles autem vias Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia nostra, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (*Sap.* 5. 6-9). Ergo laborant multum, et conteruntur in saeculo, sed laborem non sentiunt: spiritus enim qui seducit eos, ipse delectat in malo. Sicut enim qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus: sic et qui jugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat et decipit, ne discedant a malo impii usque ad mortem suam. Ideo dicit Christus. 30. *Jugum enim meum suave est et onus meum leve.* Nam etsi corpore non gravantur peccatores, nec laborant, animae tamen eorum gravatae sunt et laborant, dicente propheta de onere peccatorum: *Quoniam iniquitates meae superposuerunt caput meum, sicut onus grave gravatae sunt super me* (*Psal*. 37. 5). Et iterum Zacharias iniquitatem super talentum plumbi sedere conscribit (*Zach.* 5. 7). 29. *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* O gratissimum pondus, quod magis confortat portantes! Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires: pondus autem Christi magis adjuvat bajulantem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiae dati sumus, sed gratia magis ad nostrum. 30. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*. Suscipite jugum meum: et a me discite; id est, Ex ipso jugo meo, quia suave est, et ex ipso onere meo, quia leve est, experimentum accipite, quia mitis sum, et humilis corde. Consequenter et propheta dicit de Christo: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal*. 33. 9). Inexpertis enim gravis est justitia Christi, expertis autem suavis est. Ergo lex immitis fuit, quia quicquid mandavit, in ira sua mandavit post idolum fabricatum, non ut salvet, sed ut puniat eos secundum duritiam cordis eorum. Christus autem mitis est, quoniam quicquid mandat, propter misericordiam suam mandat, non ut puniat, sed ut salvet. Item lex superba est. Vetat enim omnem hominem accedere ad sancta, praeter pontificem. Item mulieres menstruatas, vel virum in fluxu seminis, vetat intrare in templum. Luscum, vel leprosum, vel aliquo membro debilem, vetat sacerdotio fungi (*Lev*. 16. *et* 12. *et sqq. capp.*). Vides quomodo superba est lex? Christus autem humilis, qui nihil aliud quaerit, nisi fidem integram, et conscientiam mundam. *Et invenietis*, inquit, *requiem animabus vestris.* Non dixit, *Invenietis requiem*, et tacuit: sed addidit, *Animabus vestris*: quoniam mandata Christi in hoc saeculo animarum requies sunt, non corporum: quoniam, etsi laborant et tristantur in corpore, animae eorum requiescunt, et gaudent in spiritu et in spe.

Commented [p166]: Col.780

Ideo alibi dicit: *Haec autem loquutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationes* (*Joan*. 16. 33).

Homilia xxix. ex capite xij. (col.781-7)

Commented [p167]: Col.781

22. *Tunc oblatus est Jesu daemonium habens, caecus et mutus*, etc. *Tunc*, quid est? Quando egressus est de synagoga (in mysterio contempsit synagogam Judaeorum), tunc oblatus est ei in uno homine totus mundus, caecus et mutus, qui neque videbat, neque loquebatur: id est, qui neque cognoscebat Factorem suum, neque gratias illi agebat; ut quod visibiliter in uno homine agebatur, hoc invisibiliter fieri intelligeretur in omnibus. Nam vere, nisi Judaeam Dominus reliquisset, adhuc omnes gentes in potestate diaboli caeci et muti manerent. Legimus in Scripturis et derelictam Judaeam, et non derelictam. Derelictam quidem, sicut Isaias dicit: *Et derelinquetur filia Sion, sicut umbraculum in vinea* (*Isai.* 1. 8). Non derelictam autem, sicut David dicit: *Quia non repellet Dominus plebem suam, et hereditatem suam non derelinquet* (*Psal*. 93. 14). Hanc quaestionem solvit nobis Apostolus, dicens: *Non excidit verbum Dei. Non omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitae: neque qui sunt semen Abrahae, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen* (*Rom.* 9. 6. 7). Ergo non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii promissionis, aestimantur semen. Vides ergo quia illa Judaea derelicta est, quae secundum carnem erat Judaea: quae autem secundum spiritum fuit Judaea, non solum derelicta non est, sed magis electa est. Nam sicut in homine duplex est homo: est enim homo exterior carnalis et corrumpendus, et est homo spiritualis incorruptibilis; et sicut in lege duplex est circumcisio, a foris quidem carnalis, et rescindenda, ab intus autem et spiritualis, et adimplenda: utputa, hoc recisum est in lege, quod erat a foris membrum, illud autem, quod fuit ab intus, ut circumcideretur cor, non est recisum: sic in Judaea duplex est Judaea. Et a foris quidem Judaea videtur, qui ex carne Abrahae nati sunt. Ergo populus in populo erat clausus. Ideo et Dominus ingressus synagogam, id est, quasi in populum, salvavit virum spiritualis populi Judaici figuram habentem. Et ingressus in populum, ut de medio populi populum liberaret, id est, de synagoga. Populus enim ille spiritualis manum habebat aridam, id est, boni homines, qui erant inter Judaeos, aridas manus habebant sub lege contractas, quia opera justitiae facere non poterant: *Quia ex operibus legis nemo justificatur* (*Rom.* 3. 20). Utputa, amicum diligere secundum legem, et ei benefacere, non est hoc benefacere, sed male non facere. Non enim omnino male non facere, justitiam facere est. Itaque sanavit manus justorum Christus per gratiam, ut non solum amicos, sed etiam inimicos ament, bene omnibus facientes. Vides quia laxata est manus eorum, quasi accipiens gratiae nervos? Ideo autem prius arida manus sanata est, postea illuminatus caecus, quia per opera justitiae venitur ad perfectam cognitionem Dei. Nisi enim quis secundum Deum coeperit ambulare, vel conversari, numquam potest Deum perfecte cognoscere: bona enim conversatio ad cognoscendum Deum aperit oculos mentis. Per verbum enim quasi modicus gustus Dei datur hominibus; per conversationem autem bonam venitur ad perfectam fidem. Unde scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* 5. 8). Et ne aliquis putet, quia sufficiat homini fideli cognoscere Deum, sed necessarium est et confiteri Deum; ideo caecum et mutum sanavit: oculos ad cognoscendum Deum, os ad confitendum Deum. Qui ergo cognoscit, et non confitetur, ille etsi oculos mentis habeat curatos, tamen adhuc mutus est. Qui ergo videns non videt Deum, id est, cognoscens non cognoscit Deum, caecus est, quia non facit praecepta Dei. Et qui loquens non loquitur Deum, mutus est, quia loquens non loquitur

Dei laudem, aut gratiam: sed si quidem ea, quae diabolus jussit, ille etsi loquatur et videat, quantum tamen ad Deum mutus et caecus est. Non enim ille videt Deum qui scit Deum, sed qui timet et diligit Deum. Qui autem timet et non diligit, nomen Dei cognoscit, non potestatem. Et qui orat et psallit, et non facit quae laudat, ille corpore loquitur, animo autem tacet. 23. *Stupebant autem turbae, dicentes: Numquid hic est filius David?* Quam proprie dixit, *Stupebant*: quia ipsum nondum sciebant. Nemo enim potest vere judicare de opere aliquo, nisi personam operantis cognoverit quis est. Utputa, si magnum opus facit discipulus alicujus artificis, miramur, quia discipulus alicujus constitutus tale opus potuit consummare. Si autem fecerit illud ipse magister, non satis miramur. Quod enim magnum est, ut exercitatissimus magister faciat opus magnum? Ita et Deus qualecumque opus fecerit, minus est quam potestas ipsius. Ideo faciens Filius Dei miraculum, non stuporem debuit excitare, sed fidem. Vis scire quia eum non cognoverunt, ideo stupebant? Audi quid dicunt: *Numquid hic est filius David?* Si enim cognovissent eum, numquam dicerent, *Hic est filius David*: sed dicerent Hic est Filius Dei. 24. *Pharisaei autem audientes, dixerunt:Hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum.* Videamus. Dixerunt hoc Pharisaei, aut cogitaverunt? Causa autem quaestionis ex eo est, quoniam hic quidem dicit: *Pharisaei autem audientes, dixerunt.* In sequenti autem dicitur ita, *Sciens Jesus cogitationes eorum*: et non dixit, Audiens dicta eorum. Quid ergo est? Forsitan quidam dixerunt, sed ex mala cogitatione dixerunt. Frequenter enim dicunt homines de aliquo, quod non est verum, non autem dicunt ex mala cogitatione, ut derogent ei, sed dicunt nescientes rei veritatem. Hi autem Pharisaei ex mala cogitatione dixerunt falsum de Christo, non ignorantes rei veritatem, sed ut derogatoriis sermonibus istis populum a fide Christi averterent. Videbant enim turbam stupentem, ac dicentem: *Nonne hic est filius David?* Quae verba appropinquantium erant ad fidem. Ideo Pharisaei excitati in zelo, ne viso miraculo ejus crederent in eum, dixerunt: Quid stupore nimio movemini, o viri, quid superflua dicitis verba, putantes ne filius sit David? Nos manifeste cognoscimus, quoniam hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum. Quoniam ergo ita dixerunt, non ignorantes rei veritatem: sciebant enim quod spiritus satanae non hujusmodi miraculum operatur: sed ex mala cogitatione, et ex invido proposito, ut averterent populum a fide Christi: ideo dicitur. 25. *Sciens autem Jesus cogitationes eorum, dixit eis*. Aut certe, sicut simpliciter sermo demonstrat, haec Pharisaei non dixerunt, sed cogitaverunt. Mala autem eorum cum essent abscondita, quid nocere poterant gloriae Christi? Nihil. Qui enim malum cogitat, se perdit, alterum non gravat. Sed vide misericordiam Christi. Si illi hoc aperte dixissent, et iste e contra respondisset: diceremus forsitan quia ideo contra verba illorum respondit, ut confunderet malitiam eorum. Nunc autem manifestum est quia ideo respondit, non ut confunderet malitiam eorum, sed ut sanaret vulneratam conscientiam, ipsorum ut videntes cogitationes suas in verbis ejus, vel sic intelligant quia non est homo, qui corda cognoscit. Tamquam si ita dicat ad eos: Puta quia daemonia cum potuit sanare Beelzebub, numquid potest Beelzebub occulta cordis aspicere? *Omne regnum adversum se divisum, desolabitur.* Aliud est impossibile, aliud falsum. Impossibile est, quod fieri non potest; falsum autem, quod fieri quidem potest, factum autem non est. Quod ergo Judaei adversus Christum dicebant, possibile quidem erat, verum autem non erat. Quomodo non erat verum? Quia Christus quidem in Beelzebub non ejecerat daemonia: fieri autem poterat, ut in spiritu diaboli daemones expellerentur. Numquid Pharisaei, homines docti in malo, hoc adversus Dominum blasphemassent, nisi cognovissent fieri

Commented [p168]: Col.782

posse? Nam falsum quidem dicere hominum est malignorum: quia falsa res, si bene continuata fuerit, vera et credibilis aestimatur. Rem autem impossibilem dicere insensatorum hominum est, non malorum: quia quod impossibile est, defensione non indiget, quia impossibilitas rei seipsam defendit. Quod daemones diximus a Beelzebub posse expelli, quantum ad primam faciem diximus posse, secundum quod multi seductores videntur expellere: re vera autem impossibile est, ut in Beelzebub daemones expellantur: quia expellens daemonem, non propter odium ipsius daemonis, neque propter salutem hominis ipsius ejicit eum, sed ut videntes perdat deceptos, quicumque crediderint ei vel ministris ejus, quod possit ejicere daemones. Nam ejiciens eum, non ejicit eum, sed concludit cum eo, ut inter praecipientem daemonem et alterum obedientem seducantur videntes. Ideo et Dominus sciens quia in schemate ejiciuntur, non in veritate: non ad schema, sed ad ipsam veritatem respondit, dicens: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur*. Id est, Sicut non potest fieri, ut quis se persequatur: sic non est possibile, ut diabolus diabolum ejiciat. Regnum diaboli est omne malum, regnum autem Dei omne bonum. Ergo diabolus rex mali: si bonum faciat, ipse destruet regnum suum, quia adversus se agit. Sicut enim malum adversus bonum contrarium est et nocivum, sic bonum adversus malum contrarium est et nocivum. Ejiciens itaque diabolus diabolum, delusorie non bonum facit, sed malum; id est, non adversus se agit, sed pro se: quia non ejiciendorum daemonum gratia ejicit daemones, sed seducendorum hominum causa. Nam expedit et ipsis daemonibus obaudire sibi invicem in schemate, et exire de corpore. Melius est enim ei exire de corpore, et animam occupare: unum dimittere, et plurimos possidere. Qui si non exierit de corpore, corpus hominis tantummodo possidet, anima autem vexati hominis innocens vadit ad Deum. Si autem de corpore exierit, quantos homines seducere potuerit, tantorum animas perdit. Deinde dic mihi, si soli servi Dei possunt daemonia ejicere, an etiam ministri diaboli? Et si dixeris, Soli servi Dei, quantum ad rem quidem verum dicis; quantum autem ad speciem et illi ejiciunt, sicut testatur Dominus in Evangelio. Nam cum dixisset, *Attendite vobis a falsis prophetis* (*Matth.* 7. 15): postmodum addidit, *Multi dicent mihi in illa die, Domine, nos in nomine tuo daemonia ejecimus, et virtutes multas fecimus. Tunc jurabo illis, quia nescio qui estis* (*Ibid. v.* 22. 23). Si ergo servi Dei tantummodo ejecerunt daemonia, juste seducebaris, ut quemcumque videris daemonia expellentem, existimes eum sanctum: nunc autem cum legas et ministros diaboli eadem facientes, qua ratione seduceris, ut quemcumque videris daemonia expellentem, existimes eum sanctum? Nam ejicere daemones commune est opus inter ministros Dei, et ministros diaboli: veritatem autem confiteri, et justitiam facere, privatum opus est tantummodo sanctorum. Ideo quem videris daemonia ejicientem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei. Si autem videris veritatem confitentem, et justitiam facientem, etsi daemonia non ejicit, homo Dei est. Ecce si tu et vicinus tuus habeatis simile signum unusquisque in equo suo, et perierunt ambo, et inventus fuerit unus ex eis, numquid curris, et dicis: Meus est equus, quia hoc signum habet? Dicit enim tibi vicinus: Et meus equus hoc signum habuit. Quid ergo? Necesse habes aliud signum privatum ostendere, quod vicinus tuus non habet in suo. Si ergo in cognoscendis animalibus sic sapis, quomodo in cognoscendis servis Dei sic non intelligis? sed per illud signum vis cognoscere servos Dei, quod habent et servi diaboli: cum magis deberes aspicere, quod habent soli servi Dei. Sed dices: Ut quid talem potestatem Deus diabolo dedit ad seductionem humanam? Si enim ille seductionis potestatem non accepisset, tu probationis mercedem habere non poteras. Nisi

Commented [p169]: Col.783

enim infideles relicti fuerunt, non eliguntur fideles. Nisi aliquorum facta fuerit refutatio, aliorum non potest fieri electio. Omnis enim seductio non potest esse seductio, nisi habuerit boni colorem, per quod videatur bonum esse quod malum est: et tunc non tantum speciem primam rerum bonarum aspicias, sed causam rerum consideres. Omne enim malum voluit Deus posse latere sub colore boni, et omne bonum voluit esse sub caligine obscuritatis, ut tu nec bonum sine labore invenias, nec malum sine labore evites: negligens autem nec bonum inveniat, nec malum evadat. Omnia Deus posuit in labore, ut in omni re mercedem praeparet, sicut ait Salomon: *Quoniam Deus distensionem magnam dedit hominibus, ut distendantur in ea* (*Eccle.* 3. 10). Et Job: *Omnis vita nostra tentatio est* (*Job* 7. 1). Aliud testimonium dat, quia non in Beelzebub ejicit daemonia. 27. *Si ergo*, inquit, *ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Filios eorum apostolos dicit, qui erant ex illis, quos superius misit ad praedicandum, dans illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos (*Matth.* 10. 8): qui credentes, dixerunt: *Domine, in nomine tuo etiam daemonia nobis subjecta sunt* (*Luc.* 10. 17). Id est, interrogate filios vestros, in quo ejiciunt daemonia. Si illi in nomine meo ejiciunt daemonia, dicentes, In nomine Jesu Christi praecipio tibi exire ab illo: verum est quia non ego in Beelzebub ejicio daemonia. Nam quia qui talis est homo, ut in Beelzebub ejiciat daemonia, nomen ejus non potest sic honorificatum esse, sic terribile, ut in nomine ejus etiam ab aliis daemonia expellantur. *Ideo ipsi judices vestri erunt.* Quando? *Cum sederint super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* 19. 28). Tunc sine dubio dicetis in judicio meo: Ideo tibi non credidimus daemonia expellenti, quia putavimus te in Beelzebub ejicere daemonia. Respondebunt contra vos filii vestri, et dicent: Si considerassetis nos, quia in illius nomine daemonia expellebamus; et intelligere poteratis, quia ille non habuit spiritum Beelzebub, in cujus nomine tanta erat virtutis potestas. 28. *Si autem in spiritu Dei ejicio daemonia, appropinquabit in vos regnum Dei. Regnum Dei*, seipsum dicit. Sed ideo quasi de altera re dicebat, quia infidelibus loquebatur, ne forte et alteram occasionem jactantiae invenientes in Christo, quem non cognoscebant, additamentum facerent blasphemiae. Hoc ergo videtur dicere: Si ego in spiritu Dei ejicio daemonia, regnum Dei appropinquat in vobis: si autem in spiritu Beelzebub ejicio daemonia, regnum Beelzebub appropinquat in vobis. Corrige sermonem, et manifestius declarabitur mysterium verbi Dei. Id est, si regnum Dei appropinquat, in Spiritu sancto ejiciuntur daemonia, et virtutes multae fiunt: quando autem appropinquat regnum Antichristi, in spiritu diaboli ejiciuntur daemonia, et virtutes multae fiunt. Illud ergo quod dixit Christus: *Si ego in spiritu Dei ejicio daemonia, appropinquat in vos regnum Dei*, ad consolationem illorum hominum pertinet, qui tunc fuerunt. Hoc autem quid significat, quod jactando regnum Antichristi appropinquat? In spiritu Antichristi ejiciuntur daemonia. Ad nostram admonitionem pertinet, ut sciamus quia sicut in adventu Christi ante illum prophetae, et cum illo apostoli in Spiritu sancto faciebant virtutes: sic et in adventu Antichristi pseudochristiani, et ante illum, et cum illo in spiritu maligno facient virtutes. Qualis enim res mota fuerit, talis odor procedit. Accenso enim thymiamate, suavis fragrantia exit: commoto autem stercore, putredo gravis prodit. Ante lucem aurora exit, ante noctem obscuritas. Quidam autem hoc sub alio intellectu interpretantur. Id est, Si ego, inquit, in spiritu Dei ejicio daemonia, sicut et est verum, vos autem dicitis me in spiritu Beelzebub ejicere daemonia, rei estis judicii. Propter quod appropinquat in vos regnum Dei justum, ut secundum blasphemias vestras judicemini. 29. *Quomodo potest quis intrare in domum ejus, qui fortis est, et vasa ejus*

Commented [p170]: Col.784

diripere, nisi prius alligaverit fortem? Hucusque ostendit quomodo intelligeretur, si vellent: quia non in spiritu Beelzebub, sed in spiritu Dei daemonia expellebat. Primum, quia satanas satanam non expellit, ne ipse sibi adversarius sit, destruens proprium regnum: sed Dei spiritus est, qui daemones expellit. Deinde, *Si ego in Beelzebub ejicio daemonia, filii vestri in quo ejiciunt?* Id est, Numquid non in me, aut in meo nomine? Si enim filii vestri in nomine meo expellunt, multo magis possum ego in nomine meo expellere. Et quod habet opus in spiritu Beelzebub, nunc dat rationem quare daemones expellantur, ut expulsis eis, omnes credant in Christum, id est, quia alligatus est a me malitiae princeps. Nec enim potest quis fortis vasa diripere, nisi prius alligaverit fortem. Quomodo enim poterant homines ad libertatem intellectus sui venire, et ad Deum converti, nisi prius alligatus fuisset, qui mentes hominum erroribus occupatas tenebat? Et hoc ergo intelligimus, quia quos ejiciebat daemones visibiliter, invisibiliter alligabat. Quomodo, aut ubi, nec hominis est posse exponere, nec intelligere. Sed non tantos visibiliter ejiciebat, quantos invisibiliter alligabat. Ejiciebat enim paucos, alligabat autem omnes, ut per paucos ejectos visibiliter ostenderet, quia sic omnes spiritus invisibiliter de sensibus hominum credentium expellebat, et quasi de magna multitudine ejectorum daemonum modicam probationem ostendebat in paucis. Et cum multos ejiciebat daemones, quomodo unum alligare se promittit? Sed dicit principem omnium, de cujus virtute omnes daemones valent, id est, potestatem habent. Nam sicut Satana dominante, omnes daemones erant fortes: sic eo alligato, omnes sunt impediti. Nam omnes de illius veneno malitiae virtutem accipiunt, et sunt unum in eo. Fortem autem dicit adversarium nostrum, quantum ad nostram infirmitatem, non quantum ad suam virtutem. Deinde fortem dicit, non ut nos terreat, sed ut magis nos faciat esse sollicitos (nec enim hostem debent timere fortem, qui habent principem fortiorem), sed ut vigilemus et laboremus, ut ne in fiducia principis fortioris contemnamus adversarium fortem. Nam si contendimus contra eum, manifestum est, quia fortiores illo sumus: si autem negligimus, ille fortior invenitur. Nam quamvis sit infirmus, tamen fortior est homine negligenti. Fortem enim diabolum nostra negligentia facit, non illius potentia. Vide deinde quomodo sapienter, postquam dixit fortem, postea ostendit ligatum, ut si te audita fortitudo terruerit, ligatio ejus nuntiata confortet. Jam quali opprobrio dignus est, magis autem tormento, qui adversarium suum ligatum non vincit? Vis scire quia ligatus est adversarius tuus? Considera naturam carnis et spiritus, et intelliges. Quomodo poteras, homo carnalis, spiritum vincere, nisi eum Dominus alligasset? Alligavit eum, ut nos eum conculcemus: illum humiliavit propter malitiam ejus, nos autem exaltavit super eum propter misericordiam suam: ut et ille victus amplius confundatur, quia spiritus constitutus, a carnalibus conculcatus est: et nos vincentes eum amplius glorificemur, quam victores: quia carnales constituti, spiritum vincimus. Ergo labor ejus et fortitudo ligatus est, nostra autem tantummodo sine labore victoria. Qui enim solutum ligare potuit, numquid non poterat, soluto eo, vasa ejus diripere? Poterat quidem, sed non per justitiam, sed per potestatem. Si enim per vocationem solam vellet vasa ejus diripere, solutus diabolus iterum reduceret ad se. Item si per potentiam diriperet, diceret adversus Christum diabolus: Si quidem ad virtutem, tu fortior es quam ego: si autem ad amorem, ego amabilior quam tu. Si ergo vis illos tollere, potes: si autem dimittis eos in suo arbitrio, potius me sequuntur quam te. Nam diabolus quidem facere justitiam non acquiescit, objicere autem scit. Quales sunt omnes, in quibus diabolus est. In servis enim Dei etiam leves arguunt culpas, in se autem nec crimina recognoscunt. Propterea ipsum quidem

Commented [p171]: Col.785

ligavit, vasa autem ejus et diripuit, et dimisit ea in domo ejus. Diripuit quidem, ex eo quod traxit ea ad notitiam veritatis: dimisit autem ea in mundo, quia sub seductione mundi istius esse nos voluit. Tamquam si ita dicat ad diabolum: Ecce alligo te, ut appareant homines, qui sequuti fuerint te sua voluntate, et qui coacte. Qui enim te diligunt, etiam ligatum te non dimittent: qui autem te dereliquerint ligatum, manifestum est quia non sua voluntate fuerunt apud te, sed coacte. Ergo non interficio te, neque expello de mundo, ne forte in voluntate non habeant quem sequantur, sed alligo te, ne nolentibus violentiam facias. Ergo manifestum est, quod qui modo diabolum sequitur, non cogitur a diabolo: ligatus est enim; sed ipse diligit diabolum. Si enim solutus esset diabolus, nullus homo ei resistere poterat, aut pauci; sicut nec antea restiterunt, nisi pauci electi. Nunc autem cum videas quosdam quidem homines sequentes eum, quosdam autem recendentes ab eo, intelligere debes, quia non est virtus cogentis diaboli, sed voluntas sequentium hominum. Si autem dicis, quia Fortis est diabolus, et non praevaleo contra eum: stat adversum te scriptura haec, dicit quia mentiris, quoniam ligatus est adverarius tuus. Ligatus est enim. Malum quidem consilium suadere potest, cogere autem non potest. Quae est domus illius? Mundus iste. Et vasa illius? Peccatores et infideles, habitantes in eo. Audiens ergo, mundum domum esse diaboli, fuge mundum, ne diutius habitans in domo diaboli, iterum fias servus ipsius. Sicut enim in domo Dei malum non est, ita in domo diaboli non invenitur bonum. Nam sicut Deus in domo sua non vult videre malum, sustinere autem videtur pro tempore malum, non quia delectatur in malo, sed ut convertat eum ad bonum: sic et diabolus in domo sua non vult videre bonum, sustinere vero videtur bonum, non quia delectatur in bono, sed ut suadeat eum in malum. Et Deus quidem per suam benevolentiam vocat malum ad bonum, ut non necessitate, sed voluntate corrigatur ad bonum. Diabolus autem per suam violentiam persequitur bonum, ut etsi non voluntate, vel ex necessitate cogatur ad malum. Fuge autem mundum, conversatione, non corpore. Nam et ipse mundus non natura diaboli est, sed corruptione. Nec ab initio fecit hunc mundum diabolus, sed Deus: postea corruptione factus est diaboli.

Mundus Dei, et mundus diaboli. – Ergo mundus quidem ipse Dei est: corruptio autem mundi diaboli est. Si ergo de mala conversatione recesseris, etsi corpore sis in mundo, recessisse videris de mundo diaboli, et esse in mundo. Nunc quod vivimus, in Dei mundo vivimus: quod autem peccamus, in diaboli mundo peccamus. Fuge ergo de mundo, id est, de voluptatibus mundi, ne forte diutius vivens in possessione operum ejus, fias proprius servus ipsius. Sicut ingenuus homo si diutius in possessione vel domo potentis alicujus et violenti fuerit commoratus, per possessionem longi temporis usu capit eum in servitute: sic et homo si diutius fuerit in possessione diaboli, usu longi temporis vindicat sibi dominium super eum, ita ut nemo se possit a dominatione diaboli liberare, nisi sola potentia Dei. 30. *Qui non est mecum, adversum me est.* Diaboli voluntas quae est? Rerum malarum. Mea autem quae est? Rerum bonarum. Vide ergo, quia cum non sim cum diabolo, adversus diabolum sum. Sicut enim bonum non est cum malo, sed semper adversus malum: sic non sunt secum, sed adversus se, quibus et voluntas contraria est, et opus. Ille praedicat fornicationem, ego castitatem. Et ideo repellit ille castos, et congregat lascivos: ego autem repello lascivos, et congrego castos; ille docet discordiam, ego pacem; ille seditionarios congregat et turbatos, ego autem unanimes et mansuetos. Vide ergo quia non congrego cum illo, sed dispergo. Minus dicit, ut amplius significet. Si enim qui mecum non est, adversum me est: quanto magis qui adversum me

Commented [p172]: Col.786

est, mecum non est? Mecum non est, quia non facit ea quae ego. Adversum me est, quia contraria facit. Utputa, aedifico; si quis non adjuvat, etiamsi non destruat, mecum non est, sed adversus me: quia cum possit adjuvare, non adjuvat. Si haec specialiter destruit, quanto magis adversum me est? Sic et diabolo mala volente, vel faciente, etsi bona non praedicarem, non eram cum illo, quia non praedico mala, quae vult ille. Cum autem e contrario bona praedicem, quanto magis non sum cum illo, sed adversus illum? Audiant regulam Christiani, qui putant haereticos Christianos esse, quia sic credunt, quomodo nos: tamen quia non sunt nobiscum, adversus nos sunt. Et quia non congregant nobiscum, spargunt. Si ergo quia non sunt nobiscum, adversum nos sunt, et quia non congregant nobiscum, spargere videntur: quanto magis qui et voluntate, et verbis, et actibus contra nos sunt, non sunt nobiscum? Et qui manifeste spargunt, non videntur congregare nobiscum.

Commented [p173]: Col.787

Homilia xxx. ex capite xij. (col.787-91)

38. *In illo tempore, accesserunt ad Jesum scribae et Pharisaei, dicentes: Magister, volumus a te signum videre*, et reliqua. Curato daemoniaco, quidam adstantium Judaeorum blasphemaverunt eum, dicentes: *Hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum.* Alii autem tentantes eum, dixerunt: *Magister, volumus a te signum videre de caelo.* Diversae quidem species, perversitas autem omnium una. Nam sicut opera Filii Dei diabolo applicare blasphemare est Filium Dei, vel Spiritum sanctum: sic signum divinitatis ejus petere a Filio Dei, injuriam est facere Filio Dei: quoniam nihil est aliud signum divinitatis ejus petere ab eo, nisi non credere verbis ejus, quasi falsa dicentis de se, nisi signorum ostenderit probamenta. Quoniam autem curato daemoniaco, Judaei Dei virtutem ad diaboli potentiam non porrexerunt, et non aedificati miraculo, sed destructi invidia, pro gloria blasphemiam obtulerunt Domino, dicentes: *Hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub*: dixit eis Dominus: 51. *Omne peccatum remittitur, spiritus autem blasphemiae non remittitur.* Quod audientes quidam Judaei, non quidem timentes, sed timere se fingentes, neque veritatem de Christo quaerentes, sed malitiam suam sub colore ignorantiae abscondere cupientes, interrogaverunt eum: *Magister, volumus a te signum videre*, id est, Quia blasphemia irremediabile peccatum est: sed etsi blasphemamus, ideo blasphemamus, quia te Filium Dei ignoramus. Ideo opera tua diabolo applicamus, quia Spiritum sanctum in te esse nescimus. Si ergo tu es Filius Dei, ostende nobis signum, et adorabimus te, et jam non blasphemabimus. Ut scias, quod volumus a te discere veritatem, ecce etiam magistrum te appellamus. O malitia! quomodo sapere nescit? Dum volunt malitiam suam abscondere, magis eam manifestant. Nam cum multa signa vidissent, tamquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Vere enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente numquam viderunt. Similis est natura infidelitatis terrae arenosae, quae quamvis pluviam susceperit, tamen quia nullos in se tenet humores, semper adhuc aret. Talis est conditio febrium. Quantumvis biberint febricitantes, calore totum consummante quod biberint, semper adhuc sitiunt. Sic et maligni homines, quicquid boni viderint, aut audierint, infidelitate totum consummante quod vident, aut audiunt, semper vacui sunt, tamquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce si quis exponat tibi res, quas non libenter audis, si tota die audieris, nihil eorum retines, quae audisti. Aut ambulans in via, si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata,

quamvis omnes videas transeuntes, tamen neminem vides. Sic et Judaei frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant. Nam sicut semper discere, signum est nihil posse proficere: sic signum semper petere, testimonium est numquam velle credere. 39. *Jesus autem respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit.* Isaias dicit: *O quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion* (*Isai.* 1. 21)! Anima autem hominis fidelis, sponsa est Christi: quae autem infidelis est, meretrix est. In Osee dicit: *Sponsabo te in fide, et cognosces Deum* (*Osee* 2. 20). Item, *Filii, in quibus non est fides in illis, ipsi in zelum compulerunt me in non Deum, et ego in zelum expellam eos in non gentem.* Sicut meretrix uxor virum suum se fingit amare, vere autem amat adulterum, et in facie istius quidem est, in corde autem alterius: sic et Judaei videbantur esse Dei cultores, erant autem diaboli amatores. Ideo malam et adulteram generationem eos appellat. Mala quidem erat, propter opera eorum mala: adultera autem, quia relicto viro, qui est verus Deus, idolis subdebantur. Signum vultis videre? Ubi eratis quando daemones castigati a me, non flagello, sed verbo, clamabant: *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? Venisti ante tempus torquere nos? Scimus te quia es Filius Dei* (*Matth.* 8. 29). Daemones virtutem meam senserunt, et vos quomodo signum operum meorum non aspexistis? Ubi eratis quando caeci secus viam sedentes clamabant, *Jesu, fili David, miserere nobis* (*Infra*, 20. 30), ut videamus? Tu es virga florens de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendens, et super te requiescent septem spiritus Dei (*Isai.* 11. 1. 2). Septem spiritus Beelzebub adorant, et fugiunt a te. Caeci me non videntes, viderunt, et vos videntes me, non vidistis? Percurre, si vis, et caetera mirabilia ejus. *Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae*. Quod est signum Jonae? Scandalum crucis. Ut non discussores rationis salventur, sed creditores doctrinae. Quia crux Christi discutientibus quidem rationem, scandalum est, credentibus autem salus: cujus expositionis testis est Paulus: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judaeis, atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (1. *Cor.* 1. 23. 24). Quare Judaei signa petunt. Graeci sapientiam quaerunt? Placuit enim Deo signum scandali crucis tam Judaeis, quam Graecis gentibus praedicari, ut qui non per fidem, sed per sapientiam Christum invenire volunt, incidentes in scandalum stultitiae pereant, et qui per demonstrationem signorum Filium Dei cognoscere volunt, non per fidem, incidentes in scandalum mortis ejus, in sua incredulitate permaneant. Nihil mirum, si Judaei considerantes mortem Christi, hominem illum putaverunt, quando et Christiani, ut sibi videntur, et non sunt, propter ejus mortem, unigenitam majestatem, crucifixam timent confiteri. Quos interrogamus, ubi est scandalum crucis in Christo? quis non scandalizat, si purus homo mortuus praedicetur? Sic ergo infideles intelligendo pereunt, si Deus fuit, non potuit mori: si autem potuit mori, non fuit Deus. Fideles autem sic intelligendo salvantur, quia Christus non incidit in mortem propter infirmitatem naturae, qua homo, sed ipse traxit in se mortem propter potentiam, quasi Deus: ut non absorbeatur a morte, sed ut ispe absorberet mortem. Ergo non Christum mortuum in cruce credimus, sed mortem mortuam in Christo, sicut scriptum est, quia *Destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam* (2. *Tim.* 1. 10). Nam sicut propter mortem homo visus est, sic propter destructionem mortis Deus apparuit. Ergo infideles mortem Christi considerantes, scandalizantur, immortalitatis beneficium perdunt: fideles autem ressurectionem ejus intelligentes damnationem mortis effugiunt. 40. *Sicut fuit Jonas triduo in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terrae* (*Jon.* 2). Ut per mysterium similitudinis hujus, et per Christum Jonas propheta fuisse

Commented [p174]: Col.788

considerarentur, et per Jonam Christus Dei Filius esse demonstraretur. Quid est, quod dico? Nisi Christus venisset in mundum, et ea, quae dicta a prophetis fuerant, adimplesset, non erat certum de illis, quia vere prophetae sunt. Nam et illi qui futura dicere aestimantur, non statim divinatores putantur, sed tunc quando ea, quae dicta sunt, fuerint consummata. Itaque Christus post prophetas quidem natus est, sed ante ille prophetis beneficium praestitit, et postea ille ab illis accepit. Ideo autem Christus illos factis prophetas ostendit, quoniam illi istum in verbis Filium Dei ostendunt. Nam in Sirach libro adventum Christi sic deprecatur: *Domine, in nomine tuo prophetae prophetaverunt. Da mercedem servis tuis, ut prophetae tui fideles inveniantur* (*Eccli*. 36. 17. 18). Nisi enim iste illos prophetas demonstrasset, Christum credere non poterant. Quomodo enim potest de alio testimonium dare, priusquam ipse idoneus demonstraretur? 41. *Viri Ninivitae surgent in judicio*. Quia illi prophetam receperunt, isti Christum Dominum illorum prophetarum repulerunt. Illi neque lege instructi, neque a prophetis, neque ab apostolis admoniti, ad Dominum conversi sunt, cognoscentes peccatum suum: isti tot praeceptis eruditi legis et prophetarum, a Domino recesserunt. Illi, qui semper fuerunt populus diaboli, intra dies tres facti sunt populus Dei: isti, qui semper videbantur populus Dei, intra dies tres, crucifixo Christo, facti sunt populus satanae. Et illi quidem personam ignorantes, et rem incredibilem audientes, et conversionis suae signa et virtutes quaerere debuerunt ab eo, quibus et persona idonea praedicantis et praedicationis indubitabilis veritas monstraretur: sed nihil horum audientes, nihil videntes, sola fide salvati sunt: isti autem tot signa facientem testificantia caelestem naturam viderunt, et non solum a praedicatione ejus recesserunt, sed in mortem illius conversi sunt. Illi cum luctu et lamentatione nimia poenitentiam agentes, peccatorum suorum indulgentiam acceperunt: isti autem nec sine poenitentia oblatam sibi remissionem peccatorum accipere voluerunt quia sine poenitentia sunt donationes, et vocatio Christi. 42. *Regina Austri surget in judicio, et condemnabit generationem hanc.* Quae cum esset gentilis et mulier, tantam longitudinem itineris conficere propter infirmitatem sexus non est impedita. Concupiscentia enim sapientiae, infirmitati dabat virtutem. Isti autem viri et sacerdotes, quorum proprium esse debuerat amare sapientiam, ante oculos suos et in medio gremio sapientiam positam contempserunt. Illa ad hominem cucurrit, isti a Deo recesserunt. Illa ut semel nuda verba audiret, isti quotidie divinitatis opera ipsa videntes, blasphemabant. Illa famam tantummodo de Salomone audiens concupivit, isti autem veritatem de Christo videntes, abierunt. Illa munera multa obtulit, ut audiret eum: isti autem nec praemia regni caelorum accipere volunt, ut credant. Quid esset illa factura, si audisset mortuos resurgere, caecos videre? quomodo cucurrisset, si etiam claudos currere vidisset? Non dixit illa, Cui commendo gubernationem regalium necessitatum, ne forte, dum vado, et redeo tanto spatio, aliqua contra imperium meum adversa nascantur? Nam paupertas semper secura est, summa autem potestas sine timore periculi numquam est. Isti nec hoc cogitaverunt, quia dixerunt: Nescimus quidem unde sit ille Jesus (*Joan*. 9. 29); tamen facta illius bona sunt, et verba illius justa. Etsi natura ejus ex hominibus, tamen praedicatio ejus ex Deo est. Etsi non illum timemus quasi Filium Dei, saltem diligamus illum ut hominem bonum. Etsi non est dignus ut adoretur, tamen non est meritus ut interficiatur. Sive Ninivitae, sive regina Austri, exsurgentes in judicio, quomodo condemnabunt generationem Judaeorum incredulorum? Non ipsi judicantes eos, sed ex comprobatione sua vincunt eos: et talia dicentes adversus eos, qualia diximus supra: Quis fidelior est quam Jonas, sapientior quam Salomon? Non solum tunc inter homines

Commented [p175]: Col.789

docebat, sed etiam nunc in ecclesia quotidie docet per sanctos evangelistas et apostolos suos. Haec verba non solum tunc ad Judaeos dixit, sed etiam nunc ad omnes Christianos inobedientes similiter dicit. Quomodo viri Ninivitae exsurgent in judicio cum inobedientibus Christianis, et condemnabunt eos? Quoniam illi poenitentiam egerunt, praedicante Jona, isti a peccatis propriis non recedunt, Domino illis quotidie praedicante: *Agite poenitentiam, appropinquabit regnum caelorum* (*Matth.* 4. 17). *Regina Austri surget in judicio*, cum Christianis istis, et condemnabit eos, quia ab ultimis partibus terrae venit audire sapientiam Salomonis: et isti de domibus suis vel plateis, in quibus sedent nihil agentes, nolunt venire, et audire sapientiam Christi in Scripturis. Et quid dico, de domibus suis nolunt venire? Multi enim et de ecclesia ipsa, in qua loquitur Christus, exeunt, et solum relinquunt docentem. 43. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat loca arida, quaerens requiem, et non invenit.* Exit autem spiritus immundus ab homine, cum per fidem baptizatus in nomine Christi, desierit esse diaboli, et factus fuerit Dei. Eiectus autem spiritus ille perambulabat homines aridos, qui nondum pluviam evangelicae doctrinae susceperunt in se, aut aquam baptismatis accipere meruerunt, et propterea aut sunt gentiles, aut catechumeni, secundum rationem, quam diximus, aridi. Per eos enim immundi spiritus vagantur, et plurimam dominationem habent in eis. Quamvis enim gentilis suscepto fidei verbo, liberari tamen ab immundo spiritu non potest, nisi fuerit baptizatus in nomine Christi. Unde exorcizamus catechumenos, qui sunt baptizandi. Non autem invenit requiem sibi, quoniam necesse est, ut gentili veniente ad fidem, et catechumeno ad baptismum, cum aridi esse desierint, jam ab ipsis immundus ipse spiritus expellatur. Nec mihi dicas, quia nec omnis catechumenus ad baptismum, alioquin nec ad omnem baptizatum et liberatum a spiritu immundo revertitur spiritus immundus, nisi qui vacuus fuerit a Spiritu sancto. Nec apud gentilem catechumenum invenit requiem sibi, quia ad fidem vel baptismum venit. Cogitans ergo spiritus ille, et dicens: 44. *Revertar in domum meam priorem.* Et si invenerit gentilem catechumenum vacuum a Spiritu sancto, sine dubio praevalebit reverti in eum. Revertens autem, quoniam invenit scopis, id est, verbis fidei et veritatis, ab infidelitate et ignorantia mundatum: cum videt eum praeceptis evangelicis adornatum, quasi animosior factus, 45. *Assumit secum alios septem spiritus nequiores se.* Dicens, *Septem*, aut plures dicit, aut omnes spiritus vitiorum. Sicut enim ex parte Dei, quamvis plures sint spiritus virtutum, tamen septem dicuntur, quia ex illis septem omnes spiritus virtutum procedunt: quos spiritus enumerat Isaias (*Cap.* 11. *v.* 2. 3), et Salomon signat, dicens: *Sapientia aedificavit sibi domum, et subdidit columnas septem* (*Prov.* 9. 1). Sic ex parte diaboli, quamvis multi sint spiritus vitiorum, tamen septem dicuntur, quoniam ex illis principalibus vitiis vitia universa nascuntur. *Et erunt novissima hominis illius pejora prioribus.* De hoc enim ipso vel ipsarum rerum experimenta nos docent: quomodo Christianus, si malus evaserit, pejor sit, quam si fuisset gentilis. Haec parabola melius intelligitur de Judaeis et gentilibus: ex eo enim quod, finita parabola, vel exemplo, sequitur dicens, *Sic erit generationi huic pessimae*: compellitur ad populum Judaeorum referre parabolam, ut intellectus loci non vagus, aut instabilis, in diverso flexu, atque contradictionibus aliquorum turbetur, sed firmus et stabilis, vel ad priora, vel ad posteriora respondeat. Vere enim immundus spiritus a Judaeis exivit, quoniam facta est *Portio Domini populus ipsius Jacob, funiculus hereditatis ejus Israel* (*Deut.* 32. 9): vel quoniam acceperunt legem. Expulsus autem a Judaeis, ambulavit per aridas gentes, sed requiem sibi non potuit invenire in eis: quoniam secundum propositum vocationis Dei erat, ut omnes gentes venirent ad fidem. Non

Commented [p176]: Col.790

inveniens autem requiem in gentibus, dixit: *Revertar in domum meam unde exivi.* Habeo Judaeos, quos ante dimiseram. *Et veniens invenit vacuam,* quoniam jam Dominus non erat in eis, sed nec spiritus, secundum quod dictum fuerat de eis: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Luc.* 13. 35). Videns autem eos diabolus mundatos verbis scientiae Dei ab ignorantia, quasi quibusdam spiritualibus scopis, ornatos autem observationibus legis: propterea assumens secum septem spiritus nequiores se, secundum quod supra tradidimus, habitavit in eis. Et facta sunt posteriora populi illius pejora prioribus. Nam si prius, esti cultores Dei non erant, tamen nec interfectores erant: et prius quamvis peccabant in eum, tamen populus dicebatur Dei: postea autem, sicut testatur Joannes, synagoga facti sunt satanae (*Apoc.* 2. 9). Accedentes autem possumus aedificationis gratia etiam ad haereticos transferre sermonem. Immundus enim spiritus, qui in eis ante habitaverat, quando gentiles erant, ejectus est, quando facti sunt Christiani: qui perambulans gentiles caeteros, et non inveniens apud eos requiem, credentibus videlicet secundum tempora etiam ex ipsis in Christo, reversus est in eos, quos possederat ante. Inveniens autem eos vacuos a Spiritu sancto, vacuos a timore Dei, et operibus bonis (quoniam spiritus quidem immundus exierat ab eis propter nomen Christi, Spiritus autem sanctus non supervenerat eis, propter malum propositum cordis eorum, et opera mala), inveniens eos mundatos scopis, qualibus diximus supra, et ornatos institutionibus apostolicis: assumpsit secum alios septem spiritus nequiores, et inhabitavit in eis, et facta sunt novissima haereticorum pejora prioribus. Haereticos gentibus esse pejores dubitat nemo. Primum, quia gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, haeretici autem scientes Christi laniant veritatem. Deinde quia in illis vel spes fidei est, in istis autem incessabilis pugna et discordia. 46. *Adhuc eo loquente, ecce mater et frater ejus,* etc. Videns diabolus, quia persuadebat populis Christus, esse se Filium Dei, dicens: *Et ecce plus quam Jonas hic, et plus quam Salomon hic* (*Luc.* 11. 32. 31): timuit enim, ne si Dei Filius cognoscatur ille, qui putabatur homo, ipse derelinquatur ab omnibus. Ad convincendos sermones ejus subintroduxit parentes ejus carnales, ut per illorum contemplationem, divinitatis ejus obscuraret naturam. Ideoque venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens? 47. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, volentes loqui tecum.* Ac si dicat: Quid gloriaris, Jesu, de caelo dicens descendisse, qui radices habes in terra? *Ecce mater tua, et fratres tui.* Non potest esse Filius Dei, quem homines genuerunt. Non potes illum abscondere, quem natura convincit. Tunc Jesus quasi hominem quidem aspiciebat, tamen vere diabolus loquebatur. 48. *Et quis est mater mea, et fratres mei?* Nescio parentes in mundo, qui ante mundi constitutionem mundum creavi. Nescio principium ex carne (sicut Photinus existimabat), qui jam in principio eram apud Deum. Nam quod hominem me videtis, vestimentum meum est, non natura. 49. *Et extendens* caute *manus suas super apostolos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei.* Non spernens generationem carnalem, neque erubescens humanam susceptionem, tale dedit responsum: sed volens ostendere, quia praeponenda est cognatio spiritualis carnali. Nam carnalis cognatio, non volentibus nobis, neque scientibus, contingit. Non enim unusquisque vestrum consuetus est cogitare quorum erit filius, aut quorum cognatus: spiritualem autem cognationem ex proposito unusquisque per fidem sibi acquirit. Voluntaria enim est obauditio, per quam quicumque voluerit voluntatem Patris facere, efficitur filius Dei, et frater Christi. Unde sapienter superinduxit: 50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille mater mea et frater est.* In qua cognatione spirituali nihilominus est haec Maria, quae non per coitum carnis, sed per

Commented [p177]: Col.791

gratiam fidei credendo facta est mater Christi. Deinde matrem et fratres Christi, facientes voluntatem Dei intelligimus non synagogam, quae secundum corpus peperit Christum, caeterosque Judaeos: sed illam synagogam intelligimus matrem, quae salvata est credens in Christum, non crucifigens eum. Similiter est intelligendum et de fratribus, qui secundum spiritum erant Judaei, non secundum corpus, qui Christi erant facientes voluntatem.

Homilia xxxj. ex capite xiij. (col.791-8)

3. *Ecce exiit qui seminat, seminare: et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres, et comederunt ea*, etc. Sicut gaudet medicus, quando ad eum aegrotantium multitudo prosequitur; sicut laetatur rex, quando cum magni exercitus manus armata circumdat: sic exsultat sacerdos, quando eum audientium populus magnus auscultat. Et ideo ascendit in navem, ut audieret eum populus, et videret, et visus delectaret auditum, et auditus visum. Et docebat in parabolis, dicens, *Exiit seminator seminare*, non de loco ad locum transmutans, sed voluntate. Nec enim venit, ubi non erat, nec relinquit, unde egressus est: quia Deus ubique est, praeter ubi esse noluerit. Aut certe ideo exivit, quia ibi est Deus, ubi justitia ejus colitur: ubi autem justitia ejus non est, nec ipse est ibi. Et qui intra justitiam suam sunt, intus sunt: qui autem extra justitiam ejus sunt, foris habentur. Propterea quamdiu fuit in caelis, ubi omnes sunt justi, intus erat: veniens autem in mundum, qui totus extra justitiam erat Dei, foras exivit, ut ipsum faceret intus. Quoniam ergo omnes gentes, Dei justitiam contemnentes, degebant sub potestate diaboli: ideo exivit, ut plantaret justitiam in mundo, ubi non erat prius propter peccata ipsorum. *Exiit qui seminat, seminare.* Non sufficit ei dicere, Seminare exivit: sed addidit, *Exiit qui seminat, seminare*: ut ostenderet, quia non erat novus seminator, nec modo ad hoc opus primum accesserat: sed hoc semper habuit in natura, ut semper seminaret. Ipse enim a principio generis humani totius scientiae semina ipsa seminavit in natura. Ipse est, qui per Mosem semina praeceptorum legis seminavit in populo. Ipse est, qui loquens in prophetis, non solum praesentium seminavit correctiones, sed etiam notitiam futurorum. Ipse exivit, ut in corpore constitutus, et per seipsum diviniora seminaret praecepta. 4. *Et quaedam ceciderunt secus viam.* Quae est via? Mundus iste, per quem omnes transeunt, qui nascuntur: via enim, et peregrinatio, et transitus est omnibus, qui et a Deo exierunt, et ad Deum festinant. Unde et propheta dicebat: Quoniam *incola sum apud te in terra, et peregrinus, sicut patres mei* (*Psal*. 38. 13). Sicut ergo viator in via nihil sollicitus est, nisi quod necessarium habet ad usum: ita et homo in hoc transitu mundi nihil debet esse sollicitus, nisi quod opus habet ad usum. Qui autem suam spem ponit in mundo, et delectatur in eo, est similis homini desperato, qui non habet neque patriam, neque domum, neque familiam, ad quam festinet: sed in quocumque loco inventus fuerit, ipse locus domus ejus est. Quae est ergo terra secus viam? Homo secundum istum mundum vivens, qui omnia ea sapit quae mundi sunt, et nihil quod Dei est: sed hoc solum diebus ac noctibus cogitat, hoc concupiscit, quod pertinent ad bene manducandum et bibendum, et spurcitiam corporis exercendam. Ex his enim omnia mala nascuntur. Propter cibum enim et potum avaritiae fiunt, furta, violentiae, perjuria: ex avaritia autem invidiae et contentiones: ex invidia autem maliloquia et detractiones, inimicitiae et imposturae: ex inimicitiis manifesta ira, rixae, caedes, homicidia, judicia: ex libidine autem

Commented [p178]: Col.792

fornicationes, adulteria, masculorum concubitus, feminarum invasiones. Talibus si loqui volueris de spiritualibus rebus, non intelligunt verbum, nec sentiunt verbi dulcedinem. Nec enim est possibile, ut inter tantas amaritudines vitiorum sentiatur dulcedo sermonum. Sicut qui in magno vase aceti modicam guttam mellis immisceat, etiam mel perdit, et acerbitas aceti non mutatur: sic homini in hac malorum multitudine constituto si colloquutus fueris justitiae verbum, et verbum perdis, et ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum. Nec enim habet bonum in se. Nam homo illud concupiscit, quod jam habet exceptum in se, et scit esse bonum. Ecce si ostendis leoni viridem herbam, aut campum bene florentem, non excitat eum in concupiscentia, quia non habet hoc in natura, ut herbas manducet: et e contra si ostendas bovi carnes, non concupiscit, quia non est bovis natura, ut manducet carnem: sic et homini mundiali, si de bono caelesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni. Sed quemadmodum si pluvia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum: sic et tali homini quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures ejus carnales, in cor autem ejus nihil descendit. Et merito: jacentia super lapidem semina verbi rapiunt volatiles daemones. Dic mihi, cujus culpa est, rapientium daemonum semina, aut hominum durorum non abscondentium ea in sulcis pectoris sui? Puto non esse culpam rapientium daemonum. Ille enim latro, qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur: qui autem invenit foris impositum et projectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic et diabolus, si poterat introire in secreta pectoris tui, ut a te nolente raperet verbum, bene culparetur: nunc autem quod a te neglectum est, et contemptum, hoc ille diripit. Denique sciens propheta hominum abscondentium esse culpam, dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi* (*Psal.* 118. 11). Si ergo absconderis verbum in sulco pectoris tui, germinat tibi timorem; timor liberat te a peccato. Si autem foris eum in superficie carnalium aurium dimiseris, quomodo timor tibi germinatur? Si autem timor in te natus non fuerit, quomodo salvus fies, cum sit scriptum: *Timor Domini expellit peccatum* (*Eccli.* 1. 27)? Qui autem sine timore est, non potest justificiari. 5. *Quaedam autem ceciderunt super petrosam.* Petra autem in se duas habet proprietates naturae, fortitudinis et duritiae. Ideo homines aut propter constantiam fidei petra dicuntur, aut propter duritiam cordis. Ideo propheta dicit; *Et auferam ab illis cor lapideum* (*Ezech.* 36. 26). Quid ergo terra? Intellectus carnalis, et non rationabilis super animam duram et fidelem. Nam intellectum bonum multi habent secundum naturam, animam autem fidelem non multi; quia intellectus hominis est ex Deo, anima autem fidelis ex voluntate. Sunt ergo homines, quibus si loquutus fueris de gloria sanctorum, et de beatitudine gloriae regni caelestis, statim gaudent, et audientes delectantur, quoniam sapientes secundum naturam etiam facile suscipiunt verbum; sed ne credas gaudio eorum: carnaliter enim gaudent, et carnaliter delectantur. Sciunt enim naturaliter, quia bonum est regnum, vel lumen. Ideo cum audierint lumen sanctorum, quasi de lumine gaudent. Sciunt etiam naturaliter, quia bonum est regnum caeleste, quasi de audito regno laetantur: et non ideo credunt, quia sic est quomodo laetantur, anima autem eorum non credit. Sed dicis, Quomodo gaudere poterant, nisi crederent? Hoc ipso enim quod gaudent, credunt; ideo credunt. Non est ita: omnis enim, qui credit, verum est, quod gaudet; non tamen omnis, qui gaudet, credit. Nam quod gaudet in nobis, sensus est rationabilis: quod autem credit, spiritus animae, qui non in gaudio, sed in sollicitudine et compunctione cordis cognoscitur. Quoniam non omnis, qui gaudet, et credit, tuo te docebo exemplo. Ecce cum tibi exposuero de gloria

Commented [p179]: Col.793

sanctorum, de jucunditate paradisi, gaudes et exsultas, si tamen non habes etiam carnalem intellectum jam captum et induratum in malis, et quasi terra secus viam. Sed si dixero tibi: Vide qualis est jucunditas sanctorum: ergo vende omnia tua quae habes, et da pauperibus, et haec omnia possidebis (*Marc.* 10. 21. *et. Luc.* 18. 22). Ecce non facis, sed tristis recedis, sicut adolescens ille a Christo: non ergo credidisti firmiter de quibus gaudebas. Ecce cuncti homines quanta pondera auri dant, ut comparent dignitatem, et cum gaudio magno dant, et sine dubitatione dant, ut comparent, et multum sibi quaestum putant, si invenerint cui dant, et putant se jam invenisse cui dederunt. Et amplius dico, si suam pecuniam non habuerint, aliunde mutuum tollunt, et cum gaudio dant. Quare? Quia credunt omnino dupliciter se inventuros esse quod dederunt. Et si vere credis futura quae audis, quare non dabas simplum in terra, ut centuplum invenires in caelo? quomodo non dabas temporalia, ut invenires aeterna? Si dixero tibi, Abstine te a deliciis, et jejuna: non facis, quia non credis. Si taedianti, id est, aegrotanti tibi medicus dixerit, Abstine te ab hoc, subaudis: quia credis te sanandum, si servaveris: et frequenter illud amplius amas, quod amarum, manducansque uteris, et vincis desiderium ventris ob desiderium sanitatis; multo magis jejunare poteris, si credideris jucunditatem illam futuram. Tu ergo, qui propter Deum quomodocumque vivere contentus non es, si evenerit res, de qua jucunde vivere non poteris: quomodo propter Deum poteris corporales sustinere dolores? qui nec eleemosynas de rebus tuis dare contentus es, quomodo amissionem substantiae tuae propter fidem poteris sustinere? Ideo facta tribulatione aut persequutione propter verbum Dei, scandalizaris. Nam non solum in persequutionis tribulatione prorsus tu scandalizatus es in Christo, sed etiam in tribulatione omnium adversitatum. Utputa, si tibi amissio carorum, aut damnum rerum, aut corporalis infirmitas contigit, statim scandalizaris, et dicis, quod propheta ad tuam consolationem dixit, ut et nec tu scandalizatus sic dicas: *Ecce ipsi peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt sibi divitias: et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas* (*Psal.* 72. 12. 13), quoniam cum meliora suscipere debui, tunc contigerunt pejora. Ille et ille in omnibus iniquitatibus volvitur, et floret in filiis, et abundat in rebus, et laetatur in sanitate. Et qualis est justitia Dei? Et non consideras, quod qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur: et cui tentatio imponitur, correctio ostenditur ei. Si videris aut mortaliatem frequenter fieri super terram, aut famem, aut gladium, statim scandalizaris, et dicis: Patres nostri idola coluerunt, et semper in bonis fuerunt, et nos ex quo Christum colere coepimus, numquam nos bona sequuntur. Et non consideras, quia illorum prosperitas non fuit remuneratio Dei, sed contemptio. At nostra adversitas non est ira Dei, sed admonitio. De illis enim dictum est: *Vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelligit, cum exurentur peccatores sicut foenum.* Et quid addidit? *Ut intereant in saeculum saeculi* (*Psal.* 91. 7. 8). De suis autem quid dicit? *Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam vero meam non dispergam ab eis* (*Psal.* 88. 33. 34). Si videris aliquem tumultum Ecclesiae tuae, statim scandalizatus dicis: Ne forte non sit haec vera Ecclesia apud haereticos, sed illic sit veritas, ubi floret potestas. Et non intelligis, quod a Deo diligitur, hoc a diabolo expugnatur: quod autem a Deo contemnitur, hoc a diabolo quasi proprium in pace custoditur. Judaea quamdiu fuit Dei hereditas, nec diabolus cessabat eam expugnare suadendo ad idola, nec Deus cessabat eam castigando et revocando ab idolis custodire: postquam contempta est, quasi pars diaboli facta manet in requie. Quoniam ergo multi non solum propter persequutiones, sed etiam extra persequutiones, scandalizantur de verbo: ideo supra non solum dixit, *Facta autem persequutione*: sed

Commented [p180]: Col.794

etiam, *In tribulatione*. 7. *Alia ceciderunt in spinas*. Primum dicam, quomodo colitur, ut bene intelligatur, quomodo a vicinis suffocatur seminatum in te verbum. Colis, assidue audiendo Scripturas, et traditiones doctorum. Per hoc enim confirmatur in te verbum Dei, et crescit, et satisfacit tibi, quia ita est per omnia, quemadmodum credis.

Verbi Dei duplex fructus. – Fructus autem verbi Dei est duplex, in operibus bonis, et in confessione fidei. Sed fructus boni operis gratiosior est apud Deum in pace, quam in persequutione: fructus autem confessionis in persequutione gratiosior est, quam in pace: quia in persequutione nemo te discutit, quomodo vivis, sed quomodo credis. Item in pace non est labor bene credere, sed bene vivere: quia pax ipsa corruptrix est pietatis. Vide jam, quod sollicitudo divitiarum frequentare te ecclesiam non permittit, ut audias Scripturas et traditiones doctorum, ut nutriatur verbum quod accepisti. Etsi venis in corpore, non venis in mente. Etsi audis auribus, non audis in corde. Totus autem animus tuus in illis est, de quibus sollicitus es. Opera bona cupiditas divitiarum te facere non sinit. Quomodo autem sinat te tua foenerare, quae compellit te aliena colligere? Item si verbum Dei venerit in periculum, tu propter voluptatem divitiarum, aut quia times perdere quae habes, aut quae non habes concupiscis acquirere, veritatem fidei tuae palam non confiteris. Vides quomodo sollicitudo et voluptas divitiarum suffocant verbum, et fructificare non sinunt? 8. *Quaedam super terram bonam.* Terra autem bona sunt qui abstinent se a divitiis malis, et secundum vires suas faciunt bona, et est fructus eorum trigesimus. Si autem omnia bona sua contemnant, et accedant ad serviendum Deo, habent sexagesimum. Si autem et infirmitas corporis eis contigerit, et fideliter sustinuerint, habent centesimum, et terra bona est. Nam et Job ante tentationem trigesimum habuit in facultatibus suis juste vivendo: post damna substantiae et filiorum, sexagesimum: post plagam autem corporis, centesimum fecit. Qui centesimum habet, in se sexagesimum et trigesimum habet. Et qui trigesimum habet, sexagesimum non habet. Et qui sexagesimum habet, non etiam centesimum habet. Semper enim majus quod minus est in se habet inclusum, illud autem, quod minus est, majus in se non habet: utputa, praefectoria potestas habet in se vicariam et consulariam potestatem: consularia autem potestas, neque vicariam, neque praefectoriam habet in se potestatem. Utputa, qui talem fidem habet, ut possit mori pro Christo, ille sine dubio et omnia bona mundi contemnere potest. Nam quomodo sua non contemnat, qui seipsum contemnit? Nam et ille centesimum habet. Nam qui se et sua contemnit, multo magis aliena non tollit, multoque facilius de facultatibus suis partem dat, qui totas facultates suas nihil existimat. Item qui sexagesimum habet, id est, qui divitias potest contemnere, in jejunio permanere, caste vivere, corporales injurias sustinere, sine dubio et trigesimum habet. Et qui sciunt sollicitudines saeculi, et voluptates divitiarum, clarius eas contemnere possunt. Qui autem trigesimum habet, id est, qui malum non facit, sed quantum potest benefacit, hoc est enim trigesimum: ille non omnimodo et sexagesimum habet, id est, non omnino potest omnia bona sua contemnere, et omnibus diebus vitae suae jejunare, aut in castitate vivere, aut corporales injurias pati. Hoc enim est sexagesimum. Ideo Dominus apostolis quidem, qui sexagesimum poterant, sic dicit: *Vendite quae habetis, et date eleemosynam* (*Luc.* 12. 33). Istis autem, qui non poterant sexagesimum, injungit eis trigesimum, dicens: *Omni petenti te, da: et qui mutuum petit, non avertas ab eo* (*Luc.* 6. 30). Item qui sexagesimum potest, non omnino et centesimum potest. Quanti sunt, qui et bona sua dimittere possunt, et amissionem rerum suarum patiuntur, et caste vivere possunt, et corporales injurias sufferre: et illud, quod est centesimum, timent sustinere? Quot enim confessores post

Commented [p181]: Col.795

multas injurias mori timentes lapsi sunt? Sic et homo, qui secus viam est, omnia mala in se habet, et lapidosus est, et spinosus. Ille autem, qui spinosus est, non omnino lapidosus est. Et ille, qui lapidosus est, non omnino secus viam est. Utputa, qui fornicarius est, qui avarus est, qui perjurus est, qui fur est, omnino si illi persequutio aut tribulatio venerit propter verbum, sine dubio quantum ad hominem scandalizatur, et praevaricatur. Qui enim ante tentationem fidem Deo non servat, quomodo in ipsa tentatione erit fidelis? Item qui lapidosus est et spinosus, id est, qui ex corde non credit, et est infidelis et vacuus, ita ut nec persequutione aut tribulatione scandalum patiatur: multo magis nec sollicitudines saeculares poterit evitare, aut voluptates carnales. Qui enim illic scandalizatur et praevaricatur, ubi intelligit se perire, si fuerit scandalizatus: quanto magis sollicitudines divitiarum et voluptates non est contentus repellere, in quibus se gravari intelligit, non perire? Nam sollicitudines divitiarum et voluptates profectum impediunt, non faciunt peccatorem. Qui autem scandalizatur in Christo, cadit a Christo. Qui ergo et cadere potest, multo magis impedimentum pati contentus est. Qui autem spinosus est, non omnino et lapidosus est. Sunt enim, qui tantam quidem fidem non habent, ut divitias suas et voluptates pro nihilo putent, et sollicitudinem earum contemnant, et magis diligant caelestia quam terrena; tamen si tentatio venerit, non recedunt a Christo propter timorem perditionis. Nam etsi mundum contemnere non fuerint contenti, vel quia non qui ante desiderabant magnificari apud Deum, tamen a Christo recedere non sunt ausi, qui timent perire. Ideo, si necessitas venerit, frequenter et bona sua dimittunt, quorum sollicitudine ante fuerant obligati. Nam multo magis laboriosum est in securitate concupiscentias vincere, quam in periculo divitias posse contemnere. Ipse enim timor periculi adjuvat animam, et facile vincitur delectatio corporalis. Quot sunt enim, qui in securitate non fuerunt contenti pauperes esse, et cum viderunt persequutionem, magis contenti fuerunt bona sua dimittere, quam perire propter illa? Praesciens Deus frequenter praecidit divitias eorum, ut a sollicitudinibus relevati, securius et melius permaneant cum Deo. Item qui lapidosus est, non omnino et secus viam est. Multo enim fideliores sunt, qui in persequutionibus forsitan possunt scandalizari, tamen in iniquitatibus non se omnino obligant: quia cum gaudio accipiunt verbum, et diligunt bonum, sed vincuntur in tribulatione. Et eos forsitan propter misericordiam suam Deus frequenter salvans, non adducit super eos tentationem, unde vincantur: quoniam nemo nostrum idoneus est, si nos jubet Deus orare: *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth*. 6. 13). Qui autem secus viam est, in omnibus malis obrutus est. 10. *Et accedentes ad eum discipuli ejus, dixerunt: Quare in parabolis loqueris illis?* Vide benevolentiam virorum, vide misericordes discipulos benigni magistri. Dolebant, quia populus non intellexit, et quia talium verborum aedificatione fraudati sunt, quia perdiderunt audiendi laborem et tempus. Nam qui non intelligit quod audit, perdit quod audit. Et considera quod est benevolentius, quod non primum interrogaverunt de intellectu parabolae, sed mox dixerunt: *Quare in parabolis loqueris illis?* quia magis de aliorum salute solliciti erant quam de sua, sicut ait Apostolus: *Non quae sua sunt singuli cogitantes, sed quae aliorum* (*Philip*. 2. 4). Haec est enim perfecta caritatis gratia, qui amplius festinat aliis utilis et lucrosus esse quam sibi. 11. *At ille respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysterium regni caelorum.* Quoniam multi ex his verbis culpam negligentiae suae imputant Deo, dicentes: Quia non est mea culpa, si nescio quod mihi Deus scire non praestitit. Et ista dicunt, non vere dolentes, quia non intelligunt aliquid circa Deum, sed peccatorum suorum excusationem quaerentes. De talibus dicit propheta: *Non declines cor meum in verba*

Commented [p182]: Col.796

malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem (*Psal*. 140. 4). Ideo de isto loco modico manifestius loquamur. Omnis quidem intellectus de Spiritu sancto est, et gratia Dei est: tamen alia est gratia, quam Deus omnibus hominibus creando donavit: alia est, quam non omnibus hominibus, sed dignioribus et excellentioribus et electioribus donat. Sicut paterfamilias multa mancipia habens, omnibus quidem mediocrem vestem dat, mediocrem annonam dat pro debito dominii sui: quia nec potest esse servus ejus, nisi ab illo vestitus fuerit, et nutritus; quibusdam autem fidelioribus circa se dat meliorem vestem, et delicatiorem annonam, non propter debitum dominii sui, sed propter bonos mores eorum: sic et Dominus generalem gratiam, id est, intellectum boni et mali omnibus dat pro necessitate naturae: quia nec videmur esse homines ad imaginem Dei creati, nisi habuerimus divinum intellectum; dignioribus autem dat specialem gratiam, utputa cognoscendi mysteria, non pro necessitate naturae, sed pro remuneratione bonae voluntatis, aut bonorum operum. Vide ergo quomodo dicit: *Vobis datum est nosse mysterium regni caelorum.* Non dixit: Vobis datum est, alicui qui habeat scientiam boni et mali. Si ergo est aliquis, qui non habet gratiam scientiae boni et mali, non culpa hominis est non habentis, sed Dei non dantis. Si autem omnes homines intelligunt bonum et malum, non tamen omnes habent gratiam cognoscendi mysterium regni, non est culpa Dei non dantis, sed hominis non quaerentis, nec festinantis, nec laborantis ut mereatur accipere. Si enim illam generalem scientiam boni et mali transegisses, id est, si bene usus fuisses, juste merebaris hanc specialem cognoscendi mysterii scientiam. Si autem illam generalem abscondisti in terram, quae datur pro necessitate naturae: quomodo mereberis hanc specialem, quae pro remuneratione bonae voluntatis aut operum datur? Et hoc est quod alius evangelista dicit de servo malo, qui talentum suum abscondit in terram, et nullum fecit fructum de illo: Dominus ejus non solum talentum tulit de eo, sed adhuc jussit eum puniri: id est, quasi non fructificantem jussit puniri reum. Vide quia paratus fuit et alteram gratiam ei donare, si fructum fecisset de prima. 12. *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit.* Ut habenti quidem addatur, possibile est: impossibile autem, ut auferatur ab eo qui non habet. Quomodo procedit? Si enim tollitur ab eo quod non habuit: si autem non habuit, quid tollitur ab eo? Sed ita procedit: Qui habet aliquem intellectum, et non facit cum illo justitiam pertinentem ad gloriam Dei, sed e contra circa res terrenas occupat eum, habens non videtur habere: quia quantum ad eum, videns, caecus dicitur esse. Non habet, qui Deo nihil fert. Sicut homo, cujus oculi iniquitatem vident, non aequitatem, quantum ad Deum videns, caecus dicitur esse, sicut scriptum est: *Sinite eos; caeci sunt, et duces caecorum* (*Matth.* 10. 14): quia diabolo vident, non Deo. Sicut qui peccatis vivens mortuus dicitur, sicut scriptum est: *Et vos cum essetis mortui in peccatis vestris* (*Ephes*. 2. 1. *et Coloss*. 2. 13): quia ille talis non Deo, sed diabolo vivit; sicut qui habet intellectum, et bonum non operatur cum eo, quantum ad Deum, nec habet: et ideo tollitur ab eo et ipsum quod habet, ut nec intelligat quod est bonum, et jam ut caecus ducatur a daemonibus per omnia mala opera. Quando ergo videris hominem, qui etsi non facit opera bona, tamen vel delectatur in audiendo bono: infructuosus est quidem, tamen adhuc non tulit Deus ab illo hoc ipsum quod habebat, sed exspectat illum, ut convertatur ad poenitentiam, et faciat bonum. Cum autem videris hominem, qui non solum bonum non facit, sed nec delectatur in ipso audito bono: intellige quia jam tulit ab illo Deus hoc ipsum quod habebat, ut intelligeret bonum, et quantum ad Deum mortuus est. Nam non potest reviviscere, nisi forte quantum ad Deum, qui potest etiam mortuos suscitare. Ille ergo, qui habendo non vult, sicut diximus, quod

Commented [p183]: Col.797

habet quidem naturae est: quod autem non habet, voluntatis: qui habet quidem, sed non vult habere. Judaei vero, qui habuerunt legem, et vixerunt secundum legem, addita est eis notitia Christi. Qui enim legem habentes quasi non habuerunt, quia non vixerunt secundum legem, ablata est ab eis etiam ipsa lex, quam habebant; et nihil apud eos de lege remansit, nisi sola Scriptura librorum, omni legis observantia pereunte. Sic enim et Christianis eveniet. Qui enim vere habent Christum, viventes secundum Christi praecepta, dabitur illis regnum, ut jam non credant absentem Christum, sed videant praesentem. Qui autem habentes Christum quasi non habent, quia non vivunt secundum Christi praecepta, tollitur ab illis etiam hoc ipsum, quod videntur agnoscere Christum, ut credant Antichristo: aut certe ut condemnati in die judicii, separati de parte Christianorum, etiam hoc ipsum perdant, quod videntur esse Christiani, cum infidelibus deputati. Sic et haeresibus factum est, quod habentes fidei veritatem, illam non habuerunt, non viventes secundum eam, ablata est ab eis, ut crederent pro veritate mendaciis. Tales sunt et qui quotidie transeunt ad perfidiam, quoniam habentes fidem, male ea utuntur. Tollet eam Deus ab eis, et ad perfidiam transibunt, et projiciet eos, et impletur in eis quod Apostolus dicit: *Eo quod caritatem veritatis non receperunt, dabit eis Deus opera erroris, ut credant mendacio, et judicentur* (2. *Thess*. 2. 10. 11). 13. *Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident.* Si dixisset, Ideo in parabolis loquor illis, ut videntes non videant: forsitan non esset culpa non intelligentium Judaeorum, sed Christi, qui sic loquebatur, ut non intelligeretur ab eis. Nunc autem dicit: *Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident*. Intelligitis ergo, quia non est culpa Christi nolentis dicere manifeste, sed eorum qui audientes nolebant audire. Non enim quia Christus in parabolis loquebatur, ideo illi videntes non videbant: sed quia videntes non videbant, ideo illis Christus in parabolis loquebatur. Ecce viderunt mirabilia Mosi: numquid vere viderunt? Si enim vere vidissent, utique et timuissent Deum miraculorum factorem. Ecce audierunt doctorem legis: numquid vere audierunt? Si enim vere audissent eum, utique et vixissent secundum legem, et credidissent in eum, quem prophetabat lex. Viderunt et ea mirabilia, sed videntes non viderunt. Si autem vidissent ea, et profecissent in eis. Cum sit ergo facilius videntes cognoscere quod vident, quam intelligentes intelligere quod audierunt: quomodo poterant illi audientes mysteria intelligere, qui videntes mirabilia non cognoverunt? Quia consueti erant Judaei videntes non videre, et audientes non audire: ideo non dedit eis Deus oculos fidei, ut videant divina miracula Christi, nec audiant viva verba ejus, nec similiter contemnant Christum, cognoscentes eum, quemadmodum contempserunt et legem, habentes eam: ideo et propheta illis dicebat: *Auditu auditis, et non intelligitis* (*Isai*. 6. 9). Videamus cujus rei intellectum denegat illis propheta. Non illum generalem qui datus est ad usum naturae, sine quo vivere nemo potest, sed hunc spiritualem ad cognoscendum mysterium Christi, quod datur ad remunerationem justitiae.

Commented [p184]: Col.798

Homilia xxxij. ex capite xix. (col.798-805)

1. *Et factum est cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilaea, et venit in fines Judaeae trans Jordanem,* 2. *et sequutae sunt eum turbae multae, et curavit eos ibi.* Et reliqua. Quantumcumque gratuitum et utile sit bonum ecclesiasticae pacis, quam flagranti et sollicito animo quaerendum sit exponam, ut quilibet inventor exponere possit. Legite, inquam, fidelissimi, hortor, fratres, legite vobiscum, crescite in fide, ut

Commented [p185]: Col.799

vobiscum corpore absens, efficiar in Christo vobiscum praesens in fide. Incipimus ergo exponere bona de bono. Prosequar quod dicit evangelista: *Et factum est cum consummasset Jesus sermones istos.* Quos istos? Quos superius est proloquutus. Quomodo de camino ignis mortiferi carnalium passionum super pectus apostolorum zeli scintilla ceciderat, et modica quidem jam tantum conflabatur: sed Dominus, qui de longe sentit malorum vaporem, cito per humilitatis doctrinam, quasi cum aliquo fonte aquae largissimo titionem, priusquam accenderetur, restinxit, dicens: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum caelorum* (*Matth.* 18. 3), etc., et illos tunc sollicitos reddidit, et totum mundum de periculo hujus incendii liberavit. Et illi quidem leviter tacti sunt, nos autem fortiter sumus muniti. Et momentaneae invidiae eorum occasio aeternum mundo humilitatis refrigerium introduxit. Hos ergo sermones cum consummasset Jesus, transtulit se de Galilaea in Judaeam, quasi justus Dominus omnium, qui sic diligit alios servos, ut alios non contemnat. Nam sicut omnes illi debent gloriam, quasi Domino: sic ille debet omnibus misericordiam, quasi servis. Nam si semper eum unus teneat locus, jam non est possessor omnium hominum, sed aliquorum. *Reliquit Galilaeam, et venit in fines Judaeae.* Galilaeam patriam suam, de qua natus fuerat, quasi sol altius ascendens, reliquit orientem, et venit in Judaeam, quasi ad occasum, ubi fuerat obiturus, in pace passionis occumbens, ut iterum nobis aliunde novum ortum sua resurrectione ostenderet, ut dicamus cum Apostolo: *Vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova. Et sequutae sunt eum turbae multae* (2. *Cor*. 6. 17). Quasi testimonia salutaris doctrinae ejus, quasi oves pastorem, in manu ipsius genitae et nutritae, sequebantur eum, quasi parvuli filii patrem peregre longe proficiscentem: et quasi pater proficiscens, bona pignora caritatis illis relinquens, peregit debilibus remedia sanitatum. *Et sanavit eos*. Ibi apparet, quia parati erant populi sequi eum etiam in fines Judaeae: sed ne quis existimet Judaeorum, sicut erant detractores, quod ad commendationem opinionis suae, et ad testimonium virtutum suarum, jactantiae causa, trahat secum multitudinem infirmorum, ideo sanavit eos ibi, et dimisit eos: maxime cum sufficerent et ipsi ad gloriam, et hominibus ad salutem, testimonia in suo loco nascentia. 3. *Et accesserunt ad eum Pharisaei, tentantes eum, et dicentes ei: Si licet homini quacumque ex causa uxorem suam dimittere?* Viro casto qualiscumque uxor bona videtur, quia perfecta caritas vitia non sentit. Qui diligit uxorem, de solvendo matrimonio legem necessariam non habet. Ubi autem de solvendo matrimonio lex requiritur, illic jam odium demonstratur: ubi odium invenitur, illic fornicatio esse cognoscitur. Quemadmodum si videas hominem assidue amicitias medicorum colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: sic et cum videas sive virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir ille lascivus est, et mulier illa meretrix est. Sic et Judaei erant homines fornicarii et contaminati, qui habentes uxores, habere non videbantur: quia uxor illis non erat quasi jucunda possessio castitatis, sed quasi desertum aestus libidinis illic religatae. Nam in matrimonio mox castitas delectatur, libido autem quasi vinculo conjugii colligata torquetur. Et non sit novum, quod dicimus, quia castitas in matrimonio delectatur. Nam primus est gradus castitatis sincera virginitas: secundus autem, fidele conjugium. Ergo species secunda virginitatis est matrimonii casta dilectio. Adierunt ergo Jesum tentantes, ut viderent si voluntatis eorum amicus esset, an castitatis patronus: ut si quidem diceret, quia licet dimittere, laudarent eum: si autem non, contradicerent ei: et hoc est proprie tentare. Qui autem vere interrogat, quicquid audierit, conquiescit. *Si licet homini uxorem suam*

Commented [p186]: Col.800

dimittere quacumque ex causa? O effraenata lascivia! Sciebant quia nullam causam idoneam habebant circa dimittendas uxores, praeter solam turpitudinem, alias atque alias sibi jungebant: ideo timuerunt interrogare. Ex quibus causis? Ne seipsos intra angustias certarum causarum constringerent. Sed interrogaverunt, si ex omnibus causis licet, scientes quia modum nescit libido: sed quanto exercetur, tanto magis accenditur, non leviter, nec intra terminos unius conjugii capit libido. 4. *Ille respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit homines ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Id est, Legistis quidem, sed noluistis facere quod legistis. Conscientiam illorum ad testimonium provocat, ut ostendat eis, quia ideo interrogant, non ut firmiter discant quod dubitant, sed ut excusabiliter faciant quod inexcusabiliter peccent. *Masculum et feminam.* Non masculum et multas feminas, ut uni masculo liceat plures feminas possidere: neque masculos et feminam, ut uni feminae liceat plures viros accipere: sed masculum et feminam, ut una femina nullum masculum putet factum esse in saeculo, praeter unum: ut unus masculus nullam putet feminam esse factam in saeculo, nisi unam. Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, et duas aut tres fecit mulieres (*Gen.* 2. 21). Cum ergo secunda aut tertia uxor steterit ante faciem tuam, sicut tunc Eva ante Adam, quomodo illis dicas, *Hoc nunc os de ossibus meis* (*Gen.* 2. 23)? Nam etsi vere costa est illa mulier, non tamen tua. Si ergo non illi dixeris, non illam confirmes esse conjugem tuam: si autem dixeris, mentiris. Si ergo Deus ad hoc masculum et feminam ex uno creavit, ut sint unum: quare ergo et de caetero vir et mulier non ex uno utero nascantur, sicut volatilia, quaedam? Quia Deus, quamvis masculum et feminam quidem creavit propter necessitatem filiorum generandorum, tamen semper castitatis fuit amator, et continentiae auctor. Ideo illum typum non servavit in hominibus, ut si quidem vult homo nubere secundum primam dispositionem creationis humanae, intelligat quid est vir et uxor. Si autem noluerit nubere, non habet necessitatem nubendi propter conjunctionem nativitatis, ne forte videatur per suam continentiam alterum perdere, quem nolebat esse in continentia: quomodo dicemus post conjunctum matrimonium, ne alter altero nolente se separaret. 5. *Propter quod relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae.* Propter quid? Quia ex viro est uxor, et ex una carne sunt ambo. Ergo nunc major caritas debet esse inter fratres et sorores, quia isti quidem conjuges ex eisdem parentibus exeunt, illi autem ex diversis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio, quam virtus naturae. Non enim praecepta Dei naturae subjecta sunt, sed natura praeceptis obtemperat. Deinde fratres licet ex uno nascantur, tamen ideo nascuntur, ut diversas vias petant. Vir autem et uxor licet ex diversis nascantur, tamen ideo nascuntur, ut in unum conveniant. Ergo hi, quamvis sunt ex uno, tamen non ita sunt quasi ex uno: quia ad hoc creati sunt, ut non sint unum. Illi autem quamvis non sunt ex uno, tamen ita sunt quasi ex uno: quia ad hoc creati sunt, ut sint unum. Vides ergo, quia non seipsum loquitur ordo naturae? Sed ordinationem Dei ex teipso considera. Quod enim est in herbis aut in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbae ex humore nascuntur et crescunt, sic homines per amorem incipiunt et augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen: sic et caritas de parentibus ascendit in filios; de filiis autem non revertitur ad parentes. Ideo parentes quidem filios diligunt, sed non sic diliguntur a filiis: quia sicut herba non deorsum, sed sursum ad semen transmittit humorem: sic et homo non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum. *Et erunt duo in carne una*. Sicut qui spiritualiter se diligunt, multorum animae quasi una

Commented [p187]: Col.801

anima esse dicuntur, dicente Scriptura: *Omnium credentium erat cor unum et anima una* (*Act*. 4. 32): sic et vir et uxor qui carnaliter se diligunt, una caro dicuntur. 7. *Dicunt illi: Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii, et dimitti?* Displicet peccatoribus doctrina justitiae, gravis est fornicantibus interpretatio castitatis. Si contra rationem quidem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Quid ergo? Conferunt se ad patrocinium viri sanctissimi Mosi, cujus personam verebantur omnes et timebant, ut doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per auctoritatem validioris personae destruerent: ut dum Moses irreprehensibilis reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur: sicut solent homines facere, malam causam habentes; confugiunt ad potentes viros, ut si per justitiam non possunt, vincant per personam. Tamquam si ita invidiose respondeant: Quid ergo? Moses praecepit in lege, qui fuit quasi visibilis lingua invisibilis Dei, qui incorruptibilem gloriam corruptibilibus oculis vidit, et testimonium divinitatis in vultum suscipiens portavit ad populum (*Exod*. 34): tu autem, homo vilissimus, fabri lignarii filius, quomodo destruis quod ille constituit? Si Filius Dei es, sicut dicis, quare confundis tuum ministrum? si homo es similis nostri, quomodo reprehendis tuum auctorem? Si malum est, quare praecepit? si bonum est, quare destruis? 8. *Tunc ait Jesus: Moses*, inquit, *propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*. Frequenter vobis Moses propter duritiam vestram injustitiam quasi justitiam praecepit, ut in eremo hostias offerre Deo. Et quomodo dicit propheta? *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos* (*Psal*. 49. 9). Sed quia patres vestri egressi erant de Aegypto, corpore, tamen non animo: nam totam Aegyptum secum in moribus bajulabant: videns itaque Moses propter dilectionem carnalem circa studia sacrificiorum eos esse inclinatos, si mandasset eos recedere a sacrificiis, non fuerat audiendus: quia annosa passio medicamento momentaneo non curatur. Jussit eos sacrificare quidem, sed jam non daemonibus, sicut in Aegypto, sed Deo vivo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit, vos dare libellum repudii, quia melius judicavit permittente lege matrimonia solvi, quam odio compellente homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis pejora. Ergo haec vobis permittendo, non vobis justitiam Dei demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi, ut quasi secundum legem agentibus vobis peccatum, vestrum non videatur esse peccatum. Utputa, si quis habeat servum, qui furatur et inebriat se, considerans dominus, quia si utrumque sibi insimul mandaverit observare, nihil proficit: mandat illi quidem, ut bibat quantum vult, sed publice bibat, ut hoc quidem, quod bibit, sit secum novum bonum, ut paulatim discat obedire praeceptis. Sic permissum est dari repudium, malum quidem, tamen licitum a creatione. Et apostoli praeceperunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum praeceptum Apostoli est: secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est (1. *Tim*. 5. 9); sed dum permittente Deo publice et licenter committitur, fit honesta fornicatio. Propterea bene dixit, quia Moses hoc permisit, non praecepit. Aliud est praecipere, aliud est permittere. Quod enim praecipimus, semper placet: quod autem permittimus, nolentes praecipimus: quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus.

Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. – 9. *Amen dico vobis, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi fornicationis causa, moechatur*. Omnis res, per quas causas nascitur, per ipsas absolvitur. Matrimonium enim non facit coitus, sed voluntas: et ideo illud non solvit separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit conjugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est. Nam etsi corpore jam separatus est, tamen

Commented [p188]: Col.802

adhuc voluntate conjunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plene dimittit. Non ergo qui dimittit moechatur, sed qui alteram ducit. Sicut autem crudelis est et iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est et injustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris. Imitatores ergo debemus esse Dei, ut sicut ille agit cum Ecclesia, sic nos agamus cum conjuge. Ille enim numquam derelinquet populum, nisi ad gentilitatem vel ad haeresim voluntarie transierit: alias autem peccantem castigat quidem, tamen misereri non cessat, dicente propheta: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, visitabo in virga injustitias eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Psal*. 88. 31. 33. 34). Sic et vir meretricem quidem dimittat, alias autem male morigeratam castiget et teneat. Quomodo? Tribus modis. Primum docendo secundum Deum. Si autem contempserit timorem Dei, improperando, ut vel homines erubescat. Si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat illi quod praecepit Salomon: *Cor durum baculo percute* (*Prov*. 10. 13). Ergo primum admone, quia multum proficit doctrina justitiae. Deinde confunde, quia frequenter et pudor frenum est vitiorum. Tertio justum est, ut castigetur quasi ancilla, quae erubescere nescit ut libera. Aliter. De Galilaea turbae in mysterium gentium sequutae sunt Dominum in fines Judaeae, ibique curatae sunt. Juste in fines transierunt Judaeae; nec enim potuissent curari, nisi relictis finibus suis, in fines transissent Judaeae, sicut scriptum est in Isaia: *Et venient omnes gentes, et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis viam suam, et ambulabimus in ea* (*Isai*. 2. 3). Et curatae sunt gentes in finibus Judaeorum ad confusionem ipsorum, quia gentes quidem et in aliena sequutae sunt Christum, Judaei autem in finibus suis constitutum tentaverunt et repulerunt, et in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicentes: *Si licet viro dimittere uxorem suam quacumque ex causa*? Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lascivus: hoc est, non potest Deo esse fidelis, qui uxori suae perfidus est: sicut nec ex diverso conscientiam servat, qui Deo fidem non servat, sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Nam etsi interim non praevaricatur lascivus, tamen jam in eo statutus est ut praevaricetur, si corruptio persuasionis accesserit. Et illi quidem secundum carnem interrogabant, quae pati merebantur secundum spiritum: *Si licet dimittere uxorem quacumque ex causa?* Christus autem respondit eis, quod facere eos non decebat, dicens: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur*. Sicut enim uxorem quocumque modo contra voluntatem viri agentem dignum est repellere, non est autem justum quantum ad gravitatem viri, nisi ob causam fornicationis: sic et Ecclesia, quocumque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abjici: non autem abjicitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis. Sicut enim si Christus prius dimisisset Ecclesiam Judaeorum, non eis subministrans per Scripturas notitiam suae divinitatis, ipse faciebat eam adulteram cum diis extraneis, quoniam natura, rationabilis et subdita Deo creata, sine Deo non potest esse: sic Christo semper eis scientiam suae divinitatis subministrante, quoniam synagoga spernens transibat ad idola, inexcusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus: non quacumque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius: quia non solum, relicto Christo, diabolo se conjunxit, sed etiam interfecit, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum: deinde creavit hominem, rationabilem naturam angelorum et animarum, quasi conjugem, et potentem suscipere verbum ipsius. Ideo clamat: 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et multis quidem modis homo separat, quod conjunxit Deus. Quando enim quis audet dicere

Commented [p189]: Col.803

aut facere aliquid per quod scandalizati homines recedant a Christo, homo separat, quod Deus conjunxit. Sed et si nullus alter hoc faciat, ipse autem homo peccans a Deo recedat, repellens Spiritum ejus a se, homo videtur separasse quod Deus conjunxit. 10. *Dicunt ei discipuli: Si ita est causa viri cum uxore, non expedit nubere.* Audientes cogitabant apud se: Mulier bona difficile invenitur, protestante Salomone: *In mille virum bonum invenies: in omnibus autem his mulierem non invenies* (*Eccle*. 7. 29).

Mulieris malae descriptio. – Quid autem est aliud mulier, nisi amicitiae inimica, ineffugabilis poena, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, necesse est ut, aut dimittentes, adulterium alterum faciamus, aut tenentes, quotidianas pugnas et amaritudines habeamus. Ideo responderunt: *Si ita est viri causa cum uxore, non expedit nubere*. Tunc Dominus non dixit, quia expedit, sed magis consensit, quia non expedit: sed infirmitatem carnis aspiciens dixit: 11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Non dixit, Non omnes possunt: sed, *Non omnes capiunt*: id est, Omnes quidem capere possunt, sed non tamen omnes capere volunt. Palma proposita est. Qui concupiscit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum pugnae timerent. Ex eo quod quidam non possunt, et a proposito continentiae cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugna cadentes non exanimant caeteros, sed dicunt illis sic datum fuisse, rem non applicant pugnae, sed homini: quanto magis nos cadentium negligentiae imputare debemus, non difficultati virginitatis? Quod autem dicit, *Quibus datum est*, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiae acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur* (*Matth*. 7. 7. 8). Debet autem voluntas praecedere, et sic sequitur gratia. Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam et terra non germinat, nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. 12. *Sunt eunuchi, qui sic nati sunt ex utero matris suae: et sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt: et sunt eunuchi, qui seipsos eunuchos fecerunt propter regnum caelorum.* Tamquam si dicat aliquis: Quid dicis, Domine? si ex quacumque causa contigerit homini uxorem non habere, an continentiae habebit mercedem? Non semper. Sicut enim peccatum sine voluntate opus non facit, ita justitia ex opere non consummatur, nisi et voluntas affuerit. Multi enim corpore quidem castitati student, adulterium autem voluntate committunt. Nisi enim ex voluntate sola fornicatio consummaretur, numquam Dominus diceret: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, moechatus est eam in corde suo* (*Matth*. 5. 28). Ergo voluntas sine opere frequenter peccat. Illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. Ideo dicit: *Sunt eunuchi, qui sic nascuntur ex utero matris suae: sunt eunuchi, qui ab hominibus fiunt* sed illos tenet necessitas, hunc autem tertium coronat voluntas. Quod autem sic nascuntur, a creatione fit: quomodo nascuntur et sex digitos habentes, aut quatuor, et similia.

Qua de causa contra cursum naturae aliqua interdum eveniant. – Si enim Deus, sicut ab initio constituit, unamquamque naturam sic dimitteret, illam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in oblivionem deduceretur coram hominibus operatio Dei: nam aestimaretur natura rerum ipsa se regere. Utputa, constituit Deus naturaliter, ut

Commented [p190]: Col.804

in hieme frigora sint, calor autem in aestate; ut terra fructum proferat, ut pluvia descendat de caelo. Si haec sicut ab initio constituta sunt, ita in suo statu immutabiliter perseverarent, inveniretur Deus ab initio quidem constituisse; et de caetero omnem naturam in sua potestate reliquisset, et per hoc fieret ut jam creatura necessarium non haberet Factorem. Ideo ergo natura rerum convertitur contra naturam suam interdum, ut semper Deus naturarum Opifex in memoriam reducatur, et semper necessarius sit Factor suae naturae, et non solum semel, sed quotidie opera sua facere videatur. Propterea in Evangelio de caeco, qui sic natus fuerat, Dominus dicit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei* (*Joan.* 9. 3). Non solum simpliciter intelligendum est, sicut multi putant, ut, caeco sanato, Dei potentia cognoscatur, id est, operans Deus. Alioqui, omnibus infirmitatibus sanatis, Dei potentia cognoscitur: sed ideo in illius persona hoc dicit, quia contra regulam naturae sine oculis erat creatus, ut in transversione naturae opus Dei intelligatur, dum emendatur natura. 13. *Tunc oblati sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, et oraret. Tunc*, scilicet quando Dominus de castitate sermonem faciebat, et beatos pronuntiabat eunuchos. De gloria enim continentiae Domino referente atque dicente, *Sunt qui se eunuchisant propter regnum caelorum*: audientes quidam obtulerunt ei infantes, pueros castitate mundissimos. Putabant enim, quia Dominus corpore mundos tantum laudaret, non et voluntate: nescientes, quia Dominus non illos beatificavit eunuchos, quos pueritiae necessitas facit castos, sed continentiae virtus. *Discipuli autem vetabant eos.* O caro, amica rerum malarum, et non amica rerum bonarum! Quia non delectatur in bono, ideo facile obliviscitur bonum: malum autem quicquid audierit, quasi naturaliter in corde suo plantatum, sic retinet semper. Nam numquam potest aliquis oblivisci quod diligit, nec retinere quod odit. Ante enim modicum Christus accipiens puerum dixerat: *Nisi facti fueritis sicut puer iste, non intrabitis in regnum caelorum* (*Matth.* 18. 3). Et ecce statim obliti discipuli puerilis innocentiae, vetabant ad Christum pueros quasi indignos accedere, ad quorum similitudinem ipsi fuerant invitati. Nam quis mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo infantia simplex? Putabant enim se honorem facere Christo, damnum facientes gloriae ejus. Nam quemadmodum damnum est medico, si subtrahantur infirmi: sic damnum est Christo, non habere quos salvet. Si enim exspectans Samaritanos peccatores, de quibus ipse mandavit quasi de indignis, *In civitates Samaritanorum ne intraveritis* (*Matth.* 10. 5), tamen sic de adventu eorum gaudebat, ut diceret: *Escam habeo manducare, quam vos nescitis* (*Joan.* 4. 32): putas quanto magis esuriebat salutem innocentium puerorum. Ideo dixit: 14. *Nolite vetare pueros*. Nam si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad Patrem venire? Si autem peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis? *Talium est enim regnum caelorum. Talium*, non omnium. Nam quales modo sunt, meum est: quales autem postea futuri sunt, ipsorum. Quod ergo meum est, honorate: quod autem ipsorum fuerit, miseremini. Talium est enim regnum caelorum, qui casti sunt ex virtute, sicut pueri ex aetate. Talium est, qui simplices oculos habent sicut pueri, et non cognoscunt differentias personarum. Ecce enim puer, si viderit hominem, nihil aliud videt in eo, nisi hoc solum quia homo est: non dignitatem ejus intelligit, non considerat vestem ipsius. Vir autem perfectus, cum hominem viderit, non aspicit quia homo est, sed statim cogitat de dignitate illius, et aestimat vestimenta ipsius. Vides ergo, quia sapientior est imperfectus puer, quam perfectus vir? Vir enim non hominem aspicit, quem Deus fecit Dominus, sed ornatum, quem diabolus adinvenit. Puer autem non ornatum aspicit, quem diabolus adinvenit, sed

Commented [p191]: Col.805

hominem, quem Deus creavit. Priusquam puer veneno diabolico mundialis malitiae repletus fuerit, cognoscit opus Factoris: cum vero inebriatus fuerit mundi spiritu, jam non aspicit opus Factoris, sed illecebras corruptoris. Praesens locus instruit omnes parentes, ut filios suos indesinenter sacerdotibus offerant: quia si sacerdotibus offerunt, offerunt Christo. Non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cujus nomine manus imponitur. Si enim qui escas suas per orationem non offert Deo, coinquinatas eas manducat, secundum quod de illis ait Apostolus: *Quoniam omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem*; dicens enim, *Sanctificatur per verbum Dei et orationem* (1. *Tim.* 4. 4. 5), ostendit, quia maculata est, nisi per orationem fuerit omnis esca mundata et sanctificata: quanto magis pueros offerri Deo et sanctificari necesse est? Causa autem sanctificandarum escarum haec est, quoniam *Mundus totus in maligno positus est* (1. *Joan*. 5. 19). Ergo et omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita, et ipsam propterea oportet sanctificari. Consequenter et infantes, quando nascuntur, et ipsi quantum ad carnem in maligno sunt positi: quoniam et omnis caro, quasi pars mundi, in maligno posita est. Propterea necesse est offerri pueros, ut assidue super eos oratio fiat: quoniam escam semel sanctificari ne esse est. Manducamus enim eam, et transit: hominem autem, quem indesinenter adversarius persequitur et sordidat, semper sanctificari necesse est. Aliter. Convenienter confutatis Judaeis tentatoribus et lascivis, offeruntur pueri Christo in mysterium gentium, in fide parvulorum, et lactis adhuc solius capientium escam, quos obtulerunt Christo patres eorum: sicut ordinis est intelligere, posita sunt evangelia gentium singularum, quod discipuli in figura principum Judaici populi prohibebant: quoniam semper Judaei omnia faciebant, ne gentes salvarentur introductae ad fidem.

Homilia xxxiij. ex capite xix. (col.805-16)

16. *Et ecce vir unus accessit ad eum, et ait: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* et reliqua. Non sine ratione quaerendum est in hoc loco, cur hic de isto adolescente Christum interrogante, *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam aeternam possideam*? cum Dominus implevisset narrationem, in fine sic addidit: 30. *Multi enim erunt*, inquit, *primi novissimi, et novissimi, primi.* Quod de Judaeis et gentibus dictum esse dubitat nemo. Ne forte ergo hic adolescens in mysterio introducitur Judaici populi semper adolescentuli, semper gloriantis et levis. Sic enim facere solet Christus plerumque, quando de mysterio alicujus rei est loquuturus: ante introducit corporaliter facientem idipsum, ut ex eo occasionem inveniens, corporalem narrationem mysterii, quam rei propositum exsequatur: utputa, cum de compescenda jactantia Pharisaeorum apud Lucam (*Cap*. 14) loquuturus fuisset, introducit primo hydropicum, et sanavit, ut in corporali tumore hydropici, jactantiae Pharisaeorum pungeretur inflatio. Sic et hic cum de refutatione Judaeorum et electione gentium mysterium exponere voluisset, ex eo verbo quod dicit ad Petrum, 29. *Et omnis qui reliquerit patrem et matrem*, etc., usque ad parabolam subsequentem de mercenariis conductis in vineam, hora prima, tertia, sexta, et nona, et undecima, quomodo gentes praeponendae erant Judaeis: introduxit istum adolescentem gloriantem, et levem, et amantem amplius bona sua carnalia, quam caelestia Christi promissa: ut passione corporali adolescentis istius Judaici populi

Commented [p192]: Col.806

spiritualis passio demonstraretur, propter quam Christo non credidit: id est, propter placentia sibi, propter jactantiam vanam, propter quaestus, quos capiebat ex lege, remansit in lege. Propterea quaecumque dicuntur de adolescentulo isto sic sunt accipienda, quasi de populo Judaico dicta. Judaicus ergo populus erat adolescens, non aetate, sed levitate: moribus immaturus, non annis. Nam omnia quidem vitia carnalia juvenilia sunt, sicut dixit Apostolus: *Juvenilia enim desideria fuge, sectare justitiam, misericordiam, pietatem* (2. *Tim.* 2. 22), etc. Praecipuum autem vitium juvenile est gloriatio, quae amplius vult videri, quam est: aut in toto vult videri non esse qualis est. Nam sic populum Judaicum fuisse cognovimus in Scripturis, sicut et Dominus dicit de illis: *Faciunt omnia, ut ab hominibus videantur.* Item: *Vae vobis scribae et Pharisaei hypocritae, qui diligitis primas cathedras in synagogis* (*Matth.* 23. 6), etc. Item: *Vae vobis, qui justificatis vosipsos, Deus autem cognoscit corda vestra* (*Luc.* 11. 43. *et* 16. 15). Propter quod et ficus dicti sunt, habentes folia sine fructu, id est speciem sanctitatis, non ipsam sanctitatem, quam aestimatione quidem justitiae sectabantur, opera autem abhorrebant. Et vide quomodo in exordio ipso narrationis populi Judaici mores significat. Dicit enim: *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam aeternam possideam?* Quia semper Judaei interrogatores Dei fuerunt, et non obauditores: laudatores sanctorum, et non imitatores: auditores legis, et non factores: semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes: gloriantes in lege, et per praevaricationem legis Dominum Deum inhonorantes. Adhuc et illud considera, quia nihil de actione Dei interrogat quid credat, aut quomodo credat: sed hoc, Quid faciendo vitam aeternam possideat: quia omnis spes salutis apud Judaeos in operibus erat, non in fide, sicut dicit Apostolus de illis et gentibus: *Quoniam gentes, quae non sectabantur justitiam, in legis justitiam pervenerunt: quia non ex operibus, sed ex fide: Israel autem sectando legis justitiam, in legem justitiae non pervenit: quia non ex fide, sed ex operibus* (*Rom.* 9. 30-32). Prima autem justitia est cognoscere Deum patrem et Christum ejus: novissima autem justitia est facere opera bona: sicut cum Dominus dixisset quibusdam Judaeis, *Operamini cibum, qui non perit, sed qui permanet*: interrogantibus eis, *Quid faciemus, ut operemur* opus *Dei?* respondit, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit* (*Joan.* 6. 27-29). Illi autem opus agnitionis Dei negligentes, quod est praecipuum Christiani opus, semper ad diabolum transibant, et de operibus justitiae requirebant. Propterea Dei agnitionem perdiderunt, et opera justitiae numquam impleverunt: quia virtus faciendae justitiae agnitio Dei est. 17. *Dicit ei Jesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus.* Numquid non erat ipse bonus, cum esset Filius Dei Deus? Nam quemadmodum cum ipse sit Filius Dei, et ipse Deus est, quasi Filius: sic cum sit bonus Deus, et ipse Filius Dei sine dubio bonus est, quasi filius boni. Sicque Judaicus populus unius Dei habens agnitionem, Christum nec Filium Dei nec Deum cognoscere volebat. Hac ratione laudem sibi oblatam ab eo repulit, quia non quasi Deum bonum, sed quasi hominem bonum eum dicebat. Quod non fecisset, si ille, quasi Deum bonum, bonum eum dixisset. Et vere quantum ad Judaeos, qui unum Deum colebant, et Christum Dei Filium non cognoscebant, nemo erat bonus, nisi unus Deus: apud fideles vero, sicut unus Deus pater est bonus, sic et unigenitus Deus nihilominus bonus est. Puto autem, si dixisset ei, Magister sancte, aut etiam, Juste, similiter respondisset: Quid me dicis sanctum, aut justum? Nemo sanctus, nisi unus Deus: nemo justus, nisi unus Deus. Ex quibus omnibus discimus, quoniam sicut tunc Christus laudem ejus repulit, quia non cognoscebat eum, sic semper repellit laudes omnium ignorantium: consequenter nec Pater suscipit laudes eorum, qui non cognoscunt eum

Commented [p193]: Col.807

secundum quod est. Numquid gentes non colebant Deum et ignorabant, secundum quod Atheniensibus dicebat Apostolus: *Perambulans enim simulacra vestra, inveni aram ignoti Dei: quem ergo vos ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis* (*Act.* 17. 23)? Sed non suscipiebat culturam eorum, quia non cognoscebant eum secundum quod ipse cognosci volebat. Si autem nec Christus suscipiebat laudes Judaeorum, nec Deus Pater, gentium, quia non cognoscebant eum secundum quod decebat cognoscere eos: sine dubio nec haereticorum suscipiunt laudem, vel Pater, vel Filius, quoniam nec ipsi cognoscunt quis Pater, quis Filius, errantes de ambobus, et confundentes utrumque: quoniam qui Filium cognoscit, ille et Patrem cognoscit. Quod si laudes eorum non suscipiunt, consequenter nec opera, quamvis videantur justa. Propterea cum dixerint, *Nos in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et virtutes multas fecimus*: dixit eis Jesus, *Discedite a me, nescio qui estis* (*Matth.* 7. 22. 23). *Si vis venire in vitam, serva mandata.* Quam sapienter ait, *Serva*. Ille enim interrogaverat, *Quid boni faciam?* iste contra illi respondit, *Serva*. Non dixit, Disce mandata, quia Deus docuerat eum, Factor naturae rationabilis: sed, *Serva*, quia non servabat. Nam in hoc, quod admonetur servare, ostenditur non servasse. Nam non est ille bonus, qui interrogat de bono, sed qui facit quod bonum est. 18. *Non occides*. In persona quidem loquens unius illius, quicumque fuerit, convenienter loquitur personae populi Judaeorum. Quaecumque enim sciebat, quasi Deus, populum Judaicum esse facturum, vel in se, vel in discipulos, vel jam facere, anticipans eadem ipsa, praemonet eos, et dicit: *Si vis intrare in vitam, non occidas*. Sed occiderunt et ipsum, et discipulos ejus. *Ne adultereris*. Sed adulterati sunt recedentes a Deo suo, et viro animarum suarum, cum diabolo corruptore. *Ne furtum facias*. Sed fecerunt, furantes quidem fidem divinitatis ejus ex opere, et dicentes: *Hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum* (*Matth.* 12. 24): ne per opus illud crederent Christo. Item furati sunt veritatem resurrectionis ejus de toto mundo, quantum ad se, dantes pecuniam multam militibus, ut dicerent, *Quia nobis dormientibus, nocte venerunt discipuli ejus, et furati sunt corpus ejus* (*Matth.* 28. 13). *Non falsum testimonium dices.* Sed dixerunt contra Scripturas, *Hunc scimus, unde est* (*Joan.* 7. 27). Deinde falsum testimonium protulerunt, dicentes: *Nos audivimus eum dicentem, quoniam ego dissolvam templum hoc manu factum, et in triduo reaedificabo illud* (*Matth.* 26. 61). Similia et in Stephanum dixerunt. 19. *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Sed non honoraverunt neque patrem suum Deum, qui seminaverat eos, neque matrem suam Ecclesiam patriarcharum et prophetarum caelestem: sed tamquam genimina viperarum, ruperunt eos, et exierunt ab eis. *Et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Sed non dilexerunt Christum factum sibi proximum, secundum carnis cognationem. Quoniam ergo et olim per Mosem haec eis servare praecepit, et postea per seipsum, illi autem non servaverunt: ideo non intraverunt in vitam, id est, in agnitionem Dei Patris et Christi. 20. *Et respondit: Haec omnia servavi a juventute mea.* Nativitas Judaici populi fuit ex tempore Abrahae, usque ad exitum ejus de Aegypto. Tunc enim quasi infans fuit populus ille, sicut Deus apud Ezechielem prophetam testatur, dicens ad Jerusalem: *In qua die nata es, non est praecisus tuus umbilicus, et non alligaverunt mamillas tuas: et etiam in aqua non es lota in salutem, neque oleo uncta es, neque sale salita, neque pannis involuta es: neque pepercit oculus meus in te, ut facerem tibi unum ex istis omnibus, ut pararetur aliquid super te; et projecta es in faciem campi, et in pravitate animae tuae, in qua die nata es. Et transivi ad te, et vidi te conspersam in sanguine tuo, et dixi tibi: De sanguine tuo bibes. Et multiplicavi te: sicut hortum agri dedi te, et multiplicata es, et magnificata*

Commented [p194]: Col.808

es, et intrasti in civitates civitatum (*Ezech.* 16. 4-8). Juventus autem ejus fuit ex tempore Mosi usque ad reges. Virilitas autem ejus ex tempore regum ejus usque ad transmigratione Babylonis. Senectus autem ejus a transmigratione Babylonis usque ad Christum, quando est mortuus populus ille, propriam interficiens vitam. De istis autem aetatibus suis etiam per prophetam testatur populus ille, et dicit: *Domine, memorabor justitiae tuae solius, Domine, quam docuisti me ex juventute mea*, id est, ex tempore Mosi, quando legem ad eruditionem suam accepit. *Et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua*: quod est in tempore regum. *Et usque ad senectam et senium, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quae ventura est* (*Psal.* 70. 16-18): quod factum est in tempore Christi, quando qui digni fuerunt ex eis credere in Christum, brachium Domini annuntiaverunt omni generationi gentium, postmodum credenti in Christo. Quam congruum autem populus ille Judaicus dedit responsum, qui tamen corde numquam credebat, semper ore commendabat se dicens: *Haec omnia servavi a juventute mea.* Quod non erat verum. Nam et prophetas occidit, cumque idolis semper adulteratus est, et furtum veritatis Scripturarum semper commisit, sicut etiam Dominus dicit de illis: *Quia irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* (*Matth.* 15. 3). Et falsa testimonia dixit in interfectoribus prophetarum, maxime in Isaiam, apud regem Manassen, dicens: Quia principes vestros Sodomitas appellat, et populum Israeliticum Gomorrhaeos (*Isai*. 1. 10); Dominum Sabaoth se vidisse blasphemabat cum dicat Deus: *Nemo videbit faciem meam, et vivet* (*Exod*. 33. 20). Propter quod et serratus est ligna serra. Sed omnia illa specialiter convincere Christus omittens, quasi ex aliis argumentis vult populum Judaicum ostendere nihil horum umquam servasse, dicens: 21. *Respondit Jesus: Adhuc tibi restat unum. Vade et vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me.* Ac si dicat: Scio quidem quia mentitus es, et interim accipio haec quasi vera. Si ergo omnia ista servasti a juventute tua, ut fias perfectus, *Vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me.* Quae sunt quae possidebat Judaicus populus? Puto quod illa quae dicit Lucas hoc modo: *Ad horam autem coenae misit invitatos vocare: illi autem recusaverunt, et unus dixit: Villam emi, et vado videre illam; et alius: Juga boum emi quinque, et vado probare ea; alius autem: Uxorem duxi, et ideo non possum venire* (*Luc.* 14. 17-20). Quorum omnium interpretatio spiritualis facta est in proprio loco. Hic autem hoc dicimus tantum, quia ex quibus causis illic ponuntur Judaei non venisse ad Christum, ex ipsis causis carnalibus et terrenis intelligitur populus recessisse a Christo. Tantum differentia in hoc est, quod illic Judaei ponuntur non venisse ad Christum: quia amore carnalium rerum et terrenarum occupati, nec permanserunt in Christo, nec consideraverunt opera ejus, nec audierunt sapientiam ejus: propterea non cognoverunt eum Filium Dei, nec venerunt ad eum; hic autem illum populum Judaeorum demonstrat, qui vel ex prophetis, vel ex operibus, vel doctrinis ejus cognoverunt Filium Dei: et concupiscentia lucrorum carnalium, vel bonorum quae consequebantur ex lege carnali, propter avaritiam recesserunt a Christo, non ignorantes divinitatem ejus, sed non sustinentes veram justitiam ejus. Quae sunt ergo bona Judaici populi, quae vendere, et pauperibus dare mandantur? Primum quidem agnitio Dei unius, lex, templum, sacerdotium, levitica et diversa genera sacrificiorum, quibus omnibus carnaliter utens populus ille, quasi possessiones fructiferas possidebat. Quae quantum ad aestimationem quidem Judaeorum magna videbantur, et multa: quantum autem ad Christi promissa, pauca, et nimis exigua. Quae omnia mandantur dari gentibus, specialiter pauperibus, et

Commented [p195]: Col.809

nihil horum habentibus, in quibus populus ille Judaeorum fuerat dives. De hoc enim populo Judaeorum divite et contemnendo, et de populo gentium paupere et ditando dicit Maria in Evangelio: *Pauperes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (*Luc*. 1. 53). Hoc ergo dicit Dominus ad populum Judaeorum, suadens eis, quod melius est unius Dei agnitionem vendere: Vade, et trade eam gentibus pauperibus, et non habentibus Dei unius et veri agnitionem; tu autem ascende ad majus, veni et sequere etiam me, ut cognoscas quoniam haec est vita aeterna, cognoscere non solum verum Deum, sed etiam Christum Jesum, quem misit ipse. Possides templum: trade id gentibus pauperibus, et non habentibus templum Dei, et in primis venientibus ad agnitionem Dei, et veni, sequere me, ut et ipse efficiaris templum Dei. Nam imperfectorum et incipientium est, habere templum Dei: perfectorum est, templum Dei esse. Possides legem: trade eam pauperibus gentibus, et non habentibus legem: tu autem veni, sequere me, et eris in gratia, sciens quia lex non est posita justis, sed impiis peccatoribus; gratia autem perfectionis est praemium. Possides legis diversa mandata: utputa, habes hoc mandatum: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut*. 6. 4): trade ea pauperibus gentibus, non habentibus unum Deum. Habes, *Non facies idolum* (*Levit*. 26. 1): trade hoc pauperibus gentibus, et per ignorantiam idola multa colentibus; tu autem sequere me, ut habeas vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscas unum Deum verum, et Jesum Christum, quem misit (*Joan*. 17. 3). Habes, *Non occides* (*Exod*. 20. 13): trade hoc gentibus homicidia multa facientibus: tu autem sequere me, ut non irascaris. Habes, *Ne adultereris* (*Exod*. 20. 14. *et Deut*. 5. 17): trade hoc gentibus lascivis, ut discant non adulterari: tu autem sequere me, ut ne concupiscas. Habes, *Non perjurabis* (*Levit*. 19. 12): trade hoc gentibus, ut discant non perjurare: tu autem sequere me, ut non jures. Habes, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod*. 21. 24): trade hoc gentibus, ut nihil mali patientes inferant mala: tu autem sequere me, ut qui te percusserit in maxillam unam, praebeas illi et alteram. Habes, *Ut odias inimicos, et ut diligas amicos* (*Levit*. 19. 17. 18): da hoc pauperibus gentibus absque omni justitia, qui nec amicis suis bonam conscientiam servabant: tu autem sequere me, ut etiam inimicos diligas, quoniam haec omnia pauperes debent habere, ut consoletur vita eorum in ipsis. Incipientium sunt omnia illa, non perfectorum. Si ergo haec omnia tradideris pauperibus gentibus, et sequutus me fueris, per haec majora, quae dixi, manifestum est, quia omnia illa a juventute servasti, et proficiens in senectute tua quae juvenum erant evacuasti. Si autem per haec majora me sequi nolueris, manifestum est, quoniam omnia illa non solum a juventute tua non custodisti, sed nec modo etiam in senectute tua conservas. Quomodo autem potest fieri, ut sterilis ejus sit senectus, cujus fecunda fuit juventus? Nec est possibile, ut non crescat in illo bono, qui coepit ab ipso bono. Nam non stat eum in suo statu pejorem fieri, sed necesse est, ut exercitatus semper crescat ad melius. 22. *Ille autem, his auditis, tristis abiit: erat enim habens multas possessiones.* Nam vere propter duas causas Judaicus populus recessit a Christo. Aut propter peccata sua, quia numquam servaverat Dei mandata, sicut Dominus ad Nicodemum loquens testatur, dicens: *Qui autem non credit in Filium Dei, jam judicatus est. Hoc autem judicium est, quoniam lux venit in hunc mundum, et homines magis amaverunt tenebras, quam lumen: erant enim opera eorum mala. Omnis enim qui malum agit, non venit ad lumen, ne manifestentur opera ejus* (*Joan*. 3. 18-20). Aut propter lucra carnalia quae conferebant ei consuetudines legis: sicut ostendit parabola, in qua se invitati excusaverunt propter villam, propter boves, id est propter lucra carnalia. Nam sacerdotes quidem non venerunt ad Christum, ne

Commented [p196]: Col.810

sacrificiorum lucra amitterent: populus autem, quia per sacrificia (ut putabat) delebantur peccata eorum. Qualis autem emundatio fit in eo, qui in sanguine animalium veniam consequitur peccatorum? Quantum enim dolet de occisione animalium, tantum et emundatur populus. Propterea dicit propheta: *Si voluisses, sacrificium dedissem, utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal*. 50. 18. 19), etc. Quomodo autem populus Judaicus tristis secundum animam abiit a Christo, intelligit qui considerat quae est laetitia spiritualis. Laetitia enim cordis est bonam conscientiam habere ad Deum, et spiritualiter esse gaudentem, ac propter hoc non desperantem. Quomodo autem poterat populus ille habere bonam conscientiam ad Deum, et spiritualiter esse gaudens, qui intelligens Christum per opera ejus esse Filium Dei, propter peccata sua, aut propter lucra carnalia legis contemnens Christum, maluit esse in corporalibus possessionibus legis, quam in gratia Christi? Ideo autem et abeunte illo Dominus dicit: 23. *Quam difficile dives intrabit in regnum caelorum.* 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.* Quoniam facilius gentes, quae fuerant tortuoso animo, intraturae fuerant per angustum ostium regni caelestis, quam Judaei qui divites videbantur. Divites autem erant Judaei in lege, in prophetis, caeterisque patriarchis, in Scripturis divites, in templo, in sacerdotibus, in Levitis, in sacrificiis, caeterisque dispositionibus ad religionem pertinentibus: quae omnia non illos aedificaverunt in sanctitate, sed inflaverunt superbia. Apud se quidem delectabantur servire diabolo, coram aliis autem volebant apparere Dei cultores. Gentium autem animae assimilatae sunt tortuosis camelis, in quibus gibbus idololatriae ipsorum erat: quoniam cognitio Dei erectio est animarum. Unde et homines, quia acceperant a Deo scientiam Dei, erecti creati sint: animalia autem, quoniam non habent scientiam Dei, in natura prona sunt facta, id est, incurvata. Sic et idololatria, quae videtur esse erectio eorum, id est, religio, potius depressio est animarum. Nam sicut prae omni justitia operum major est justitia, cognoscere Deum: sic prae omni peccato majus peccatum est, idola adorare. Sicut ergo gibbus cameli, qui videtur esse erectio sublimitatis corporis ejus, ipse est magis depressio ejus, et deformitas: ideo nec collum ejus sursum erigere potest gibbo depressus: sic idololatria gentium, quae videtur illis esse maxima res, spiritualis justitiae religiositas, et erectio animarum illorum, ipsa est magis iniquitas, et incurvatio, et depressio animarum ipsorum. Ideo enim nec caput animarum ipsorum sursum erigere possunt ad Deum, nec ad Dei notitiam pervenire, depressi idololatria sua. Et quemadmodum supra dorsum omnium jumentorum non stat sarcina, nisi fortiter fuerit colligata ad ipsum: supra camelum autem etiam sine recolligatione repausat: nam ipse gibbus sarcinam tenet in se, aptus est enim ad pondera bajulanda: ita in caeteris quidem peccatoribus tamen Deum cognoscentibus. Omnes enim peccatores jumenta dicuntur, sicut dictum est: *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal*. 35. 7). Non stat sarcina peccatorum in corde ipsorum, nisi cum magna violentia et virtute diabolus tenuerit in corde ipsorum, alligans eam delectationibus. Ipsa enim cognitio Dei excutit a se pondera peccatorum, nisi hoc modo, quo diximus, fuerint colligata. In gentibus autem sine labore diabolus tenet peccata: quia non est illis cognitio Dei, quae excutiat pondera, peccatorum, sed idololatria ispa, quasi gibbus, retinet in se universa peccata: apta est enim ad bajulanda pondera peccatorum. Dum enim sciunt gentes idola sua neque videre, neque audire, neque intelligere quae aguntur, neque irasci, neque vindicare posse: non solum non se abstinent ab idololatria, et non se convertunt ad verum Deum, sed quotidie magis addunt peccata, sicut ait Salomon: *Peccator adjiciat ad peccandum* (*Eccli*. 3. 29). Deinde

Commented [p197]: Col.811

omnia animalia quamvis libenter terram aspiciant, semper tamen, quando volunt, possunt tollere collum suum ad caelum: solus camelus autem numquam potest sursum tollere collum suum, gibbo depressus: sic omnes peccatores libenter quidem semper terrena aspiciunt, tamen quandocumque volunt, possunt convertere se ad caelestem justitiam: gentes autem nullo modo possunt explicare se, et ad divina convertere, idololatria sua curvati, et excaecati. Ideo sicut camelus neque deorsum recto collo aspicere potest, sicut caetera animalia, neque sursum recto collo aspicere potest, sicut homo, sed inter sursum et deorsum caput ejus pendet in medio: ita et gentiles neque animalibus assimilantur ad plenum, neque hominibus similes sunt. Propter humanum et rationalem intellectum suum hominibus non sunt similes, quia numquam caelestia, sed terrena semper attendunt. Deinde sicut omnia animalia aequalia habent crura corporis sui (quantum enim habet altitudinis corpus uniuscujusque animalis, tantum pene altitudinis habent et pedes eorum, aut modice amplius: prae omnibus autem animalibus multo amplius camelus altiores habet pedes quam corpus, homo autem aequales habet corpori suo pedes): sic omnes viri justi, secundum quod sunt, talia proposita habent, cogitationes et actus. Pedes autem sunt proposita, quibus de re transeunt ad rem: unde et propheta dicebat: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal*. 130. 1). Item Apostolus: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me* (2. *Cor*. 12. 6). Peccatores autem majora proponunt, quam sunt: proposita sua, et cogitationes, et actus majores faciunt, quam habent virtutes, ut semper majores videantur esse, quam sunt: maxime autem gentiles qui super istam jactantiam, quam habent omnes homines peccatores et mundiales, etiam ad secreta caelestia extenderunt proposita sua, et cogitationes, et actus, volentes se ostendere supra quam erat natura ipsorum humana. Adhuc et alia ratione gentes assimilantur camelo, quoniam nec camelus ad plenum immundus est, nec ad plenum mundus. Mundus quidem est, quia revocat et ruminat: immundus autem, quia non habet duas ungulas fissas: sic et gentes, quoniam vacuae sunt, nec mundae ad plenum. Mundae quidem fuerunt, quia et tractabant quae Dei erant: id est, ruminabant, et conversabantur rationabiliter pene secundum Deum: sed conversationem, quae pes est, non habent divisam in duo, id est, et in fidem, et in opera, sed habent opera tantum. Et sicut cameli pes ambulantis non dissipat terram, sed cum sit mollis, concordat ei, et complectitur eam: sic et conversatio Gentium, quamvis non esset bona, non erat dissipans terram, hoc est, carnalem naturam, sed conveniens erat naturae carnali, et secundum voluntatem ipsius erat. Ut autem manifestum fiat quod dicimus, accipiamus exemplum quod dicitur apud Job de intelligibili equo et bellatore, hoc modo: *Qui in iracundia*, inquit, *demolitur terram* (*Job* 39. 21). Qui ergo intelligibilis et bellator equus Christi est, ipsum in se portans sessorem, omne opus bonum et spirituale, quod agit, in iracundia agit, naturae suae irascens carnali, in eo quod displicet ei malevolentia carnis: et adversans ei in destructionem carnis suae agit quod agit, et dissipat carnem suam. Nam si quis spirituales virtutes exsequitur, propria mortificat membra: quanto magis et dissipat, id est, demolitur terram? Gentiles autem etsi bona opera faciebant, tamen quia non propter Deum faciebant, sed aut propter aestimationem humanam, aut propter futuram nominis memoriam, aut propter hoc solum, quia bonum facere, bonum est: ipsa conversatio ipsorum non dissipabat naturam carnalem, quia hoc ipsum bonum, quod propter vanum aliquid fit, et non propter Deum, secundum carnem est, et secundum voluntatem naturae carnalis, et non est contrarium naturae carnali, propter quod nec dissipat eam. Acus autem

Commented [p198]: Col.812

est verbum Dei, quod est Filius Dei ipse: cujus prima pars subtilis est, atque acuta. Subtilis secundum causam divinitatis ipsius, acuta autem secundum causam incarnationis ejus. Tota recta, et nullam habens deflexionem, aut scrupulum, per cujus vulnus passionis Gentes jam ingressae sunt vitam aeternam, qui vulnera consuere solus potest, a quo consuta est immortalitatis tunica, quae olim conscissa erat super Adam. Ipsa est acus, quae spiritui consuit carnem, ulterius separare se non potentem. Haec acus Judaicum populum junxit simul et Gentium, de quo dicit Apostolus: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes*. 2. 14). Haec est acus, quae diruptam amicitiam angelorum et hominum copulavit. Haec est acus, quae configit et pertransit, et vulnus non facit. Et ut quid difficile populus Judaicus intrat in regnum caelorum? Primum, sicut diximus, propter carnales usus: quoniam lex corporalia habet lucra, et praesentia: Christus autem spiritualia promittit et futura. Apud carnales autem homines semper praesentia praeponuntur futuris, et spiritualibus corporalia. Et non solum sacrificiorum usus erat carnalis, sed et omnis promissio legis corporalis erat et terrena. Si enim Christianis suadere non possumus, divitias contemnere oportere: dicunt enim nobis, Si noluisset Deus homines habere divitias, non creasset eas in mundo: quanto magis difficile erat populo Judaico diviti secundum homines persuaderi, ut derelinqueret divitias legis et totius Judaici cultus, quas a Deo susceperat? Dicebant enim: Si Deus voluisset legem contemni et templum, illa omnia cum tanta ratione et diligentia non tradidisset. Populum autem gentium, id est, camelum, facile erat per foramen acus transire, id est, per angustum ostium, de quo scriptum est: *Contendite intrare per angustum ostium* (*Luc*. 13. 24). Quare? Quia omnis cultura gentium vana et irrationabilis erat. A cultura autem irrationabili homines rationabiles non erat magni laboris ad cultum Dei vivi convertere. Et si gentes cum tanto labore ab irrationabilibus deorum suorum divelluntur culturis: quanto magis Judaei difficilius evelluntur a rationabilibus Dei culturis? Ideo dixit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum*. 25. *Turbati autem sunt discipuli ejus, dicentes: Et quis potest salvus fieri?* 26. *Quibus respondit: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Et vere, quantum ad homines, et incredibile et impossibile fuit populum Judaeorum posse salvari, qui post tot peccata actuum iniquorum, post tantas idololatrias, post tot prophetarum occisiones, novissime etiam ipsum Dominum caeli et terrae quantum ad se occiderunt: sed apud Deum possibile factum est. Quoniam autem possibile fuit Deo salvare Judaicum populum, multas in lege divitias possidentem, credentium Judaeorum multitudo testatur, sive per ipsum Christum, sive per apostolos ejus: ut bonitatis illius investigabile pelagus humana aestimatio non apprehendat, sed victa miretur. Tamen quia dixit Dominus, *Apud homines hoc impossibile est*, quantum ad humanam naturam, apud Deum autem possibile: ecce subito excitatur Petrus, unus de populo divite, et ex persona difficile credentium Judaeorum, et clamat quasi testis potentiae Dei factus, et confirmat Christi promissionem, et dicit: 27. *Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quoniam autem et ipse Petrus et omnes apostoli et caeteri credentium Judaeorum contra possibilitatem humanam per Dei potentiam crediderunt in Christum, ipse testatur dicens ad Petrum: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est* (*Matth*. 16. 17). Sermo iste convenit ad omnes, ut singulis quibuscumque dicatur: Quoniam beatus es tu, quia non revelavit caro et sanguis tibi, sed Pater meus qui in caelis est. 28. *Jesus autem dixit eis: Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede*

Commented [p199]: Col.813

majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Futurum autem erat, ut in die judicii responderent Judaei: Domine, non te cognovimus Filium Dei in corpore constitutum. Quis enim hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum? solem in nube celatum? quis suspicabatur stellam matutinam nasci super terram? quis putabat mulierem, quae clausit paradisum, ut nemo intraret in eum, ut ipsa fieret prima porta paradisi, ut per illam lux prodiret per quam tenebrae intraverunt? Ergo in injuriam tuam non nos impulit contumacia cordis, sed decepit consideratio carnis. Vos respondebitis eis: Et nos homines fuimus sicut et vos, similem habentes animam, eamdemque carnis naturam, et in uno viximus mundo, eisdem factionibus mundialium spirituum periclitantes, ipsis protectionibus Dei adjuti: in hoc etiam vos meliores fuistis nobis, quoniam nos fuimus homines peccatores et rustici, et obscuri in plebe, vos autem sacerdotes et scribae, et principes populi. Nos illum cognoscere potuimus homines peccatores et rustici: et vos eum cognoscere non potuistis sacerdotes et scribae, qui habebatis Scripturas prae oculis vestris quasi lampades et semitas? Nos antequam mirabilia ejus videremus, intelleximus eum: vos autem vel post testimonia cunctarum virtutum intelligere non poteratis? Quomodo poterat fieri, ut pene tota gens ignoraret, quem duodecim cognoverunt? Esto, quia non ei credidistis, nescientes eum Filium Dei: qua causa interfecistis eum, nullam culpam invenientes in eum? Sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna rusticitatis nostrae: in vobis autem malitia facta est quasi caligo scientiae vestrae: Adhuc autem audeo et subtiliorem introducere sensum, et sententiam alterius sapientis cujusdam viri referre. Exponit enim sic: Quoniam sicut Judaeorum populus in duodecim tribus fuit divisus, sic et universus populus Christianus divisus est in duodecim tribus secundum quasdam proprietates animorum et diversitates cordium, quas solus Deus discernere et cognoscere potest: ut quaedam animae sint quasi de tribu Ruben, quaedam autem de tribu Simeon, vel Levi, vel Juda. Puto enim, quia omnes sancti quinque virgines prudentes esse dicuntur, quamvis sint innumerabiles, propter quinque sensus spirituales: et omnes peccatores, quinque virgines fatuae, quamvis innumerabiles sint, propter quinque sensus carnales. Et sicut omnes Ecclesiae Christi septem Ecclesiae dicuntur propter septem spiritus, quamvis sint multae. Omnes enim, in quibus prae caeteris virtutibus abundantior est sapientiae virtus, una habetur Ecclesia; item in quibus prae caeteris virtutibus abundantior est intellectus, altera dicitur Ecclesia: et sic per singulos spiritus tractans invenies septem Ecclesias. Similiter et propter gratias duodecim, quas in persona duodecim virginum exponit angelus in Pastore, si tamen placet illa scriptura omnibus Christianis, inveniuntur duodecim esse tribus: utputa, omnes animae, in quibus prae caeteris virtutibus praecellit virtus veritatis, una est tribus. Nec enim omnes gratiae aequaliter in omnibus sunt, sed unus quidem amplius praecellit in ista, alter vero in illa. Omnes autem Christiani in quibus habitat Christus, sedes sunt Christi. Quod ergo ait: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, et vos sedebitis super duodecim thronos*: promittit eis tempus Christianitatis futurum post ascensionem suam, quando omnes suscipient verbum apostolorum in se, sicut verbum Christi. Illud est enim tempus regenerationis, quando homines regenerati per baptismum, facti sunt ex filiis hominum filii Dei. Illud est tempus, quando Christus sedet in sede majestatis suae, sicut testatur propheta de gentium fide futura: *Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam* (*Psal*. 46. 9). Nos putabamus, quia de die judicii hoc dicit. Quicumque enim Christum credendo in se suscipiunt, sedes sunt majestatis ejus. Et vide quia non de tempore futuri judicii dicit, sed

Commented [p200]: Col.814

de vocatione gentium universarum. Non enim dixit, Cum venerit Filius hominis, sedens super sedem majestatis suae: sed ita, *Cum sederit in sede majestatis suae.* In sede autem majestatis suae ex eo coepit sedere, ex quo gentes credere coeperunt in eum. Ex quo ergo Christus sedit super sedem majestatis suae, ex eo et apostoli sederunt super duodecim thronos, id est, in omnibus Christianis secundum diversitates animorum, quas supra tetigimus. Omnis enim Christianus, qui suscipit verbum Petri, thronus fit Petri, et Petrus sedet in eo: sic et omnium apostolorum throni sunt, qui omnium apostolorum doctrinam susceperunt et tenent in se. Hanc interpretationem de diversis tribubus populi Christiani, et de sessuris apostolis in sedibus commendat propheta, dicens: *Jerusalem, quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, quia illic sederunt sedes in judicio* (*Psal*. 121. 3-5). Si ergo Jerusalem, quae aedificatur, Ecclesia est: sine dubio et qui ascenderunt illic tribus, Christianorum sunt tribus: et sedes, quae sederunt illic, apostoli sunt, apostoli enim sedes Dei sunt. Nec modica gloria est apostolorum, ut sermones eorum sedeant in hominibus fidelibus, sicut Christi sermones: et in sermonibus eorum vita omnium constat, sicut in sermonibus Christi. Sic ergo sedentes apostoli in thronis Christianis, in duodecim partes distincti secundum differentias animarum, judicant duodecim tribus Israel, id est, omnes Judaeos. Quando enim per verbum apostolorum, quod est in nos, judicare videtur Judaeos: quando autem verba apostolorum judicant Judaeos, et ipsi apostoli judicare eos videntur. Sed videndum est, si omnes Christiani et apostolorum sunt sedes et Christi, quare omnes Christiani in persona quidem Christi quasi una sedes dicuntur. Nec enim dixit, Cum sederit Filius hominis super sedes suas: sed, *Super sedem suam*. In persona autem apostolorum, duodecim throni esse dicuntur omnis populus Christianus. Vide si habet rationem ista solutio, quoniam omnes apostoli omnia quidem bona habuerunt, non autem omnia ad perfectum, sed unusquisque eorum in aliquo bono privato magis perfectior fuit quam alter: utputa Petrus in fide perfectior quam caeteri, Joannes autem in innocentia simplicior quam caeteri, et sic solus potest discernere Christus, qui animarum differentias novit. Ideo Petrus requiescit in fide, Joannes requiescit in innocentia: et uniuscujusque apostoli virtus illa est thronus, in qua perfectior caeteris fuit. Christi autem omnes virtutes quasi una est sedes, quia in omni virtute ille aequaliter solus perfectus est. Nam quoniam de retributione in hoc mundo apostolis danda loquitur Christus, illud est testimonium quod sequitur, hoc modo dicens: 29. *Et omnis qui reliquerit hoc et hoc, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Id est, Non solum vos, sed et omnes, qui sequuti fuerint me, sicut vos. Si ergo omnes in hoc saeculo centuplum accipient, recipiunt sine dubio et apostoli etiam in hoc saeculo, quibus merces futura promittebatur. *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres*, etc. Quoniam Petro interrogante ex persona apostolorum caeterorumque fidelium Judaeorum, quasi priori omnium Christus ita promisit, non soli Petro, sed apostolis omnibus, ne forte postmodum legentes homines haec Christi promissa, aestiment tantum apostolis vel Judaeis promissa, utiliter superaddit dicens: *Et omnis qui reliquerit*, id est, sive Judaeus, sive gentilis. Et in aliis quidem evangelistis secundum alium exposuimus intellectum. Hic autem secundum quod adolescentem illum proposuimus in mysterio Judaici populi esse, et ipsum Petrum interrogantem in mysterio credentium populorum, interpretatio hujus loci convenit talis, ut de gentibus relinquentibus omnia, quae gentilium sunt, et ad fidem Christi confugientibus omnia ista tradamus: id est, et omnis non solum Judaeus, sed etiam gentilis, qui reliquerit patrem suum diabolum, et matrem suam ignorantiam, per quam

Commented [p201]: Col.815

assidue diabolus ex semine interdicti erroris generat filios, aut fratres, aut sorores, videlicet ejusdem erroris socios sociasque. Aut si reliquerit ille, qui fuit sacerdos, idololatriam ipsam conjugem suam, per quam quotidie generabat filios et filias, et ipsos pariter cum matre eorum relinquens. Aut si alicujus professionis magister, relinquens ipsam professionem, quasi agrum fructiferum, credat in Christum: aut dignitatem saecularem, quasi domum optime se adumbrantem despiciat propter fidem. Sed et secundum traditionem simplicem convenit intellectus: ut cum quis intellexerit quocumque modo Filium Dei esse Christum, non propter affectus parentum suorum, aut fratrum, aut filiorum, aut possessionum relinquat Christum, manens in perfidia sua priori, sed propter fidem Christi displiceant omnia illa, et sequatur Christum, centuplum accipiet. Sed hoc videamus, qui reliquerit omnia, centuplum in hoc saeculo quomodo recipere potest? Haec autem difficultas contingit, quia in hoc saeculo recepturos dicit alter evangelista; alioquin in illo saeculo non est difficile. Ergo secundum sanam doctrinam ita nos convenit intelligere quod dicit, *Centuplum accipiet* (*Marc.* 10. 30): non ut ipsam rem, quam dimittit, centuplum accipiat. Nec enim possibile est, quod patrem aut matrem relinquens, centum patres aut matres recipiat, sed ita, tantam gloriam, tantam gratiam, tantam mirificam beatitudinem consequetur, ut centuplum valeat illi, quam res fuit, quam dimisit. Ecce qui reliquerit patrem, et elegerit sibi patrem Deum, imo ei plus quam centuplum constat recepisse quam pater carnalis, ut illi obsequatur diebus ac noctibus? illius faciat voluntatem, illius exspectet hereditatem, qui postquam substantiam suam tradiderit suis, numquam moritur; sed nec relinquet filios suos orphanos: sed et filii quasi perfecti viri possident divitias ejus, et pater semper illos sic tutatur, sic protegit, quasi semper infantes. Qui matrem relinquit, ut diligat magis matrem Ecclesiam, nonne ei plus est centuplum quam mater carnalis? Illa enim carnem ejus peperit corporalem, haec autem animam ejus regeneravit aeternam. Qualis caro, talis et mater carnalis. Cum enim mortua fuerit caro, perit generatio carnis ejus, et solvitur generationis affectus. Ex illo enim nec ille illi filius, nec illa illi mater: quia anima nec generat, nec generatur, et nullum cognoscit patrem, nisi eum, cujus voluntate creata est: nullam cognoscit matrem, nisi Ecclesiam, quae illam regeneravit in fide, quae dedit ei mandata divina ex duobus Testamentis, quasi escam salutarem dulcissimi lactis, ex duabus mamillis, quae illi de aqua et spiritu texuit tunicam immortalem, quae illum ad perfectum sanctitatis adduxit, ut dignus fieret Patris sui substantiam possidere. Qui reliquerit fratrem, ut habeat Christum fratrem, nonne melior est ei, quam centum fratres, qui fratribus suis non invidet, qui super hereditate non certat, qui propter lucrum non rumpit fraternitatis affectus, qui non solum omnia sua, sed etiam seipsum dare paratus est: qui cum omnia dederit, nihil ei minuitur? Nam humana substantia semper pauper est, et quantumvis homo habuerit, nihil se putat habere. Illa autem substantia sola vera est, quae omne desiderium satiat, et adhuc superabundat. Qui relinquit sorores, statim eum suscipiunt gratiae Dei, quasi carissimae sorores. Non enim ulla soror sic dulciter complectitur fratrem suum, quomodo gratiae Dei complectuntur animam sanctam: nam quotiens gratiae Dei in sensibus nostris haerent, et delectant nos, quotiens animas nostras complectuntur, quasi osculari videntur. Si filios dimiserit, providet illi Deus filios spirituales, quos doceat, quos erudiat, et quibus dicat apostolica voce: *Nam in Christo Jesu per evangelium ego vos genui* (1. *Cor*. 4. 15): qui patris mortem non exspectant. Nam filii carnales, si modicum pater eorum fuerit senex, taediantur de vita ipsius; desiderant eum mori: et si cito mortuus non fuerit, contemnunt eum quasi delirum. Filii autem spirituales quanto perfectiores fuerint in fide, tanto

Commented [p202]: Col.816

amplius diligunt doctorem suum. Si dimittit substantiam, ab omnibus diligitur, ab omnibus honoratur, a quibusdam autem et timetur. Nam ipse Deus, cui se tradidit, dat ei gratiam coram omnibus. Nonne melius est ei hoc, quam universa terra? aut quae substantia praestat homini tantam gloriam super terram, quanta est opinio sanctitatis? Adhuc pro substantia terrena datur ei substantia spiritualis, quam junior filius et lascivus accepit a patre suo, et consumpsit vivendo luxuriose, id est, sapientiam, scientiam, caeterasque virtutes innumerabiles, quas consequuntur qui relictis facultatibus mundialibus se tradiderunt Deo. 30. *Multi enim erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Prima enim synagoga vocata fuerat ad salutem, sed illa infidelitatis vitio aegrotante, in domo patris sui, id est legis, Ecclesia surgens de infirmitate peccatorum suorum cucurrit ad Christum, vincens fide languorem, et sic transmissam gratiam synagogae praeripuit. Synagoga autem videns Ecclesiam non solum ab infirmitate sua sanatam, sed etiam accepto Spiritu sancto filiam Dei factam, accessit et ipsa ad Christum, magis zelo urgente quam fide: sicut dicit Apostolus, *Sed eorum delicta salus gentibus, ut illos aemulentur* (*Rom*. 11. 11). Sic synagoga, quae primo loco vocata est, secundo credidit: Ecclesia, quae secundo vocabatur, salutis primitias obtinuit apud Deum.

Homilia xxxiv. ex capite xx. (col.816-22)

1. *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* 2. *Conventione autem facta cum operario ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* 3. *Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,* 4. *et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis*. 5. *Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa horam sextam et nonam, et fecit similiter*. 6. *Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?* 7. *Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam.* 8. *Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos*. 9. *Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios*. 10. *Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios*. 11. *Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,* 12. *dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus?* 13. *At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?* 14. *Tolle quod tuum est, et vade. Volo autem et huic novissimo dare si ut et tibi*. 15. *Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* 16. *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Homo paterfamilias Christus est, cui caeli et terra quasi una est domus: familia autem quasi caelestium et terrestrium multitudo creaturarum, qui quasi tristegam domum aedificavit, id est, inferos, caelum et terram, ut super terram habitarent certantes, in inferno autem victi, in caelo victores: ut et nos, in medio constituti, non contendamus ad eos descendere, qui sunt in inferno, sed ad eos ascendere, qui sunt in caelo. Et ne forte nescias quid debeas fugere, aut quid debeas sequi, utriusque dedit tibi quasi modicum gustum inter lumen et tenebras habitanti: noctem de inferno, lumen de caelo. Nox tibi referat de tenebris inferorum, et lux tibi referat de splendore caelesti. *Conducere operarios in vineam suam*. Quae est vinea Dei

Commented [p203]: Col.817

hic? Non homines, sicut alibi: homines enim vineae cultores dicuntur. Vinea enim justitia est, in qua diversae species justitiarum positae sunt, quasi vites: utputa, mansuetudo, castitas, patientia, longanimitas, caeteraque innumerabilia bona, quae omnia generaliter justitiae appellantur. Attendamus ergo, cum quali studio caelestem vineam colamus. Adam enim positus est in paradiso, colere et operari eam: sed quia neglexit eam, projectus est de ea. Et nos positi sumus super colendam justitiam; si neglexerimus, projiciemur de ea, sicut et Judaei projecti sunt: de quibus scriptum est: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ut non intrent in tuam justitiam* (*Psal*. 68. 28). Ruina praecedentium admonitio debet esse sequentium. Si autem et nos sequentes ceciderimus in ipsam, magis veniam merentur illi, qui primi ceciderunt, quam nos qui secundi. Sicut autem mercenarius positus in vinea, si neglexerit eam, non solam mercedem suam perdet, sed etiam desertae vineae exigetur ab eo damnum: sic et nos, si neglexerimus justitiam nobis commissam, non solum nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatae justitiae dabimus rationem. Vinea enim Dei non extra nos, sed in nobis ipsis plantata est. Ideo qui peccatum facit, dissipat in se justitiam Dei: qui autem bona opera facit, colit eam in se. Bene autem culta justitia Dei in sensibus tuis generat botryonem, id est, Christum. Nam qui operantur justitiam, Christum formant in se, sicut scriptum est: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal*. 4. 19). Et qui vineam consignat alicui operandam, non tantum propter illius utilitatem consignat, quantum propter suam: Deus autem justitiam suam dans in sensibus nostris, non propter suam utilitatem dedit eam, sed propter nostram. Nec enim Deus opera hominum necesse habet, sed ut nos operantes justitiam, vivamus propter eam. Si ergo ille, qui propter suam utilitatem vineam commisit alicui, talem illam quaerit recipere, qualem illam commisit, quomodo non a nobis sic immaculata justitia requirenda est, quomodo eam creavit in nobis, quibus non propter se dedit eam, sed propter nostram salutem? Scitote quia mercenarii sumus conducti. Si ergo mercenarii sumus, cognoscere debemus quae sunt opera nostra. Mercenarius enim sine opere non potest esse. Opera autem nostra sunt opera justitiae: non ut agros nostros colamus, et vineas: non ut divitias acquiramus, et congregemus honores: sed ut proximis prosimus. Et quamvis haec sine peccato facere possumus, tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo ideo sic conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet: sic et nos non ideo vocati sumus a Christo, ut haec sola operemur, quae ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solum facit quod manducat, sine causa ambulat in domo: sic et nos, si sola haec facimus, quae ad nostram pertinent utilitatem, sine causa vivimus super terram. Et sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: sic et nos si mercenarii Christi sumus, primum debemus aspicere quae ad gloriam Dei pertinent proximique profectum (quia caritas et verus amor erga Deum non quaerunt quae sua, sed ad libitum amati cuncta desiderant perficere), deinde quae ad nostram utilitatem. Et sicut mercenarius totum diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum: sic et nos omne tempus vitae nostrae debemus impendere circa opus gloriae Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut si mercenarius qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, et petere sibi panem: quomodo tu non confunderis intrare in ecclesiam, et stare ante conspectum Dei, quando nil boni in conspectu Dei gessisti? Exiit primo mane, et vocavit Adam, et qui cum eo fuerunt. Hora tertia Noe, et qui cum eo fuerunt. Hora sexta Abraham, et qui cum eo fuerunt. Hora nona Mosen, et qui cum eo fuerunt: aut David, et qui cum eo fuerunt. Nam ad istos posuit

Commented [p204]: Col.818

testamenta. Hora undecima Gentes intellige, quia jam nos in novissima mundi margine stamus, sicut et Joannes in Epistola sua testatur, dicens: *Filioli, jam novissima hora est* (1. *Joan.* 2. 18): Apostolus autem dicit jam aliquam partem duodecimae horae transisse, sic: *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus* (*Rom.* 13. 11). Puta erat undecima hora. Nostro tempore, jam si non est duodecima hora integra, sed sine dubio modicum restat. In duodecima hora sumus. Unde putas, quia candor justitiae jam recessit de mundo, et sol radios gratiarum suarum in se colligens revocavit, et totam terram nigredo iniquitatum vel mendaciorum quasi nox fusca cooperuit, nisi quia jam et ipsa duodecima hora finiatur? Ubique tenebras vides, et dubitas diem transisse? Prius etenim in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat quin jam nox est? Sic primum in saecularibus et laicis Christianis incipit praevalere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando jam vides, quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes et colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa: quomodo dubitetur quia finis est mundi? *Item exiit circa tertiam, et vidit alios stantes in foro otiosos.* Videamus qui sunt otiosi. Non peccatores: illi enim mortui dicuntur, non otiosi. Sicut enim surdus apud Deum dicitur, qui non audit quae Dei sunt, sed quae diaboli: sicut caecus dicitur, qui non corporaliter caecus est, sed per cujus oculos diabolus videt, et non Deus: sic qui diabolo vivit, mortuus est apud Deum.

Otiosus quis. – Quis est ergo otiosus? Qui opus Dei non operatur. Puta, si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es. Nam quia aliena non tollis, non quidem peccas, tamen nec justitiam nec misericordiam operaris. Vis non esse otiosus? Nec aliena tollas, et de tuis des, et operatus es in vinea Domini, et coluisti misericordiae vitem. Inebriaris, in deliciis es, non es otiosus: sed, sicut ait Apostolus, vivens mortuus es (1. *Tim.* 5. 6). Si autem mensurate manducas et bibis, non quidem peccas, quia non male manducas; tamen otiosus es, quia nullam jejunii operaris vitem. Vis ergo non esse otiosus? Jejuna, et quod manducaturus fueras diurno, da impotenti, et coluisti jejunii vitem. Item fornicaris, mortuus es, non otiosus. Si autem tuam habes uxorem, non quidem peccas, nec tamen castitatis operaris vitem. Visque esse non otiosus? Sine uxore es, ne quaesieris uxorem. Si vidua es, noli transire ad secundas et tertias nuptias, et operata es castitatis vitem. Sed forte dicis, Sine uxore esse non possum. Ostendo tibi, ut uxorem habeas, et castitatis vitem colas. Abstine te a menstruata, abstine te a praegnante, erubesce facere quod animalia non faciunt. Omne animal conceptionis suae servat honorem et tempus: homo autem solus contemnit. Quando dies festus est, aut dies jejunii, serva ut impleas apostolicum praeceptum: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis jejunio et orationi* (1. *Cor.* 7. 5). Item si invides meliori, mortuus es, non otiosus: si autem nec invides, nec congaudes, otiosus es. Non solum ergo non invideas, sed etiam congaudeas meliori, et benevolentiae vitem colis. *In foro.* Forum est iste mundus, ubi omnia venalia sunt. Sicut enim proprium est fori, ut omnia illic venumdentur, et emantur, et invicem se circumveniant ementes et vendentes: sic in hoc mundo omnes vendendo et emendo vivunt, et invicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant. Inter emptores autem et venditores accipe tibi omnes divitias et honores saeculi hujus, quae et ipsae nihilominus et venduntur et emuntur, et omnis quaestus eorum in venditione seu mercatione consistit. Fuge ergo forum, ut nec patiaris fraudem, nec facias. Si autem passus fueris, ipsa res te compellit et facere. Nam si injuriam passus

Commented [p205]: Col.819

fueris, si nocitus fueris, difficile est, ut et tu adinvicem non noceas. Prima ergo laus est Christiano, alienum esse a foro, nullam causam habere cum illo, sicut ait Apostolus: *Rogo autem vos, studium habere quietis et silentii, ac negotii proprii operando manibus vestris: et nullius vestrum desiderium sit ad eos qui foris sunt* (1. *Thess*. 4. 10-11). Si enim in foro permanseris, et quod habes, perdes: si autem in vinea assiduus fueris, et quod non habes, acquires. *Item exiens circa sextam et nonam.* Ideo junxit sextam et nonam, quia in sexta et nona generatione vocavit Judaeos, et frequentavit cum hominibus disponere testamenta, quasi definito salutis omnium tempore jam propinquante. Nam post Noe ad neminem legimus Deum loquutum fuisse, nisi primum ad Abraham, post eum confestim ad Isaac et Jacob. Deinde non post multum temporis ad Mosen, cui et legem dedit. Post eum ad Jesum Nave. Transacto autem non multo post tempore, ad Samuelem et David, et in singulis quibusque generationibus ad multos prophetas, cum singulis testamenta disponens. Sicut enim quis in itinere constitutus, aut in opere quodam, ante sextam quidem non operatur, aut ambulat, sciens quia longus ei adhuc superest dies: transacta autem sexta, cum coeperit esse octava, aut nona incipit properantius agere, ut opus suum vel iter tempore definito concludat: sic et Deus usque ad Abraham, qui fuit in sexta hora, venit ad homines disponere testamentum: post Abraham autem usque ad transmigrationem frequenter properans, ut adventum suum in hunc mundum, et vocationem gentium definito tempore consummaret, quasi vespere jam propinquante. *Item exiit circa horam undecimam, et dixit: Quid hic statis tota die otiosi?* Vide quia ubique otiosos vocat, non peccatores. Denique considera, servus ille qui acceperat a domino suo unam mnam, ut quid audivit, *Serve nequam* (*Luc*. 19. 22)? ut quid missus est in tenebras? Quia perdidit mnam suam? aut quia nihil est lucratus de ea? Sine dubio quia nihil lucratus est de ea. Qui autem peccat, perdit gratiam quam accepit. Si ergo ille non est impunis in die judicii, qui otiosus stetit in foro, et nullam injustitiam operatus est: quid faciet in die judicii qui peccavit et mnam suam perdidit? *Quid hic statis tota die otiosi?* An nescitis, quia qui non operatur in hoc saeculo, non manducat in illo? Et qui aliis manducantibus et bibentibus in hoc saeculo operatur, in illo saeculo aliis jejunantibus ipse non jejunabit, sed recumbet cum Abraham, et manducabit de prandio vitae. Qui autem hic aliis operantibus stat otiosus, aliis recumbentibus in illo saeculo ipse expelletur foras. Dies enim iste, dies operationis est: dies autem ille, qui sequitur, dies est feriarum. *At illi dixerunt: Nemo nos conduxit.* Quae est conductio nostra, et quae conductionis merces? Promissio vitae aeternae. Quid est, *Nemo nos conduxit?* Id est, Nemo nos docuit, quia *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan*. 17. 3). Nemo nos conduxit, dicens: *Quicumque reliquerit domum, aut villam, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, centuplum accipiet* in hoc mundo, *et* in futuro *vitam aeternam possidebit* (*Matth*. 19. 29. *Marc*. 10. 29. 30). Nemo nos conduxit, dicens: *Vendite quae possidetis, et date eleemosynam, et habebitis thesaurum in caelo* (*Matth*. 16. 21). Et nota, quoniam illi, qui aut in prima hora vocati sunt, aut in tertia, vel in sexta, vel in nona, non responderunt, quia *Nemo nos conduxit*. Omnes enim illi conducti fuerunt, et habuerunt notitiam Dei, et sciverunt Dei promissa. Gentes autem solae neque Deum sciebant, neque Dei promissa, ideo excusabiliter responderunt, *Nemo nos conduxit. Et dixit eis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis*. Nota quia cum primis solis convenit specialiter dare denarium, istos autem omnes sub incerto pacto conduxit, id est, *Quod justum fuerit.* Sciens enim Dominus quia praevaricaturus erat Adam, et omnes postmodum in diluvio fuerant perituri, certum

Commented [p206]: Col.820

pactum fecit ad eum, ne quando dicant ideo se neglexisse justitiam, quia nesciebant quae praemia fuerant recepturi. Istis autem non fecit pactum. Benignus enim paterfamilias sciebat largitatem suam, quia tantum paratus est retribuere, quantum mercenarii recipere non sperabant. De dato enim ejus nemo juste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat. *Cum autem sero factum fuisset, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.* Considera quia sero, non autem mane reddit mercedem. Ergo adhuc stante saeculo isto judicium est futurum, et unicuique merces sua reddenda. Propter duas rationes judicium in hoc saeculo fit. Primum, quia illic ipsa beatitudo ventura ipsa est merces justitiae. Ideo non in illo saeculo fit judicium, sed ante illud. Deinde ante adventum diei illius praemittitur judicium, ne videant peccatores beatitudinem diei illius, dicente propheta: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (*Isai*. 26. 10). *Dicit procuratori suo.* Cui procuratori? Sine dubio Filius dicit Spiritui sancto. Et si volueris, concedo tibi ut Pater Filio dicat. [Non quaero utrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus sanctus Filii: sed hoc dico, quia procurator domus, et paterfamilias, nec ejusdem substantiae possunt esse, nec una persona esse, nec aequalis dignitas. Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias, quomodo locum habeat Ternitas tua? si autem ejusdem substantiae iste est, et est minor, injuriam facit substantiae: si vero non aequalis dignitas, ubi est una substantia?] *Incipiens a novissimis usque ad primos.* Quare non a primis usque ad novissimos, sed primum a novissimis? Attende, naturalis est ratio. Omnes namque, qui ante adventum Christi fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti, gentes autem ex gratia Christi. Semper libentius aliquid damus his, quibus pro solo honore nostro donamus. Ergo omnibus sanctis Deus reddens mercedem, justus ostenditur, gentibus autem dat misericordiam, dicente Apostolo: *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* 15. 9). Aut certe propter demonstrandam immensam misericordiam suam, sicut est ibi, ubi ait Apostolus: *Et nos qui vivimus, qui remansimus, non praeveniemus eos qui dormierunt* (1. *Thess.* 4. 14). Magis enim secundum rem erat, ut prius viventes immutarentur, postea mortui resurgerent incorrupti. Sed quia in convertendis viventibus una est virtus, hoc solum, quod ad immortalitatem mutantur: quod autem mortui incorrupti resurgant, duo sunt opera: primo, quia resurgunt; secundo, quia incorrupti resurgunt: ergo ut ostendat Deus inaestimabilem potentiam suam, quando, quod difficillimum est, mortuos suscitat incorruptos, postea viventes immutat. Sic et in hoc loco secundum rem quidem erat, ut primi priores acciperent suam mercedem: sed ut ostendat Deus ineffabilem misericordiam suam, primum novissimis et indignioribus reddit mercedem, postea primis: sicut illic potentia immutandorum hominum exclusit ordinem, ita et hic nimia misericordia ordinem non aspexit. *Cum venissent autem qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios.* Non injuste. Nam et qui in prima parte saeculi natus est, non amplius vixit quam statutum tempus vitae suae. Et quid illi nocuit, si post illius exitum stetit mundus? Et qui circa finem nascuntur, non minus vivunt, nisi quanti dies numerati sunt eis. Et quid illis prodest ad compendium laboris, si cito mundus finitur, cum ipsum pensum vitae suae compleant ante mundum? Deinde si in hominis esset potentia, quando nasceretur, prius aut postea: justa ratione primam habebit mercedem qui prius nasci voluit, secundam autem qui postea venit ad vitam; nunc autem cum in Dei sit potestate, quando hominem producat in mundum, nec ille sibi priorem honorem defendere debet, qui prius natus est,

Commented [p207]: Col.821

nec ille contemptibilior debet esse, qui postea. Dicit enim: Et si me prius creasset, prior eram. *Accipientes autem murmuraverunt adversus patremfamilias, dicentes: Quoniam hi novissimi una tantum hora fecerunt, et aequales illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et aestus?* Si verum est quod diximus, quia et illi suum tempus vixerunt, et non amplius: et isti suum tempus, et non minus: et unicuique mors sua consummatio est ipsius: quid est quod dicunt, *Totius diei pondus portavimus, et aestus?* Quia magna nobis est virtus ad faciendam justitiam, cognoscere nos oportet prope esse finem mundi. Unde armans nos Christus dicebat: *Appropinquabit regnum caelorum* (*Matth*. 4. 17). Item Apostolus: *Praeterit enim figura hujus mundi; volo vos sine sollicitudine esse* (1. *Cor*. 7. 31. 32). Si ergo nobis virtus est scire propinquum esse finem; nam quamvis usque ad finem illius vita nostra forsitan non extendatur, tamen quasi accendimur, et praeparamur ad suscipiendum finem: consequenter et illis infirmatio erat cognoscere mundi spatia esse longinqua. Et quamvis ante finem mundi in manu Dei essent ituri, tamen quodammodo negligentes eos faciebat circa justitiam, et refrigescere faciebat animas eorum exspectatio saeculi longioris. Ideo ergo quamvis non per omne saeculum vixerint, tamen totius saeculi gravamina et impedimenta pertulisse videntur. Item tunc mundus in juventute constitutus omnibus bonis prosperabatur, et felix erat: nunc autem mundus senescens omnibus adversitatibus premitur, et ideo concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum majori difficultate et labore justitiam servaverunt: quia ipsa felicitas mundialium rerum satis impedimentum est animae ad justitiam faciendam. Nunc autem facilius homines justitiam facere possunt, quia ipsa adversitas, et angustia mundialium rerum, adjuvat animam ad justitiam faciendam. Sicut facilius est homini pauperi, et in angustiis constituto disciplinam tenere, diviti autem et abundanti difficile: sic illis inter gaudia mundi difficile fuit tenere justitiam, nobis autem inter tribulationes mundi facile. Multum ergo tunc bonus erat, et fortis in fide, qui poterat evadere vanitatem, nunc autem multum injustus. Et modo multum malus est, et miser in fide, qui se non stringit ad Deum. Ergo pondus, quod dicit, opus justitiae significat: quia grave est homini carnali amare justitiam. Aestum autem dicit concupiscentias saeculi, quas tunc patiebantur mundo juventute florente. Ergo etsi non per omnem mundum vixerunt, tamen totius mundi impugnationem passi sunt: quia totius vitae virtus in juventute ostenditur. Aut pondus diei dicit onerosa legis mandata, propter quae et alibi Dominus hortatur Judaeos, et dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego vobis requiem dabo* (*Matth*. 11. 28). Aestum autem dicit vel urentem tentationem errorum, quam conflabant spiritus maligni in eos, ad aemulationem gentium eos irritantes: a quibus omnibus gentes liberae exstiterunt Christo credentes, et per compendium gratiae ad plenam salutem revertentes. Nam neque legis onera portaverunt, sicut Judaei, nec seductiones passae sunt diversorum errorum, quemadmodum illi. *At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam.* Ergo illi non dolebant, quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius quam merebantur acceperant. Hoc est enim proprium invidiae: quando alteri aliquid additur, sic dolent invidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum: utputa, si viderit fieri aliquem ditiorem, putat invidus se pauperem factum; si alter sapientior fuerit factus, ita dolet quasi ipse sit insipiens factus. Intelligis quia ex vana gloria nascitur invidia? Nam ideo dolet esse secundus, quia desiderat esse prior. *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Postquam superius de Judaeis et gentibus hanc ipsam dixisset sententiam, *Et qui erunt primi novissimi, et novissimi primi* (*Matth.* 19. 30): videlicet quia Judaei et in primo loco vocati

Commented [p208]: Col.822

sunt ante gentes, in secundo autem salvati sunt post gentes, introduxit parabolam istam. Et ut cognoscamus, quia ad manifestationem praecedentium verborum hanc parabolam introduxit, ideo in fine ejus eam ipsam sententiam repetiit, quam supra dixerat. Aut ideo primos dicit novissimos futuros, et novissimos primos, non ut novissimi digniores sint quam primi, sed ut coaequentur. Dicit enim propheta Isaias, volens omnium sanctorum unam ostendere vocationem, et nullam inter eos esse differentiam temporis causa, dicit omnium sanctorum numerum esse quasi coronam (*Isai*. 28. 5. *et* 62. 3). Sicut enim in corona, cum sit rotunda, nihil invenies quod videatur esse initium aut finis: sic inter sanctos, quantum ad tempus in illo saeculo, nemo novissimus dicitur, nemo primus. Ideo ergo quibus datum est primum nasci, novissime remunerantur. Et quia sancti quasi corona erunt aequales: qui novissime nati sunt, primi remunerantur, ut illi illam gloriam habentes, isti per hanc coaequentur. Quod autem dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, non ad superiores sanctos pertinet, sed ad gentes: quoniam ex ipsis gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi.

Homilia xxxv. ex capite xx. (col.822-32)

17. *Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis:* 18. *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte,* 19. *et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.* 20. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo*. 21. *Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* 22. *Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.* 23. *Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* 24. *Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus*. 25. *Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos?* 26. *Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* 27. *Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* 28. *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis*, et reliqua. Omnis gloria Dei, et omnis salus hominum in Christi morte posita est. Nulla enim est res quae amplius ad salutem hominum pertineat, quam mors ipsius. Nec est aliquid aliud, propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quam propter mortem ipsius. Ideo cum turba plurima fidelium eum sequeretur in via, duodecim apostolos solos tulit in secreto, et illis tantummodo mortis suae annuntiavit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Multi quidem viri erant cum eo, sed propter modicitatem fidei suae infirmi; multae mulieres, etsi in fide fortes, infirmae tamen in sexu. Si audissent quia ideo Christus ascendebat Jerosolymam, ut interficeretur, et viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei, et mulieres propter mollitiem suae naturae. Nam proprie animus mulieris mollis est, et in tali negotio citius excitatur in lacrymas. Non recordamur, quod superius cum de morte Christi Petrus audisset, dolore commotus non timuit ipsum Dominum increpare, dicens: *Propitius esto tibi, et hoc tibi non erit* (*Matth.* 16. 22). Si ergo Petrus in morte Christi turbatus est, cujus alterius fides posset sustinere tanti mali

Commented [p209]: Col.823

dolorem? si petra immobilis pene commota est, quomodo terra sufferret impetum tempestatis? *Ecce ascendimus Jerosolymam. Ecce*, contestantis est sermo, ut memoriam praescientiae hujus in cordibus suis recondant. Tamquam si dicat, Ecce nunc jam tertia vice praedico vobis mysterium passionis meae futurae, ut altius insideat mentibus vestris, frequentius repetitum.

Quare Christus discipulis passionem suam praenuntiavit. – Et quare illis praedicit passionis suae mysterium? Quia omnis adversitas, quae subito evenit hominibus extra spem, nimium gravis est: quam vero ante cognoscimus, et praeparamus nos contra eam, cum supervenerit exspectantibus nobis, levior invenitur, quam esset futura, si repentina venisset. Ideo ergo nuntiat illis de sua morte futura, ut cum dies ille passionis advenerit, non illos turbet cognoscentes, quia omnino erant ventura. Si enim totiens praemoniti apostoli de morte ejus futura, tamen quando comprehensus est, scandalizati sunt omnes, et reliquerunt eum: quanto magis scandalizandi fuerant, si praemoniti non fuissent? Numquid non se praeparaverunt, num statuerunt in animo suo ut non expavescerent? Si enim se non praeparassent, non promisissent una cum Petro dicentes, *Parati sumus tecum ire usque ad mortem* (*Marc.* 14. 31). Sed in illa hora fides eorum defecit, et praeparationem animae absorbuit timor carnalis. Vel ideo praedicit eis futurum, ut ab exitu cognoscatur praescientia ejus: ex praescientia autem ejus intelligatur divinitas ejus: consideratio autem divinitatis ejus confortet fidem ipsorum in tempore passionis ejus: ut totum illud quod patiebatur dispensationi voluntatis ejus applicarent, non necessitati naturae. *Ecce ascendimus*. Ac si dicat, Videte quia voluntarie vado ad mortem. Nemo me vocat Jerosolymam, nemo me admonet, nullius potestatis praeceptum timeo, nullius violentiae necessitate compellor. Cum ergo venerit tenebrarum potestas, cum videritis me in cruce pendentem, ne aestimetis me hominem esse tantum. Nam etsi posse mori, hominis est; tamen velle mori, hominis non est. Ut quid putas, ab itinere declinavit seorsum? Numquid non poterat in itinere constitutus haec eadem eis loqui, cum sint paucissima verba? Sed declinavit seorsum ab itinere, forsitan sciens quod ventura erat mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, ut peterent ea quae petierunt, et audirent ea quae audierunt, ut praepararet eis locum ad eundum, ad petendum, et ad audiendum. Forsitan enim et applicuerunt ibi, donec mulieres retro venientes occurrerent. Nec enim credibile est, mixtas cum ipso ambulasse mulieres, sed longo intervallo longe mulieres sequentes, et longo intervallo separati inter se ambulabant: Christus enim et discipuli sui primi, sequentes autem de longe mulieres. Sine dubio ergo nulla alia causa Jesus seorsum secessit, nisi ut illa adeundi licentiam inveniret. Sciebat enim cogitationes eorum, et consilia eorum, quae facere cupiebant: et non solum praedicens discipulis suis de sua passione futura, sed etiam aptans petituraе mulieri locum, praescientia sua divinitatem ostendit. Aliter: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad deludendum et crucifigendum, et tertia die resurget.* Ne putes quod tunc tantummodo Christus traditus est sacerdotibus et scribis, et condemnaverunt eum morte, et tradiderunt eum gentibus ad deludendum et crucifigendum: sed et nunc traditur, et morte damnatur. Et traditur gentibus ad deludendum et crucifigendum. Christus enim verbum est veritatis. Sicut enim tunc tradidit Deus Christum sacerdotibus et scribis, ad manifestandam fidem sanctorum, et perfidiam iniquorum: fidem quidem sanctorum, si forte fideles, videntes eum quasi hominem pati, non recedant, neque scandalizentur a fide divinitatis ipsius; ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si intelligentes eum esse Dei filium

Commented [p210]: Col.824

secundum testimonia Scripturarum, non timeant, sed ausi sint eum interficere quasi hominem: sic et modo tradit Deus verbum veritatis sacerdotibus et scribis, id est, sapientibus Scripturarum ad manifestandam fidem sanctorum, et perfidiam iniquorum: fidem quidem sanctorum, si forte videntes verbum veritatis a mendacio opprimi, quasi mendacium, non cadant neque scandalizentur a fide veritatis ipsius: ad manifestandam autem perfidiam iniquorum, si forte intelligentes verbum veritatis, quia vere verbum est veritatis secundum testimonia Scripturarum, ausi sint interficere eum cruce, verbis mendacibus. Quando enim vides Scripturas prophetarum, et Evangelii, et apostolorum traditas esse in manus falsorum sacerdotum et scribarum, num intelligis quia verbum veritatis traditum est principibus iniquis et scribis? Et sicut tunc sacerdotes, vel propter vanam gloriam, vel propter avaritiam, condemnaverunt Christum morte, cogitantes quoniam si tenuerint Christum, ipsi sacerdotes esse non poterunt secundum legem, nec solemnia illa lucra percipere: ita nunc impii sacerdotes et scribae verbum veritatis dignum judicant interire, cogitantes quia si verbum veritatis tenuerint, ipsi sacerdotes esse non possunt, nec sacerdotalia lucra percipere. Propterea tradunt eum gentibus, id est, populis ineruditis, et indisciplinatis, et barbaris, qui nec quaerunt, nec audiunt eum cum judicio, qui nomen habent Christianorum, mores autem gentilium. Tradunt autem veritatis verbum perversis expositionibus suis ad deludendum et crucifigendum. Deludunt enim verbum veritatis, quando simulant se sequi Christum, et disputant de eo sine Dei timore: non proposito inveniendae veritatis, sed studio subvertendae. Hoc autem modo deludunt verbum veritatis, non colunt. Crucifigunt autem eum, et interficiunt, quando falsa confessione mendacii, verbum veritatis suffocant, et occidunt in se. Et sicut tunc sacerdotes illi nullam culpam idoneam invenientes in Christo, falsam accusationem detulerunt adversus eum: sic modo nullam rationem idoneam habentes dicere contra verbum veritatis, falsa interpretantur de illo, et falsa proferunt testimonia prophetarum adversum verbum veritatis. Sicut enim tunc falsos testes subornaverunt adversus Christum, et sicut tunc sacerdotes quidem et scribae cognoscentes eum, quia vere Christus est, quasi hominem illum maleficum gentibus tradiderunt, gentes autem non cognoscentes eum esse Christum, deluserunt, et crucifixerunt eum, quasi hominem maleficum: sic et modo sacerdotes et scribae haereticorum, cognoscentes quia verbum est veritatis secundum Scripturas, quas legunt: tradunt eum, sicut diximus, populis et gentibus ad deludendum et crucifigendum. Populi autem per ignorantiam verbum veritatis deludunt, et crucifigunt, quasi mendacium. Sed ignorantia eorum non eos excusat, quoniam si vellent cum judicio quaerere, invenire poterant veritatem: sicut nec illos excusavit gentiles, quoniam et ipsi si quaerere voluissent, poterant invenire: quoniam non erat homo tantum, sed et Deus Christus: quoniam sicut tunc per signa virtutum suarum manifestabatur Christus, sic modo per signa operationum suarum verbum veritatis ostenditur. Christus leprosos mundabat, caecos illuminabat, surdos audire faciebat, mortuos suscitabat: ita modo qui vult cognoscere, ubi sit verbum veritatis, operum ejus signa consideret. Ubi enim verbum veritatis est vivum, unitum, atque divinum, ibi mundantur assidue homines a lepra peccati, et fit salutis eorum testimonium conversatio ipsorum, atque mens eorum. Qui audiunt verbum veritatis, illuminantur ad intelligenda divina mysteria: aures eorum interiores aperiuntur, ut libenter suscipiant divina praecepta. Quos hodie vides mortuos in peccatis, cras resurgunt in poenitentia, vivificati per verbum Dei. Ubi autem non vivum verbum veritatis, sed mortuum mendacium praedicatur inter eos; nihil horum fieri vides, sicut dat de illis

Commented [p211]: Col.825

testimonium vita ipsorum. Sed et post tres dies resurget in animabus credentium sibi, cum tres dies fuerint consummati in eis. Prima dies, Pater; secunda dies, Filius, secundum quod dictum est in propheta: *Annuntiate de die in diem salutare ejus* (*Psal.* 93. 2). Quis est autem dies alius de die, nisi genitus Deus de ingenito Deo? Consequenter et Spiritus sanctus tertia dies est, quoniam his tribus illuminantur corda credentium. In quibus ergo trium istorum scientiae fuerint consummatae, in eis veritatis verbum resurgit, et vivit et operatur. Sed nec resurgent, nisi qui jejunantes a malo et flentes sunt propter eum, et desiderant resurrectionem ejus videre in anima sua: sicut et apostoli jejunantes et flentes fuerunt Domino crucifixo usque ad diem resurrectionis ipsius. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo* (*Marc.* 15. 40. *et* 16. 1). Haec est Salome, cujus apud alterum evangelistam ponitur nomen, vere pacifica, secundum interpretationem: quae filios genuit pacis. Non solum autem ex Marco evangelista, qui manifeste ipsos fratres exponit accessisse ad Jesum, et haec eadem postulasse (*Marc.* 10. 35) intelligere possumus, quoniam a filiis suis erat summissa, sed etiam ex praesentibus Christi sermonibus, quibus non quasi ad mulierem ipsam se petentem, sed quasi ad filios summittentes respondit: *Nescitis quid petatis.* Aestimo enim, quod fratres cum audissent Dominum de passione et resurrectione sua prophetantem, coeperunt dicere intra se, cum essent fideles: Ecce Rex caelestis descendit ad regna tartarea, ut regem quidem mortis destruat, ipsam autem mortem divinitatis suae potentia calcet, et sic vinculo tenebrarum soluto, captivas animas ad sua regna perducat. Nec innumerabilis militia daemonum resistere poterit contra eum. Quem enim in corpore constitutum timuerunt dicentes: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei excelsi? venisti ante tempus torquere nos* (*Matth*. 8. 29)? quomodo nudam ipsam divinitatem contra se descendentem poterunt sustinere? Ecce post tres dies mortis suae revertetur ab inferis, quasi victor de bello. Nam cum victoria fuerit consummata, quid aliud restat, nisi ut regni gloria subsequatur? Ergo faciamus, fratres, quomodo possumus regni illius fieri participes. Scimus quia invidus non est. Qui enim seipsum donavit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur ubi de dantis misericordia non dubitatur. Si nos rogamus magistrum, forsitan caeterorum fratrum corda concutiemus: et dum nobis duobus volumus providere, inter omnes scandalum excitabimus. Nam etsi sancti sint, tamen homines sunt. Etsi vinci a carne non possunt, quasi jam spirituales, tamen percuti possunt, quasi adhuc carnales. Ut quid ergo vel leves occasiones demus, quibus improba carnis natura tranquillas eorum animas inquietet? Submittamus ergo matrem nostram, ut suo nomine deprecetur pro nobis, et fiunt duo bona. Si enim res ipsa reprehensibilis inventa fuerit, facile meretur veniam, quasi mulier. Ipse enim sexus excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis suis rogans. Ipse enim Dominus, qui maternos animos filiorum miseratione implevit, facilius exaudiet maternum affectum. Magna laus mulieris hujus ex hoc loco colligitur. Primum, quia non solum illi reliquerant patrem, sed etiam ipsa reliquerat virum suum, et sequuta fuerat Christum. Et illi ostenderunt quia filii erant hujusmodi matris, et ipsa ostendit quia mater erat talium filiorum. Quoniam autem vivum reliquerat virum, sermo demonstrat, qui de vocatione eorum scriptus est, dicens: *Illi autem reliquerunt patrem suum Zebedaeum in navi cum mercenariis, et sequuti sunt Jesum* (*Marc.* 1. 20). Nisi forte quis dicat, quia Christus plus quam triennio docuit, et intra tempus vocationis apostolorum et passionis Christi mortuus est Zebedaeus, et sic illa sequuta est: Jesum tamen sequuta est. Qualis radix, talia et germina: et qualis terra, talis et fructus. Non eam

Commented [p212]: Col.826

vicit, sicut caeteras mulieres, maritalis affectus: quia ille temporalis erat maritus, iste autem perfectus sponsus. Illius amor deceptio erat carnalis, istius autem, dilectio incorruptibilis vitae. Non illam tenuit miseratio senectutis ejus, quia ille sine ista vivere poterat, ista autem sine Christo salva esse non poterat. Cogitavit enim, quoniam amplius proderit viro suo, si propter Deum reliquerit virum, quam si propter virum reliquerit Deum. Propterea sexu fragili, et jam aetate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides numquam senescit, et religio fatigationem non sentit. Deinde quia non sentit illa, sicut caeterae matres, quae corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant enim illos valere in saeculo isto, et non curant quid passuri sint in alio. Alii militias filiis suis provident, alii honores, et nemo filiis suis providet Deum. Perditionem illorum cum magno pretio comparant, et salutem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur et suspirant: si autem viderint illos peccantes, nemo tristatur: ut ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum. *Accessit ergo ad Jesum, rogans et petens aliquid ab eo.* Audacem enim fecerat eam natorum affectus, et reverentiam forsitan spiritualem vicerat amor carnalis. *Dicit ei Jesus: Quid vis?* Non interrogat quasi nesciens, ut audiret quid vellet: sed ut illa exponente, manifestam faceret irrationabilem petitionem ipsorum: quoniam petebant quidem quasi religiosi, et caelestis gloriae amatores, non quasi scientiam habentes inutilium postulationum et nocivarum. Nam frequenter Dominus patitur discipulos suos aliquid non recte aut dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum culpa occasiones inveniat docendi, et exponendi regulam pietatis, sciens quia et ipse error eorum non nocet praesente magistro, et omnes non solum in praesenti, sed etiam in futuro doctrina ejus aedificat. *At illa dixit, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam in regno tuo.* Non dicimus, quia recte petiit: sed hoc dicimus, quia non terrena, sed caelestia filiis suis optabat. Tunc Dominus occultorum cognitor, non ad verba intercedentis mulieris respondit, sed ad consilia suggerentium filiorum respondit, dicens: *Nescitis quid petatis.* Concupiscentia enim carnalis omnem in vobis spiritualem considerationem exclusit. Non audistis me referentem, cum venerit Filius hominis in majestate sua, ponet oves ad dexteram, hoedos autem ad sinistram: et dicet eis, qui ad sinistram sunt: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum* (*Matth.* 25. 41)? Quomodo vos vultis, ut unus sedeat ad dexteram, et alius ad sinistram? Ego vos vocavi ad partem dexteram de sinistra, et vos vestro consilio curritis ad sinistram. Ideo forsitan et per mulierem res agebatur. Vidit enim diabolus, quia per illos ipsos adversus eos agere non valebat; contulit se ad consueta arma mulierum, ut sicut Adam per mulierem spoliavit, ita et istos separaret per matrem. Nam etsi mater erat, tamen mulier erat. Propter quod etsi affectus ejus dulcis erat erga filios quasi matris, intellectus tamen ejus nocivus erat quasi mulieris. Sed jam non poterat per mulierem perditio introire in sanctos, ex quo de muliere salus cunctorum processit. Intelligere ergo debemus et nos, ut non illud a Deo petamus, quod nos bonum esse judicamus, sed orantes in ejus potestate ponamus, ut nos illud petentes exaudiat, quod ipse nobis expedire cognoscit. *Nescitis quid petatis.* Bonum quidem desiderium, sed inconsiderata petitio. Ideo etsi impetrare non debebat simplicitas petitionis eorum, tamen confundi non merebatur, quia de amore Domini nascebatur. Propterea non voluntatem neque propositum eorum culpat, sed solam ignorantiam reprehendit, dicens: *Nescitis quid petatis.* Quis autem athleta idoneus ante certamen de praemio factum facit? Si enim certamen bene processerit, judex postea potest secundum meritum certaminis praemium mensurare et aestimare. Si autem praemium ante fuerit constitutum, non omni modo

Commented [p213]: Col.827

secundum qualitatem praemii potest exitum habere certamen: quia quale praemium detur, in potestate est munerantis: qualem autem exitum habeat unumquodque certamen, non est in potestate certantis. *Nescitis* ergo *quid petatis.* Desideratis quidem bonum, sed non intelligitis quid est bonum. Si autem intelligeretis, illud petere debebatis, dicentes quoniam in hoc mundo periculosissimo vivimus, quasi in pelago, ubi numquam est minor tempestas. Etsi tempestas interdum non fuerit, tamen semper timor est tempestatis. Sic et in hoc mundo viventibus numquam est minor tentatio: etsi tentatio interdum facta non fuerit, tamen timor tentationis semper est. Ideo da nobis auxilium gratiae tuae, ut non vincamur a malo, sed ipsi omne malum vincamus. Sicut enim saeculari bello videmus, quia qui vadens ad pugnam de praeda victoriae cogitat, difficile vincit, qui autem vadens sic vadit quasi ad mortem, ille facile superat: sic et nos in hoc certamine spirituali viventes non debemus cogitare qualem gloriam consequamur, sed quomodo evadamus ruinam peccati. Qui autem de gloria cogitat, et non magis timet de casu, ille nec infirmitatem carnis suae cognoscit, nec versutias considerat diaboli, nec intelligit, quod ait Apostolus: *Non est nobis colluctatio cum carne et sanguine, sed adversus principatus et potestates, adversus rectores hujus mundi tenebrarum* (*Ephes*. 6. 12). Propterea sumite omnia arma Dei. Sicut enim miles, si toto corpore fuerit armis vestitus, et unam partem habuerit nudam, nihil ei prodest, quod totus fuerit ferro vestitus, si per illam unam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: sic et Christianus, quamvis omnem justitiam fecerit, si in uno peccaverit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. Sicut ait Jacobus: *Si omnem legem adimpleas, et in uno transgrediaris, similiter praevaricator es legis* (*Jacob*. 2. 10). Ideo et Dominus illis respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismate, quo ego baptizor, baptizari* (*Marc*. 10. 38)? Numquid nesciebat Dominus, quia passionem ipsius poterant imitari? Sed ideo eis dicit, ut Domino interrogante, et eis respondentibus, omnes nos audiamus: quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus, sicut ait Apostolus: *Si commortui sumus, et convivemus: si sustinemus, et conregnabimus* (2. *Tim.* 2. 11. 12). Res enim pretiosa vili pretio non comparatur. Magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna caelestia pervenire. Passionem autem Domini dicimus suscipere nos debere non omni modo persequutionem gentilium, sed omnem laborem et molestiam, quam patimur in corpore contra peccata certantes. Nam si gentiles defecerint, qui persequebantur: numquid ideo prompta voluntas fidelium debet sine fructu sterilis permanere? Ideo et si gentes non habes, quae te persequantur, habes principem gentium diabolum, qui hominem persequi numquam cessat. Si enim principem potueris vincere in peccato, non est magnum superare ministros ejus in corpore tuo. Ecce ostendo tibi magnam et insuperabilem persequutionem in corpore tuo. Incipe resistere desideriis tuis, et tunc intelliges quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Haec est enim pugna periculosa, et haec est gloriosa victoria qui potuerit odire quod amat, et amare quod odit. Aut ideo dixit eis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Dominus enim cognoverat propositum istud petentium fratrum, quia non primatum sibi petebant secundum mundiales honores, quem si ex duobus vel tribus unus acceperit, necesse est caeteros fieri eo inferiores: sed perfectionem pietatis petebant in regno caelesti, quam et multi consequi possunt: et cum fuerint consequuti, alterius perfectio alterius perfectione non minuitur. Utputa, sedere ad dextram Christi, vel ad sinistram, numquid duorum est tantum? Innumerabiles enim possunt sedere ad dextram Christi, vel

Commented [p214]: Col.828

ad sinistram: tamen alter alterum a perfectionis ordine non excludit: quoniam hanc perfectionem pietatis nemo potest consequi, nisi qui legitime certaverit usque ad mortem. Ideo interrogat eos, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ut illis respondentibus quia possumus, audiant caeteri condiscipuli, et conquiescant, intelligentes quoniam et ipsi, si parati sunt mori cum Christo, nihilominus possunt juxta Christum sedere, per illorum sessionem neququam exclusi, sicut ipse dicit per prophetam in Psalmo: *Oculi mei semper ad fideles terrae, ut sedeant hi mecum* (*Psal*. 100. 6). Non enim locus sedendi major et minor est juxta Christum, sed fides patiendi cum Christo. Non est calix et baptismum unum. Calix enim passio est, baptismum autem ipsa mors. Dictum est autem baptismum secundum similitudinem lanae intinctae. Sicut enim lana intingitur, naturalem habens colorem, ut coloretur purpurea, aut alicujus coloris accipiat dignitatem: sic et nos in mortem descendimus corporales, et resurgimus spirituales, sicut ait Apostolus: *Seminamur in infirmitate, surgimus in virtute: seminamur in ignobilitate, resurgimus in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (1. *Cor*. 15. 43. 44). Omnis quidem mors habet in se passionem, non habet in se omnis passio et mortem. Multi enim fuerunt, qui passi sunt, et non sunt occisi, quales sunt confessores. Illi omnes calicem quidem Domini biberunt, baptismo autem ejus baptizati non sunt. *Dicunt ei, Possumus.* Non tantum confidentia cordis sui, quantum ignorantia tentationis haec responderunt. Nescientibus enim desiderabile est bellum, sicut et inexpertis levis videtur esse tentatio passionis et mortis. Si enim Dominus cum in tentationem passionis venisset, dicebat: *Pater, si potest fieri, transeat a me calix iste* (*Matth*. 26. 39): quanto magis discipuli non fuerant dicturi quia Possumus, si scissent qualis est tentatio mortis? Magnum quidem dolorem habet passio, tamen mors habet majorem timorem. Et dicit eis: *Calicem quidem meum bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Marc*. 10. 39). Numquid non habebat potestatem praestare cui volebat, cum sit scriptum, *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* (*Joan.* 3. 35)? Sed ideo non refutavit petitionem eorum, ne exanimaret eos, et pusillanimes faceret. Nam non facile de caetero resumit sperandi virtutem qui semel de eo, quod speraverat, cadit. Noluit autem suscipere petitionem eorum, ne caeteros omnes tristaret. Nam necesse erat, quod vel talia cogitarent, adhuc sine auxilio Spiritus sancti constituti: Si semel istis duobus totius regni illius societas dividenda est, si unus sessurus est ad dexteram, alter ad sinistram ejus: ergo nos quid sumus facturi, aut quid fieri jam speramus? Ideo eum sequuti sumus, ut illis electis de medio nostrum, nos inveniamur relicti. In omni labore similes eis fuimus, et nunc inventi simus in honore dissimiles. Nam necesse erat, ut carnalia cogitarent, qui necdum facti fuerant spirituales. Si enim petitio eorum suscepta non est, et omnes conturbati sunt, quare vel hoc ipsum petere ausi sunt: quanto magis fuerant conturbandi, si petitio eorum suscepta fuisset? Ideo neque dixit, Non sedebitis, ne duos confunderet : neque dixit Sedebitis, ne caeteros irritaret: sed quid? *Hoc non est meum dare vobis, sed Patris*. Tamquam benignus et providus pater sic omnia disponit et ordinat, ut inter fratres unanimes fraternitatis caritas non rumpatur. Videte quomodo et nullum ex eis turbavit, et omnes fecit sperare, dicens, *Non est meum dare vobis, sed Patris*. Nam quod uni aut duobus specialiter non promittitur, a cunctis speratur. Quid ergo? mentitus est Christus, dicens: *Non est meum?* Non. Omnis enim qui habet potestatem, si acceptam habet ab alio, illius est vere qui dedit. Nam quid habebat Filius proprium, cum ipse non esset suus, sed Patris? [Ergo inter eum, cujus non est, et inter

Commented [p215]: Col.829

eum, cujus est, nec persona una est, nec aequalis potestas. Si enim unus Deus et Pater et Filius, aut certe potest, aut certe non potest. Quis vidit talem unum Deum caelestem colere qui in dimidio potens est, et in dimidio impotens? Aut quis illos putet aequales, quorum non est aequalis potestas?] Audiamus haec et intelligamus, nos Christiani, ut quando aliquid petimus a Deo, et non impetramus, non frangatur fiducia nostra, neque cadat spes nostra a Deo, ut de caetero desperemus de misericordia ejus: quia nec fratrum istorum fracta est fiducia, aut cecidit spes, cum non impetrassent. Quid enim, si non expedit nobis accipere quod petimus, sicut nec illis expediebat? Quamvis autem putas te spiritualem rem petere secundum Deum, et dignam impetratione: tamen si non impetraveris, graviter ferre non debes. Nam Jacobus et Joannes rem spiritualem et dignam Deo se petere aestimabant: tamen reprobata est petitio eorum, et inutilis judicata. Non enim omne, quod apud homines justum videtur, jam etiam apud Deum similiter justum est: quanto major est Deus homine, tanto profundiora sunt Dei judicia quam hominis. Numquid digniores esse possumus Jacobo et Joanne, ut non impetrantes quod petimus, doleamus, cum nec illi de non impetrato beneficio sunt contristati? *Et audientes decem, contristati sunt de duobus fratribus.* Quemadmodum isti carnaliter petierunt, sic et illi carnaliter contristati sunt. Nam sicut isti, si spiritualiter sapuissent, non fuerant petituri, ut essent super omnes: sic et illi, si spiritualiter intellexissent, non fuerant contristaturi, esse aliquos ante se. Nam velle quidem esse super omnes, vituperabile est: sustinere autem alterum supra se, nimis est gloriosum. O error salutaris, qui totius mundi solvit errorem! Si enim apostoli non sic errassent, unde nos cognoscere poteramus, quia non omne, quod videtur bonum desiderare bonum est quia malum? Putabamus quia malum desiderare, malum est, ut avaritiam aut furtum: nunc autem scimus, quia aliud est opus bonum, aliud est primatus honoris. Et opus quidem bonum desiderare bonum est: primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: quoniam bonum opus implere, nostrae voluntatis, et nostri operis est, et laboris, propter quod et nostra est merces: primatum autem consequi, judicii Dei est, propter quod ex primatu honoris nescio si aliquam mercedem justitiae adipisci meremur. Nam desiderium primatus ex jactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, et indigniorem se aliis arbitratur, secundum illud praeceptum apostolicum, quod ait: *Alter alterum aestimans superiorem se, numquam desiderat superior apparere* (*Rom*. 12. 3. *et Philipp*. 2. 3). Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit. Videns autem Dominus alienum spiritum in cordibus discipulorum, quasi hostem in suis castris vagantem, non eos increpavit, non projecit a facie sua, et istos male petentes, illos non bene tristantes. Si enim rex terrenus videret, quod civitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere potest? Nihil, nisi ut ponat arietes, circumducat exercitum, et destruat muros, quos forte ipse aedificavit, ut tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri Regis. Postquam vidit sua castra occupata a spiritu alieno, sic hostem expulit, ut castra sua non laederet, dicens: *Scitis, quod principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, erit omnium minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Fructum humilitatis terrestris posuit primatum caelestem, et primatus terrestris fructum posuit confusionem caelestem. Quicumque ergo desiderat primatum caelestem, sequatur humilitatem terrestrem: quicumque autem desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in caelo: ut jam inter servos Christi non sit de primatu certamen, nec festinet unusquisque eorum, quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior

Commented [p216]: Col.830

videatur: quoniam non qui major fuerit in honore, ille est justior, sed qui justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. Volens certe Dominus et duorum fratrum ambitionem exstinguere, et decem discipulorum invidiam, introduxit differentiam inter principes mundiales et ecclesiasticos, ostendens, quia primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri est invidendus habenti, quoniam principes mundi ideo fiunt, ut dominentur minoribus suis, ut servificent eos, et spolient eos, et comedant, et usque ad mortem abutantur vita eorum ad suas utilitates et glorias: principes autem Ecclesiae fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent eis quaecumque acceperunt a Christo, ut suas utilitates negligant, et illorum procurent: ut, si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus dicit: *Ego autem impendar, et superimpendar ipse pro animabus vestris* (2. *Cor*. 12. 15). Si haec ergo ita habent, saecularem quidem primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est: quia etsi justum non est, vel utile est; primatum autem ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa: quia neque justum est, neque utile. Quis enim sapiens ultro se subjicere festinat servituti, labori, dolori, et quod majus est, periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud justum Judicem, nisi forte qui nec credit judicium Dei, nec timet uti abutens primatu suo ecclesiastico saeculariter, convertat eum in saecularem? Sed ne forte qui talis est in appetendo primatum, profectum pietatis pie praetendat, dico: Numquid qui in ordine prior est, jam et meritis est melior?

Deus solus scit differentiam inter sanctos. In caelo ignorantur invidia et superbia. – Quamvis quidem differentiam esse inter sanctos denegare non possumus, tamen ut cognoscat unusquisque, si melior, aut deterior sit, nemini est concessum. Ideo prudenter Apostolus membris corporis assimilavit sanctos Ecclesiae (*Rom.* 12. 5). Sicut enim homo quidem intelligit, quod membrum honorabile habet in corpore suo, quod inhonestum: unumquodque autem membrum non se cognoscit ipsum, si honorabilius sit, aut contemptibilius; alioquin et quae honorabiliora sunt, gratularentur, et quae contemptibiliora sunt, tristarentur, et per hoc fieret inter ea scissura: sic differentiam inter sanctum et sanctum Christus solus cognoscit, cujus membra nos omnes sumus. Ipsis autem sanctis non est concessum, ut cognoscant differentiam suam ad invicem, ut non meliores superbiant contra deteriores, et deteriores tristentur contra meliores, et per hoc soluta caritate, inter eos discordia nascatur, maxime in hoc saeculo facinoroso, in quo occasiones jugiter quaerit diabolus odiorum seminandorum. Quod autem in hoc saeculo differentia dignitatis facta est inter sanctos, dignitatis dico, non sanctitatis, ut alter quidem sit apostolus, alter autem episcopus, vel minister, vel laicus: contumacia carnis coegit, ut perversitas mundi, et occulta operatio inimici coerceatur: quoniam diabolus imperans carni et mundo, in multam indisciplinationem excitat homines, quamdiu sunt in carne, et in mundo subdito ei, alios in lasciviam, alios in delicias, alios in invidiam, alios in avaritiam, alios in iram et superbiam: nisi ergo sint quos timeant, solvitur disciplina. Denique ipsi honores in Christo in prima quidem facie videntur honores, re vera autem non sunt honores diversi, sed sunt diversa ministeria. Utputa, honor oculi videtur, quia illuminat corpus: sed ipse honor illuminandi non est ei honor, sed ministerium ejus. Et pedum humilitas esse videtur, quia bajulant corpus: sed ipsa humilitas bajulationis non est eorum contemptio, sed ministerium eorum. Propterea dominus corporis, scilicet homo, nec oculum suum amplius honorat quam pedem, nec pedem magis contemnit, quam oculum: quia nec oculus pro aliquo suo merito honoratus est, ut oculus sit, sed ad hoc ministerium creatus est; nec pes pro sua culpa contemptus est, ut sit pes, sed ad hoc

Commented [p217]: Col.831

ministerium est creatus. Propterea unumquodque membrorum nil minus se habere intelligens, secundum ministerium, ad quod est creatum, nec amplius, nec invidet alteri membro, quasi plus habenti, nec spernit alterum membrum, quasi minus habens. Sic est et inter sanctos. Uniuscujusque sancti honor non est honor ejus, sed actus ipsius. Utputa, apostoli apostolatus putatur a nobis honor esse ipsius apostoli: vere autem non est honor ejus, sed ministerium ejus. Unde Paulus de apostolatu suo dicebat: *Nam si evangelizem, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi, si non evangelizavero* (1. *Cor*. 9. 16). Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Similiter et diaconatus diaconi contemptibilitas videtur a nobis, vere autem non est contemptibilitas ejus, sed actus ipsius. Propter quod Deus nec apostolum amplius diligit, quam diaconum, quia apostolus est, nec diaconum, minus quam apostolum, quia diaconus est: quia nec apostolus pro merito suo antecedenti honoratus est, ut esset apostolus, sed ad hoc ministerium aptus est judicatus secundum motum animae suae. [Nec diaconus pro merito suo antecedenti contemptus est ut esset diaconus, sed ad hoc ministerium aptus est judicatus secundum motum animae suae.] Propter quod neque apostolus laudem habebit apud Deum, quia apostolus fuit, sed si opus apostolatus sui bene implevit: neque diaconus exprobrandus est, quia diaconus fuit, sed si opus suum neglexit. In nullo ergo hominis est honor, nisi in quo bene implevit opus suum: et nulla contemptio ejus est, nisi in quo neglexit proprium opus. Unde sicut pes libenter servit oculo, quasi sibi servienti, sciens quia nisi oculus, suo ministerio fuerit usus, nec ipse suo poterit uti: et oculus libenter servit pedi, quasi sibi servienti, sciens quia nisi pes suo officio fuerit usus, nec ipse suo poterit uti: sic et sancti invicem sibi debent esse subjecti, ut minor majori non invideat, quasi majori, sed libenter ei obsequatur, quasi sibi servienti, in eo ipso quod major est, et major non contemnat minorem, quia major est, sed libenter ei obsequatur, quasi sibi servienti. Haec omnia tractavimus propter duos fratres, qui petierunt sibi primatum, cum non debuissent: et decem apostoli indignati sunt contra eos, cum non debuissent. *Sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis.* Ad hoc enim ad imaginem Christi facti sumus, ut imitatores efficiamur voluntatis ejus et conversationis. Numquid ad similitudinem majestatis ejus sumus creati? Nam ille quidem nostram carnem imitari potuit, nos autem illius divinitatem imitari non possumus: sed in hoc sumus imago ejus, ut quod ei bonum videtur, et apud nos sit bonum, et quod ei malum videtur, et apud nos sit malum. Quicumque autem, Domino humilitati studente, jactantiae studet, non est imago Christi. Et qui, Domino paupertatem amante, divitiarum amator est in hoc saeculo, repellit a se Christi similitudinem. Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum: nec est vera imago, quae similis non est auctori.

Commented [p218]: Col.832

Homilia xxxvj. ex capite xx. (col.832-4)

29. *Et egredientibus eis ab Jericho, sequuta est eum turba multa,* etc. Testimonium studiosi agricolae est messis fecunda: assidui autem doctoris documentum ecclesia plena; negotiatoris prosperata felicitas, apotheca multiplex. Neminem labor itineris impedivit, quia amor spiritualis fatigationem non sentit. Neminem sexus muliebris retinuit, quia inter virum et mulierem corporis quidem differentia est, gratia autem una est, et una conditio in omnibus. Illic ergo differentia sexus requiritur, ubi causa carnalis

est, et ubi caro, non spiritus operatur. Neminem possessionum suarum sollicitudo retraxit, quia ingrediebantur in possessionem regni caelestis. Vere enim non habet super terram quod amet, qui bonum caeleste in veritate gustaverit. Sicut enim qui pretiosum gustaverit cibum, postmodum ei haec esca communis ingrata videtur: sic et qui semel de dulcedine Christi bene gustaverit, terrenorum bonorum de caetero non multum sentit saporem. Quis non desideret illum, aut quis non sequatur eum quem etiam duo caeci, antequam corporaliter viderent, spiritualiter aspexerunt, et antequam audirent, crediderunt? Nimirum haec est illa rosa in campis Jericho, de qua Sapientia loquitur per Salomonem: *Sicut palma exaltata sum in Cades, et sicut plantatio rosae in Jericho* (*Eccli*. 24. 18). Ergo haec est illa speciosissima rosa, sanctitate justitiae candida, et passionis sanguine rubicunda. Sicut enim rosa antequam videatur, sentitur, et antequam inveniatur, tenetur in odoribus suis: sic et Dominum transeuntem de longe, duo caeci antequam viderent, divinitatis ejus fragrantiam senserunt. 30. *Et ecce duo caeci. Ecce,* dicendo, opportunitatem ostendit: hoc est, opportune oblati sunt ante faciem Christi, ut apertis oculis, quasi testes virtutis ejus, ascenderent cum eo in Jerusalem: quia futurum erat, ut sacerdotes repleti invidia, dicerent contra eum, In qua potestate facis haec? ut videlicet caeci respondeant, etsi non voce, tamen ipsa re: Ecce nos caeci fuimus, et videmus. Quid ergo de potestate requiritis, qui videtis virtutem? Erubescite, carnales oculi, qui ante vos Christum stantem non aspicitis, quem etiam crediderunt duo caeci sedentes secus viam, non in via. Duo caeci duo populi sunt, Judaicus, et gentilis. Aut sicut quidam interpretantur, ambo gentium, unus ex Cham, alius ex Japbet. Ideo autem caeci, quia nondum eis apparuerat unigenita lux. *Secus viam:* id est, juxta veritatem conversabantur, sed veritatem invenire non poterant, quia via veritatis certior adhuc demonstrata non fuerat: vel secundum rationem verbi degentes, non autem in ipsa ratione verbi consistentes: quia notitiam verbi nondum acceperant. Sicut enim qui in tenebris ambulat, si semel viam perdiderit, interdum tota nocte ambulat juxta viam errans, et non invenit viam, donec superveniat dies: sic et homines ambulantes in erroribus vel peccatis, postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam notitiam veritatis redire non poterant, nisi dies, scilicet Christus, venisset, quamvis circa veritatem vivebant. Quomodo juxta veritatem vel rationem verbi gentes conversabantur? Leges rationabiles proponebant, sincera judicia judicabant, dicente Apostolo: *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt* (*Rom*. 2. 14). Ergo quasi justitiam quidem faciebant, sed justitiam tenere non poterant, non intelligentes quomodo oporteat scire: quia qui Deum deligit, hic cognitus est a Deo. Judaei autem quomodo erant caeci? Quia legem sectantes, legis justitiam non invenerunt: quia ex operibus, et non ex fide justi erant. Dicit enim Paulus: *Testimonium illis perhibeo, quia aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom*. 10. 2). Nam volentes justitiam suam statuere, justitiae Dei non sunt subjecti. *Audierunt quod Jesus transiret, et clamaverunt dicentes: Miserere nobis, Domine fili David.* Currentium strepitum audiebant, et personas non videbant. Undique festinantibus cunctis, soli sedebant indissolubili tenebrarum catena ligati, nihil solutum habentes de toto corpore, praeter vocem. Et ideo quia pedibus eum sequi non poterant, voce tenebant dicentes: *Miserere nobis, Domine fili David.* O tenebrae omni lumine clariores! o acutissimus caecitatis aspectus! Puta quanti homines sani, et juxta Jesum, qui via est, ambulantes, hominem illum putabant: et duo caeci, et longe sedentes, Deum prospexerunt. Audierunt enim gentes de transitu Jesu, secundum testimonium prophetarum annuntiantibus sibi apostolis. Audierunt enim adventum ejus in mundum, et

Commented [p219]: Col.833

passionem ejus, et resurrectionem, et ascensionem ejus in caelum: audierunt de transitu ejus, cum jam egressus fuisset ab Jericho, id est de hoc mundo. 31. *Turba autem increpabat eos, ut tacerent*. Videbant sordidas vestes, et non considerabant conscientiae claritatem. Ideo vetabant eos, non invidentes eis, sed honorantes Christum. Indignum enim eis videbatur, ut tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum. Existimabant injuriam pati magnos viros, si a pauperibus honorarentur. Quis enim pauper ausus est divitem publice salutare? Mox indignatur, quasi injuriam passus. Aut hi, qui vetabant, in mysterio Judaeorum vetabant, quia omnia faciebant, ne gentes in Christum credentes salvarentur. *At illi magis clamabant dicentes: Miserere nobis, Domine fili David.* Invitabantur vetiti, magis quam compescebantur. Talis est enim natura fidei: quanto magis vetatur, eo magis accenditur, propter quod et servi Dei in persequutionibus non vincuntur, sed quanto magis afflicti fuerint, tanto amplius accenduntur. Virtus ergo fidei in periculis secura est, et in securitate periclitatur. Quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, quam longa tranquillitas? Ergo vetantes eos, addebant eis et alteram causam doloris. Primum, ne clamarent, quia caeci erant: secundo, quia vetabantur ad lumen venire. 32. *Et stans Jesus vocavit eos, et ait: Quid vultis ut faciam vobis?* 33. *Dicunt ei: Domine, ut aperiantur oculi nostri.* O Domine, quid interrogas quod ipse oculis vides? infirmitas clamat, et ut quid vocem perquiris? Non quaero propter passionem, sed propter fidem. Non cupio audire quid dolent, sed volo cognoscere quid de me sentiunt. Tu, Domine, occultorum es cognitor, et nescis quid de te sentiunt? Etiam scio, sed volo ut procedant ad medium populi, et cunctis audientibus dicant quod volunt: et dum caeci me Dei Filium confitentur, confundantur videntes, qui me hominem tantum putant. Dominum me vocant, et verum dicunt: sed dum filium David dicunt, dissipant quod bene confessi sunt. Nam abusive et homines domini dicuntur, vere autem nemo dominus est, nisi Deus. Si ergo dicunt, *Domine fili David* (1. *Cor*. 8. 6), abusive secundum hominem me honorant: si autem solummodo Dominum, secundum deitatis divinitatem me confitentur: quia *Unus Deus, ex quo omnia, et unus Dominus, per quem omnia.* Filius enim David caecos illuminare non potest, Filius autem Dei potest: ideo interrogat, *Quid vultis?* Tunc illi jam non dixerunt, Domine fili David: sed tantum, *Domine, ut aperiantur oculi nostri*. 35. *Misertus est autem eis Jesus, et tetigit oculos illorum, et confestim viderunt.* Quamdiu ergo dixerunt, *Domine fili David,* suspensa est sanitas, mox autem ut dixerunt tantummodo, *Domine*, infusa est sanitas super eos. Tetigit ergo oculos eorum. Tetigit homo carnaliter; nam verbo sanavit, ut Deus: tetigit, quia David filium eum dixerunt: sanavit eos, quia crediderunt potentiae ejus, ut una eademque operatio sanitatis et fidem eorum remuneret, et infidelitatem castiget. Bonum munus obtulerunt Christo sananti. Quale? Sequuti sunt eum. Nam quid homo in vicem reddat Deo digne pro beneficiis ejus, nisi id quod ipse admonet per prophetam? *O homo, quid quaerit Deus a te, nisi ut facias judicium et misericordiam, et paratus sis ire cum Domino Deo tuo* (*Mich*. 8. 6). Consequenter et gentium oculos mentis tetigit Dominus Jesus, dans eis gratiam Spiritus sancti. Tangere enim Christi, est dare gratiam Spiritus sancti. Quae gentes, cum fuissent illuminatae, sequutae sunt eum operibus bonis, numquam postmodum relinquentes eum, sicut aliquando Judaei fecerunt.

Homilia xxxvij. ex capite xxj. (col.834-8)

Commented [p220]: Col.834

1. *Et cum appropinquasset Jesus Jerosolymis*, etc. Puto, res ipsa exigit, ut quaeramus. Frequenter quidem Jesus venit in Jerusalem, sicut Joannes testatur, numquam tamen sibi adhibuit ministeria jumentorum, nec ramorum circa se virentia constituit ornamenta, nec ad terribilem laudem suae divinitatis animos populi excitavit, nisi modo quando ut pateretur ascendit. Ideo ergo cum tanta gloria est ingressus, ut amplius eorum adversus se excitaret invidiam, quia jam tempus passionis ejus instabat, et non mors eum urgebat, sed ipse magis adversus se compellat mortem. Quotiens enim de manibus sacerdotum elapsus evasit, cum esset invisibilis factus? Quando Judaei Christum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt. Quando autem ipse sequutus est mortem, parcere ei Judaei non potuerunt. Ergo si Christus eos provocavit, fortene de morte sua fecit eos innoxios? Absit. Excitavit eos, non ut facerent quod ante noluerant, sed ut possint facere quod prius volebant: facultas eis data est, non mutata voluntas. *Tunc Jesus misit duos discipulos,* 2. *dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, et confestim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. Solvite et adducite mihi.* Asina et pullus ejus Judaei sunt et gentes. Judaea enim secundum Deum mater est gentium. Sic enim dicit ad eam Deus per Isaiam prophetam: *Et constituam principes tuos sicut antea, et consiliarios tuos sicut ab initio: et tunc vocaberis civitas justitiae, et mater civitatum* (*Isai*. 1. 26), id est, Ecclesiarum, *fidelis Sion*. Propter quasdam tales similitudines animalibus his assimilati sunt homines, Deum vel Dei Filium non cognoscentes. Est enim animal hoc immundum, et prae caeteris pene jumentis magis irrationabile et stultum, et infirmum, et ignobile, et oneriferum magis: sic fuerunt et homines ante Christi adventum idololatrae, passionibus diversis immundi et irrationabiles, verbi ratione carentes, quantum ad Deum stulti. Quid autem stultius quam Factores contemnere, quam facturam et opus manuum suarum adorare, quasi Factorem? Erant enim infirmi secundum animam et ignobiles, non valentes resistere passionibus suis, et obliti generationem suam caelestem, facti fuerant servi passionum suarum et daemonum, quibus resistere non valebant. Et quicumque daemonum vel philosophorum cujusque erroris vel dogmatis alicujus sarcinam eis voluisset imponere, sufferebant: et omnia non bona patientia supportabant, nec resistebant. Propter quae omnia et Apostolus ad Corinthios dicit: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi fortes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia: et ignobilia, et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (1. *Cor*. 1. 26-28). At ubi Christus super eos ascendit, et induxit in templum, lavati per baptismum, facti sunt de immundis animalibus homines sancti. Percepta enim verbi ratione, sapientia Dei facti sunt rationabiles, et prudentes: et inventa est irrationabilitas eorum esse simplicitas, et stultitia eorum mansuetudo. Nam simplicitas, sine ratione verbi, hominis irrationabilitas est: et mansuetudo si non sit propter Deum stultitia est. Adhuc autem accepta gratia, et recognita regeneratione sua caelesti, facti sunt de infirmis et de ignobilibus fortes et nobiles: et quae videbatur infirmitas, innocentia est inventa in eis, ignobilitas autem humilitas. Nam innocentia sine Deo infirmitas aestimatur, et humilitas non propter Deum ignobilitas judicatur. Item rejicientes a se onera daemonum, suscipientes super se jugum Christi suave, et onus ejus leve, et ipsum sessorem in cordibus suis suscipientes, facti sunt patientes. Nam patientia irrationabilis onerifera aestimatur et ligata, id est, diabolici erroris vinculo impedita, ut non haberet libertatem ire quo vellet. Nam omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem

Commented [p221]: Col.835

diaboli, an non. Quod si semel peccantes obligaverimus non operibus ejus, jam nostra virtute evadere non possumus; sed sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, ubi tempestas voluerit: sic et homo, divinae gratiae auxilio perdito per peccatum, agit non quod vult, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordiae suae solverit eum, usque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate et negligentia alligamur, sed per Dei misericordiam absolvimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem quem elegerit; cum rex ille fuerit factus et confirmatus in regno, jam habet potestatem in hominibus, et non potest populus jugum ejus de cervice sua repellere: nam primum quidem in potestate populi est, facere sibi regem quem vult, factum autem de regno repellere jam non est in potestate ejus, et sic voluntas populi postea in necessitatem convertitur: sic et homo, priusquam peccet, liberum habet arbitrium, utrum velit sub regno esse diaboli; cum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, jam non potest de potestate ejus exire: et sic prima voluntas ejus in necessitatem convertitur. Et hoc est, quod homines saeculares et peccatores dicere solent: Numquid nolumus esse sancti? et quis non vult esse justus? Sed non possumus. Verum quidem est, quod dicunt, sed non habent excusationem: quia primum potuerunt non esse sub potestate diaboli, si voluissent; postquam vero posuerint thronum diaboli in cordibus suis, jam nemo potest eos de potestate diaboli eripere, nisi solus Deus. *Solvite*, inquit. Quomodo? Per doctrinam vestram, per miracula vestra: quia omnes Judaei et gentes per apostolos sunt liberati. *Adducite mihi.* Per ministerium, id est, ad gloriam corrigite illos. Duos autem misit apostolos, quia per duo generalia mandata omne genus hominum de peccato absolvitur. Qualia? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum* (*Deut.* 6. 5. *Levit.* 19. 18). In his duobus mandatis omne peccatum expellitur, et omnis justitia consummatur. Aut certe alia duo, *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* 4. 16). Item, *Quod vultis ut faciant vobis homines, facite et vos similiter* (*Matth.* 7. 12). Quidam autem istos duos Petrum et Philippum apostolos exponit intelligi oportere: quoniam hi primum transgredientes Judaicos fines, gentes adduxerunt ad Christum: Philippus quidem Samariam, quam ipsam Samariam asinam esse interpretatur: Petrus autem gentes, accipiens Cornelium ex gentibus, quasi Samariae pullum. 3. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus operam eorum desiderat*. Ne dicatis, Dominus tuus; neque, Dominus noster; neque, Dominus jumentorum: ut intelligant omnes, quia ego solus Dominus, non solum animalium, neque solum eorum qui mihi subditi sunt, sed omnium hominum etiam qui mihi contrarii sunt. Nam et peccatores conditione quidem mei sunt, voluntate autem sua diaboli. *Meus est enim orbis terrae et plenitudo ejus* (*Psal.* 23. 1). *Dominus operam eorum desiderat.* Justum est ut aliquando creatura serviat suo creatori. Gentes enim Deus in potestate diaboli pro tempore reliquit, ut tentet, non in aeternum contempsit, ut perdat. Necesse est autem ut fiat quod scriptum est: *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* 35. 7). *Confestim autem remittet eos*. Animal quidem postquam ingressum est in Jerusalem Judaeae, ad dominum suum remissum est, animalis autem prophetia in Judaea remansit. Nam de animali illo non hoc, quod videbatur, necessarium erat Christo, sed illud, quod intelligebatur, id est, non caro, sed ratio: ideoque caro remissa est, ratio autem retenta est. Aut ita. Non dixit, et iterum remittet eos ad te: sed tantum, *Remittet eos*, ut ne mysterium praecederet rationem. Nam puto in primis homines non sermone nudo vocavit apostolorum, sed per virtutem Spiritus sancti solvit pariter et adduxit. Postquam autem

Commented [p222]: Col.836

adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, ut labore suo comitante gratia justificentur. Nam quod vocati sumus, Dei est, quod autem digne post vocationem vivimus, nostrum pariter est et Dei. Hoc est quod ait, Iterum remittet eos, non ad diabolum, qui prius tenebat eos, sed in arbitrio suo, adjuvante gratiae scilicet dono. 4. *Hoc autem totum factum est ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem:* 5. *Dicite filiae Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium jumenti* (*Zach*. 9. 9). Dominus noster ascendens ad mortem Jerosolymam, magnam gratiam pacis et concordiae mundo universo quasi in testamento reliquit. In mysterium enim gentium futurarum, sedens super asinam et pullum ejus, intravit in templum, et sic gentes Judaeis conjunxit. Sciens autem propheta malitiam Judaeorum, quia contradicturi fuerant Christo ascendenti in templum, ideo praemonuit, ut per hoc signum cognoscerent regem suum Judaei, dicens *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum ejus. Ecce*, ostendentis verbum est: id est, Non corporali aspectu, sed spirituali intellectu opera virtutum ejus aspicite, non schema visionum ejus. Si enim schema ejus aspexeritis, dejiciendi estis in natura humana: si autem opus ejus consideraveritis, salvandi estis in virtute divina. Ante tempora autem multa constitutus propheta, videns eum spirituali aspectu, qui nondum natus fuerat, ideo dicebat, *Ecce*, ut ostenderet quia ille, de quo loquebatur, antequam nasceretur, jam erat. Cum ergo videritis eum in templo, o Judaei, nolite superbe agere contra eum dicentes: *In qua potestate haec facis* (*Luc*. 20. 2)? Quia *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Nolite considerare, in qua potestate facit, sed considerate tantum, si facere potest: quoniam hoc credere est, illud autem tentare. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Nolite dicere, *Nos non habemus regem, nisi tantummodo Caesarem* (*Joan*. 19. 15). *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Si intellexeris, venit tibi; si non intellexeris, veniet contra te: id est, si intellexeris, veniet ut salvet te, et sub pedibus tuis subjiciat gentes, et dicas per prophetam gaudens: *Quoniam Deus excelsus, terribilis, et rex magnus super omnem terram: subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris* (*Psal*. 46. 3-5). *Elegit nos in hereditatem sibi, speciem Jacob quem dilexit.* Si autem non intellexeris, veniet ut perdat te, et de templo sanctitatis expellat, et aliam sponsam de gentibus castiorem inducat in cubiculum sanctitatis, ut tu projecta et in tenebris constituta dicas per Salomonem: *Ne aspexeritis me, quoniam ego sum denigrata, quoniam despexit me sol* (*Cant*. 1. 5). Vis cognoscere mansuetudinem venientis? Considera speciem adventus ejus. Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens; nec ascendit super fervidum equum discordiae amatorem et litis qui gloriae jactantia pectus habet repletum, qui de longe odorat bellum, et gaudet ad vocem tubae, et cum viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, Bene est factum: sed sedet super asinam tranquillitatis et pacis amicam. Non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut caetera ornamenta terribilium armorum: sed quid? Ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur, *Sedens super asinam et pullum ejus*. Super matrem sedebat. Numquid et super pullum sedebat? Tamen etsi corporaliter fieri non poterat, ut super animal utrumque sederet, spiritualiter poterat, cum esset Deus, ut et in Judaeis sederet, et in gentibus simul. Sedere autem super jumenta est in praecordiis eorum habitare, ut dicat illis Christus: *Tollite onus meum super vos, et videte, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth*. 11. 29). Mansueti enim mansuetum debent portare; qui vocavit eos, sessor est, non ut illos puniat propter peccata eorum, sed ut ipse requiescat in eis propter mansuetudinem eorum. Nam sicut hoc genus jumenti, si quid errat, in

Commented [p223]: Col.837

simplicitate errat, et non in asperitate: ita et homines, qui crediderunt in Jesum Christum, sive ex Judaeis, sive ex gentibus, ante Christum non in malitia, sed in ignorantia peccaverunt. Ideo se deridebant non puniri sub gravi sessore. Nam sicut peccatores equi sunt diaboli, ita et sancti equi dicuntur Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens, instigat eos per deserta facinorum: id est, per fornicationes, per avaritias, et caetera; Christus sedens in sanctis, dirigit eos per plana justitiae, id est, in castitate, in humilitate. Ergo equitatus diaboli, perditio est: equitatus autem Christi, salus, sicut Habacuc dicit in canticis suis ad ipsum Christum: *Qui ascendis super equos tuos, et equitatus tuus sanitas est* (*Habac*. 3. 8). Ergo induxit pullum in templum, ut gentes Judaeis conjungat, ut adimpleat quod Jacob benedicens filium suum Judam prophetavit: *Alligans*, inquit, *ad vitem pullum suum* (*Gen*. 49. 11). Quae est illa vitis? Judaea, quae de Aegypto translata est, et in Oriente plantata. Et sicut prophetavit Noe de filiis suis, dicens: *Benedictus filius meus Sem, dilatet Deus Japhet, et inhabitabit in tabernaculo Sem* (*Gen.* 9. 26. 27). Sem enim pater fuit Judaeorum, Japhet autem pater gentium, quae per Christum ingressae sunt in tabernacula Judaeorum. 6. *Euntes autem discipuli, fecerunt sicut praeceperat eis Jesus,* 7. *et adduxerunt asinam et pullum.* Quoniam euntes apostoli solverunt asinam alienam, ministerium quidem fuit eorum, virtus autem et auctoritas Christi. Nec enim potuissent tollere jumentum alienum ab illo domino, qui eos non cognoscebat, unde essent, nisi praeveniens spiritus Christi cor domini ejus praeparasset ad dandum. Sic quod apostoli solverunt Judaeos vel gentes de vinculo inimici, in prima quidem facie eorum videbatur opus: re vera autem fuit virtus et gratia Christi. Nec enim a Christo duodecim constituti totum mundum ligatum sub potestate diaboli solvere potuissent, nisi gratia Christi confregisset virtutem inimici. *Et imposuerunt super eum vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Vestimenta sunt praecepta divina, et gratia spiritualis. Sicut enim turpitudo nuditatis vestimento tegitur, sic naturalia mala carnis nostrae praeceptis et gratia divina teguntur. Omnis enim homo naturaliter non solum peccator est, sed etiam totum peccatum, dicente Apostolo: *Eramus natura filii irae, sicut et caeteri* (*Ephes*. 2. 3). Unde et Adam ideo se vidit nudum, id est peccatorem: et ideo foliis fici, id est, mandatis asperae legis cooperuit nuditatem suam. Et alibi promittens Deus justitias suas, et gratias ablaturum de gente Judaea, sicut dicit Dominus per Osee prophetam: *Et auferam vestimenta mea, et linteamina, ostendam gentibus turpitudinem tuam* (*Osee* 2. 9). Ergo imposuerunt vestimenta sua super eos, id est, mandata et gratias quas ipsi acceperunt a Christo: super Judaeos et gentiles imposuerunt, id est tradiderunt; nec enim requiescere in eis potuisset Christus, nisi mandata ejus fuissent in eis. 8. *Plurima autem turba vestimenta sua sternebat: alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via.* Videlicet ut eo veniente calcarentur a jumento. Vestimenta sunt mandata, sicut diximus: frondes autem speciem tenent pietatis. Quoniam ergo et mandata legis et species Judaicae religionis a Christianis fuerant conculcanda in via, id est, in Christo: ideo tunc illa sub pedibus jumenti sternebant in via. Et vide quoniam super jumentum quidem apostoli posuerunt vestimenta sua, sub pedibus autem jumenti caetera turba Judaica: quoniam mandatis apostolorum sternuntur quidem Christiani et odorantur, legis autem mandata conculcant. Quotiescumque enim circumcisionem spernimus, sacrificia Judaeorum pro nihilo aestimamus, et caeteras consuetudines Judaicas reprobamus. Vestimenta Judaeorum, quibus ipsi induebantur, nos, qui sumus ex gentibus, sub pedibus nostris conculcamus. Alius autem sic: Qui vestimenta, inquit, deposuerunt super asinam, apostoli sunt, caeterique doctores: vestimenta autem sunt decus et schema gloriae. Gloriam ergo,

Commented [p224]: Col.838

quam Christus accepit a Patre, dedit discipulis suis: discipuli autem accipientes eam a Christo, dederunt eam gentibus, ut delectabiliter Christus sederet in eis, sicut ipse dicit: *Et ego gloriam, quam mihi dedisti, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* 17. 22). Turbae autem, quae vestimenta sternebant in via, credentes erant ex circumcisione, qui gloriam, quam habebant ex lege, videntes Christum, dejecerunt in terram, semetipsos humiliantes, et cum apostolo Paulo dicentes: *Secundum justitiam, quae ex lege est, conversatus sum sine querela, sed quae fuerunt mihi lucra, haec aestimavi propter Christum detrimenta, et arbitror stercora esse ut Christum lucrifaciam* (*Philip*. 3. 6-8). Quid est autem aliud, quam justitiam legis terrae coaequare, ante sublimem gloriam Christi? Qui autem ramos de arboribus praecidebant frondentes, ipsi erant credentes et eruditi doctores, qui ex prophetis accipientes exempla viva de Christo, quasi de arboribus semper virentibus, et numquam folia verborum suorum dejicientibus, ramos frondentes ante pedes subjugalis populi sternebant, et per ea exempla quasi per ramos frondentes, virentes sine offendiculo ambularent per viam vitae istius, donec introirent in sanctuarium Dei. 9. *Turba autem quae praecedebat, et quae sequebatur, clamabat, dicens: Hosianna filio David*, etc. Memores populi mirabilium ejus, quae ostendit eis, et sanitatum, quas praestitit eis, exsultantibus cordibus suis, ante et retro clamabant, *Hosianna filio David*. Qui praecedebant, seniores erant, id est, patriarchae, prophetae, caeterique sancti, qui ante adventum Christi de adventu ejus et praedixerunt, et cognoverunt: sequentes autem juniores, id est, apostoli, martyres, caeterique doctores, qui post ascensum Christi de resurrectione ejus et ascensione vel operibus praedicaverunt et praedicant; et licet diversis quidem temporibus fuerunt, tamen in omnibus unus exsultationis spiritus fuit. Et illi quidem prophetantes de Christo venturo clamaverunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: hi autem laudantes clamant de adventu Christi jam impleto, *Hosianna filio David*. Hosianna autem quidem interpretantur gloriam, alii redemptionem, alii Salvifica, sive Salvum fac. Nam et gloria illi debetur, et redemptio illi convenit, qui omnes redemit, et pretiosi sanguinis effusione salvavit.

Homilia xxxviij. ex capite xxj. (col.839-43)

Commented [p225]: Col.839

10. *Et cum intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic*, etc. Merito commovebantur videntes rem mirabilem: homo enim laudabatur quasi Deus, sed Deus laudabatur in homine. Dicebant enim, *Hosianna filio David.* Puto autem quod nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant, sed spiritus subito ingressus in eos, nesciente animo, veritatis verba fundebat. 12. *Et intravit Jesus in templum Dei.* Hoc erat proprium boni filii, ut et veniens ad domum curreret patris, et illi honorem redderet, qui genuit eum, ut tu imitator Christi factus, cum in aliquam ingressus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad ecclesiam curras. Hoc erat boni medici, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic et de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus, quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho ejus interrogat, et eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem et stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus

per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiae locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiae spiritualis, Isaia dicente, de regibus quidem, *Omne caput in dolore*; de sacerdotio autem, *Omne cor in tristitia* (*Isai*. 1. 5). Sicut enim stomachus accipiens cibum, coquit eum in seipso, et per totum corpus dispergit: sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas e Deo, et excoquentes eam in se, id est, tractantes et meditantes apud se, universo populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, unumquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in se, secundum suam naturam: utputa quod suscipit jecur, totum fit sanguis; quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac: sic sacerdotibus in ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor, ita ut unum idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem perversis suscitet iracundiam, quasi bilis; in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac; in aliis autem odia, quasi phlegma nocivum et exspuendum. Videte ergo, sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo et opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet et stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant et sacerdotes; si autem et sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum. Ideo unusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem: sacerdotes autem non solum pro suis, sed et pro omnium peccatis reddituri sunt rationem (*Hebr*. 13. 17). Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, et intellexit studiosus agricola, quia laesuram in radicibus haberet. Nam vere quemadmodum cum videris arborem pallentibus foliis, marcidam intelligis, quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cum videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum. *Et ejiciebat vendentes et ementes de templo*: significans quia homo mercator vix aut numquam potest Deo placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator; aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia Dei, dicente propheta: *Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini* (*Psal*. 70. 15). Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, et se commendare, sine maliloquio non potest esse: necesse est enim ut et isti male loquatur de illo, et illi male loquatur de isto: sic qui emit et vendit, sine mendacio et perjurio esse non potest: necesse est enim ut negotiatoribus hic juret, quia non tantum valet res, quantum comparat eam, et ille juret quia plus valet res, quam vendit. Sed est nec stabilis substantia eorum. Talium enim substantia aut ipsis viventibus peritura est, aut a malis heredibus dissipanda est, aut ad extraneos et inimicos hereditas ipsorum ventura est. Non potest ad bonum proficere quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliquam bladi speciem cernas in cribro, dum huc illucque jactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt, et in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic et substantia negotiatorum, dum vadunt, et veniunt inter emptionem et venditionem, minuitur, et in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. Ergo ostende nobis quis est negotiator? omnes enim homines videntur negotiatores. Ecce qui arat, comparat boves, ut spicas vendat; et qui operatur lignum, comparat lignum, ut utensilia vendat; et linteonarius comparat linteamina, ut vendat et ostendat: et foenerator mutuat pecuniam, ut tollat usuras. Et quomodo antiqui Judaei et apostoli artificia laudaverunt? Quia magis sunt sine peccato. Sicut et Paulus fuit sutor tabernaculorum, et ipse mandat, dicens: *Curent et nostri bonis operibus praeesse* (*Tit*. 3. 14). Et apostoli quidam, sicut legimus,

Commented [p226]: Col.840

piscatores fuerunt. Ego ostendam qui non est negotiator, ut qui secundum regulam istam non fuerint intelligas omnes negotiatores esse: id est, quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam vendat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negotiator : quia qui materiam operandi sibi comparat, unde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum, id est, qui rem vendit, cujus aestimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio: ut puta, faber comparat ferrum, et facit ferramentum; sed ferramentum illud non tantum habet ferri quantum valet, sed secundum opus ferramenti appretiatur. Qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. Unde super omnes mercatores plus maledictus est usurarius. Si enim qui rem comparatam vendit, mercator est et maledictus: quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed a Deo donatam sibi dat ad usuram? Secundo, quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat: iste autem postquam foeneraverit, et sua iterum repetit, et aliena tollit cum suis. Adhuc dicit aliquis: qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum, ut pensiones recipiat, num est similis ei qui pecuniam dat ad usuram? Absit. Primum quidem, quoniam pecunia non ad aliquem usum disposita est, sicut ager, vel domus, sed ad pretium emendi vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, et fructum accipit ex eo: similiter et qui domum habet, usum mansionis capit ex ea. Ideo qui locat agrum, vel domum, usum dare videtur, et pecuniam accipere, et quodammodo quasi commutare videtur lucrum cum lucro: pecuniam autem si repositam in sacculo teneas apud te, nullum usum capis ex ea. Tertio, ager vel domus utendo veterascit: pecunia autem cum fuerit mutuata, nec minuitur, nec veterascit. *Et mensas numulariorum subvertit*. Pecunia spiritualiter homines intelliguntur: quia sicut numus habet charagma Caesaris, sic homo habet charagma Dei. Et quemadmodum solidus, qui non habet charagma Caesaris, reprobus est: ita et homo, qui non ostendit in se imaginem Dei, reprobus aestimatur. Unde Isaias dicebat ad Jerusalem: *Pecunia tua reproba est, caupones tui miscent vinum aqua* (*Isai*. 1. 22), et caetera. Ideo ergo mensas numulariorum evertit, significans quia in templo Dei non debent esse numi, nisi spirituales, id est, qui Dei imaginem habent: et non illi numi, id est, non illi homines, qui terreni regis imaginem portant, id est, diaboli. Nam sicut homo bonus in se imaginem Dei ostendit, sic et homo malus imaginem diaboli habet. Aut certe mensas spiritualiter dicit scripturas numulariorum, id est, sacerdotum. Vere enim sacerdotum illorum scripturae eversae sunt, ut jam nemo eorum pascatur in eis, succedente Novo Testamento priori. *Et cathedras vendentium columbas evertit*: loquens etsi non sermone, tamen ipso facto: Quid faciunt in templo multae columbae venales, ex quo una columba gratuita descendit in templum corporis mei? id est, Spiritus sanctus replevit Ecclesiam meam. Non enim in sacrificio columbarum postmodum placiturum est Deo templum, id est Ecclesia, sed in Spiritu sancto. Dixi enim vobis per prophetam: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meae sunt omnes ferae sylvarum, jumenta in montibus et boves; cognovi omnia volatilia caeli* (*Psal*. 49. 9-11). *Immola Deo sacrificium laudis* (*Ibid. v.* 14), quia non hostias volo, sed corda: non sacrificia, sed fidem. Item dixi vobis per eumdem prophetam: *Afferte Domino gloriam et honorem* (*Psal*. 28. 2). Et si vere vultis in templo Dei consistere, tollite hostias, et sic introite in atria ejus sancta. Tollite tauros de templo, quia unus taurus est offerendus pro grege universo: de quo Jacob dicebat accusans Levitas, id est, sacerdotes: *Quia in ira sua occiderunt hominem, et in furore suo subnervaverunt taurum* (*Gen*. 49. 6). Tollite oves de templo, quoniam unus agnus occidetur. Quoniam ergo per

Commented [p227]: Col.841

prophetas admonuerat eos, ubi hostias de templo tollerent animalium, et corda sua contribulata et humiliata offerrent, illi autem non obaudierunt: juste nunc tamquam iratus super inobedientia eorum, propria virtute expellit eos, ostendens per haec, quoniam ipse est qui tunc per prophetas admonuerat eos de hostiis expellendis. 13. *Scriptum est enim: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum* (*Isai*. 56. 7). Templum autem Dei speluncam facit latronum, qui lucra terrena et illicita, non etiam spiritualia in animarum salutem sectatur. Cultusque religionis eo modo non tam cultus Dei est, quam iniquae negotiationis occasio. Nam quotidie ingreditur Jesus in templum suum, id est in sanctam Ecclesiam, et ejicit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia, episcopos, presbyteros, diaconos, omnesque ecclesiasticos, necnon et laicos: quia unius criminis habentur, pariter Dei dona vendentes et ementes: quia scriptum est, *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth*. 10. 8). Columbas quoque vendentium cathedras evertit, ut quod honor sacerdotalis debet auferri ab eis, doceret, qui pro terrena mercede opus Dei faciendum existimant. Quod igitur de ecclesiasticis diximus, hoc unusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus: *Vos estis templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (1. *Cor*. 3. 16). Non sit igitur in domo pectoris tui negotiatio illicita. Nihil boni, quod facimus, vel facere possumus adjuvante Domino, appetitu jactantiae faciamus, non terreni lucri concupiscentia, non malarum cupiditate rerum, ne ingrediatur Jesus iratus et rigidus, et non aliter emundet templum suum, nisi flagello adhibito, id est, correctione gravissima, et de spelunca latronum, id est, de habitaculo daemonum per usum iniquae cupiditatis, et de domo negotiationis, id est, de corde terreni lucri inhiante, suae faciat domum habitationis. Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, cruciantur delicti sanandis vulneribus, quibus humana fragilitas sauciatur. Diligens est adhibenda curatio. Unde dicit Scriptura: *Quis enim gloriabitur castum se habere cor, mundum a peccato* (*Prov*. 20. 9)? Omnes igitur intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis suae necessariam sibi esse medicinam. Nemo enim est tanta firmitate suffultus, ut de justificatione sua debeat esse securus. Utamur igitur, dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, et solertiori cura nostras maculas tergamus. Quantumlibet enim caste et sobrie mortalis haec vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenae conversationis aspergitur, et nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis est alienus, ut nulla possit sorde fuscari, et non semper indigeat expoliri. Quod si etiam castissimis animis necessarium est, quanto magis est expetendum, qui tota forte anni spatia aut saecularius aut negligentius transierunt? Quos caritate debita commonemus, ut confugiant omnes ad praesentem ubique Dei misericordiam, et digna se confessione cum observantia mandatorum Dei cunctorum corda sanctificent. Mitescat saevitia, iracundia mansuescat. Remittant sibi omnes culpas invicem suas. Nec exactor sit vindictae, qui petitor est veniae. Dicentes enim, *Dimitte nobis debita, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth*. 6. 12), durissimis nos vinculis colligamus, nisi quod profitemur impleamus. Clementes autem et mites animos largitas deorum. Nihil enim est dignius, quam ut homo sit auctoris sui imitator, et secundum modum propriae facultatis divini operis sit exsequutor. Nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, nonne auxilium Dei munus explet ministri? Et benignitas servi, munus est domini. Et merito Deo gratiae referuntur de pietatis officiis, cujus opera videntur in famulis. Propterea ipse Dominus discipulis suis ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est* (*Matth*. 5. 16). 14. *Et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo, et sanavit eos omnes*: ut quod illi verbis clamabant, iste factis

Commented [p228]: Col.842

ostenderet. Quasi testis vocis eorum sanavit caecos, ut caeci videntes, caecos aspicientes, viderent et ipsi: ut istorum illuminatio corporalis fieret illis spiritualis lucerna cordis. Curavit et claudos, ut claudicantes Judaei in fide currerent ad Christum, ut meliores pedes illi acciperent videntes quam isti. 15. *Videntes autem principes sacerdotum, et scribae mirabilia quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosianna filio David: indignati sunt,* 16. *et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt?* Quibus ipse poterat dicere: Et vos videtis quid ego facio? Illos loquentes attenditis, et me facientem non consideratis. Ego enim factis interpretor voces illorum. Quemadmodum columna in templo, si steterit recta, accepto pondere amplius confirmatur; si autem modice obliqua fuerit, suscepto pondere, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latus: sic et cor hominis si rectum fuerit, videns opera alicujus viri justi, aut audiens, per doctrinam sapientiae ejus amplius confirmatur; si autem fuerit perversum cor, videns opera alicujus viri justi, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, et magis pervertitur. Hoc modo et sacerdotes videntes sanitates aegrotantium, et audientes laudem puerorum, non solum non crediderunt in Christum, sed magis excitati sunt contra eum, dicentes: *Audis quid isti dicunt?* Utinam vos audieritis quid dicunt! Hae enim sanitates aegrotantium de vocibus clamantium testimonium dant, quia vera sunt quae dicuntur. Item voces clamantium de sanitatibus aegrotantium testimonium reddunt, quia magna sunt quae fiunt. Si sanitates aegrotantium mentiuntur de Christo, interrogate voces clamantium. Si voces clamantium mentiuntur, interrogate aegrotantium sanitates. Et ut quid quasi reum arguitis, quem tanti testes defendunt? Si juste clamant, consentite clamantibus, et credite in Christum; si autem injuste dicunt, reprehendite illos magis injuste, dicentes: Et ut quid Christum culpatis? Quid enim culpant Christum, si intelligunt illi quid dicunt? *Jesus autem dixit eis: Utique numquam legistis, Ex ore infantium ex lactentium perfecisti laudem* (*Psal*. 8. 3)? Tamquam si dicat, Esto: istud mea culpa est, quia isti clamant: numquid mea culpa est, quia ante tot millia annorum hoc futurum propheta praedixit? Si recordamur quomodo superius dixit, *Turba autem quae praecedebat, et quae sequebatur, clamabat*: intelligimus quia infantes dicebantur, non aetate, sed simplicitate cordis. Infantes autem lactentes, nec intelligere aliquid, nec laudare possunt. Lactentes autem dicebantur, quoniam quasi lactis suavitate, ita mirabilium delectatione excitati clamabant, sicut scriptum est: *Sic exaltavi animam meam, sicut ablactatus super matrem suam* (*Psal*. 130. 2). Lac enim dicitur opus miraculorum, panis autem doctrina perfectae justitiae, sicut ait Apostolus: *Et verbum meum, et praedicatio mea, non in persuasione sapientiae verbi, sed in ostensione spiritus et virtutis* (1. *Cor*. 2. 4). Item post modicum sic dicit: *Et ego non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*Ibidem*. *c.* 3. 1. 2). Omnis prima inductio fidei, id est, simplex doctrina, lac dicitur, quoniam sicut lac sine labore et sine opere dentium manducatur, et manducantem suavitate sua delectat: sic et mirabilia nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, et ad fidem molliter invitant. Panis autem perfectioris doctrinam justitiae significat, quam accipere non possunt, nisi exercitati sensus circa res spirituales: quoniam qui audit, necesse habet intra se tractatibus quibusdam discutere et meditari: quasi quibusdam dentibus spiritualibus molere. Unde et lex ruminantia animalia voluit esse munda (*Deut.* 14. 6). Illa enim esca doctrinae non tantum carnalibus suavis est, quantum spiritualibus utilis est ad salutem. Sicut enim infanti si dederis fragmentum panis, quoniam angustas habet fauces, offocatur magis quam nutritur: sic et homini

Commented [p229]: Col.843

imperfecto in fide, et puero sensibus, si altiora mysteria sapientiae volueris dicere, angustam habens fidem et sensum, magis scandalizatur, quam aedificatur. Et quemadmodum viro perfecto si dederis lac, fauces quidem ejus delectat, membra autem ejus non confortat. De pane enim scriptum est, non de lacte, quia confortat cor (*Psal*. 103. 15). Si autem panem manducet, non tantum fauces ejus delectat, quantum praestat ei virtutem: sic et viro perfecto in fide, et maturo sensibus, si miracula ostenderis, delectatur quidem aspectu, nihil autem proficit ei ad aedificationem sensus, aut notitiam veritatis; si autem verbum sapientiae exposueris ei, et ratione delectatur, et aedificatur in fide. 17. *Et relictis eis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, et mansit ibi*: ut recedendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quam respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, et illum non placas, et teipsum subvertis. *Et mansit ibi.* Noluit manere in Jerusalem, de qua jam voluntate recesserat, quae in mortem Domini sui jam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura quam Dominum; sed mansit apud Lazarum et sorores ejus, ut illic requiesceret corporaliter, ubi et spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est, non ibi quaerere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores: nec gaudent ubi epulae largae sunt, sed ubi sanctitas floret.

Homilia xxxix. ex capite xxj. (col.843-9)

18. *Mane autem revertens in civitatem, esuriit,* 19. *et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, etc. Non quasi homo cibum, sed quasi Deus salutem humanam, non quasi indigens quaerit nostram justitiam, sed quasi misericors desiderat nostram salutem. Si autem quasi homo esuriisset cibum, numquam mane esuriisset: sed ideo ad hoc mane esuriit, quia semper esuriit, qui justitiam illorum esuriit, aut aliorum salutem. Merito ergo veniens ad gentem Judaeam Christus, mane esuriebat, cum per tot millia annorum nullum justitiae suae desiderat cibum. *Mane autem*. Id est, initium duodecimae horae, de qua supra loquuti sumus. Vides ergo quia mutationes istae saeculi ejus et horae dicuntur, et dies: et si consideres per singula saecula, quasi et mane, invenies fieri et vespere. Ecce factum est mane super Adam, quando creavit eum Dominus, et dedit ei mandatum justitiae quasi lucem. Deinde magis atque magis hominum iniquitate crescente, et quasi nocte veniente, justitia quasi lux recessit ab eis. Iterum factum est alterum mane, quando Dominus veniens ad Noe propter reparationem saeculi, ad eum et ad filios ejus posuit justitiae testamentum, quasi lumen. Iterum crescente hominum iniquitate, quasi nocte praevalente, recessit ab eis sol, id est, Dominus cum luce justitiae suae. Iterum revertens reduxit tertium mane, eligens Abraham, et ostendens ei quasi lumen animae notitiam veritatis, ponens testamentum in eo circumcisionis et fidei. Item praevalente iniquitate quasi nocte veniente, recessit ab eis, quando filii Israel secundum idola Aegyptiorum vivebant. Numquam enim afflixissent eos Aegyptii, si quantum ad primam faciem lux fuisset in eis. Item rediens quarto mane apparuit Mosi, et educens Israel de Aegypto, lumen legis ostendit eis. Item crescente iniquitate quasi nocte novissima, deducti sunt in captivitatem filii Israel. Revertens iterum Dominus reduxit quintum mane, revocans filios Israel de captivitate, restaurans plebem

Commented [p230]: Col.844

per Zorobabel, et per Jesum filium Josedech, de caetero reparans legem per Esdram prophetam. Iterum crescente iniquitate quasi nocte veniente, subtraxit ab eis Dominus misericordiam suam quasi lucem, et facti sunt iterum sub Romanorum potestate. Sexto autem mane reversus est Christus ad Judaeos et gentes, et dedit eis seipsum manifestissimum lumen. Etiam modo, sicut videtis, Christianorum iniquitate crescente, quasi nocte veniente, recedet a nobis, et auferet gratiae suae lumen a nobis, sicut ipse testatur, dicens: *Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram* (*Luc*. 18. 8)? Septimum autem lumen daturus est nobis, cum venerit reddere singulis secundum opera eorum. Et quotiescumque peccata hominum praevalentia excludunt a se misericordiam Dei, illud tempus nox dicitur: quotiescumque autem misericordia Dei praevalens non aspicit peccata nostra, sed visitat homines in bono, dies dicitur visitatio ejus. Ut scias autem de nocte, quae fit ante Christi adventum priorem, dicit propheta: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia* (*Psal*. 29. 6). De nocte autem consummationis futurae ipse Dominus dicit: *Cum sero factum esset, vocavit operarios, et reddidit eis mercedem* (*Matth*. 20. 8). Ergo per istos sex dies et noctes laboravit Dominus, vadens a nobis, et revertens ad nos: vadens propter peccata nostra, et rediens propter misericordiam suam; cum autem factum fuerit septimum mane, tunc requiescet in septimo die, quia postmodum hominibus viventibus sine successione peccatorum lux justitiae est permansura, et semper sol Christus erit nobiscum dicente Apostolo: *Rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic semper cum Domino erimus* (1. *Thess.* 4. 16). Ideo ergo mane revertens esuriit: quod mysterium intelligitur ex tempore resurrectionis ejus, quando relicta est synagoga, et suscepta est Ecclesia. *Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum.* Arbor fici est synagoga. Nam synagoga propter multitudinem multorum granorum sub uno cortice habitantium dicta est ficus quasi multorum hominum fidelium habitantium in una domo, sicut scriptum est: *Deus qui inhabitare facit unanimes in una domo* (*Psal*. 67. 7). Denique vide ipsa folia fici, quomodo secundum similitudinem manus formata sunt. Folia autem viriditatis sunt species tantummodo sanctitatis in homine, aut sine fructu operum verba religiosa. Quicumque ergo homo religiosus, id est, arbor rationabilis, profitetur se esse Dei, et justitiam non operatur, arbor est tantummodo, folia sine fructu portans, quales sumus nos, de quibus prophetavit Apostolus: *Erunt*, inquit, *in novissimis diebus homines seipsos amantes, cupidi pecuniarum, elati, superbi, parentibus non obedientes, voluntatis suae amatores magis quam Dei, speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes, quos in finem maledicturus est Dominus, ut numquam ex illis fructus nascatur, sicut maledixit Judaeis, et aruerunt* (2. *Tim*. 3. 1-5). Secus autem viam est juxta mundum. Ideo ergo nullum in Judaeis fructum Christus potuit invenire, quia juxta mundum viventes erant, id est, secundum mundum. Mundus enim via est communis, per quam omnes transeunt qui nascuntur, sicut exposuimus in parabola seminantis. Quicumque ergo homo fidelis, id est, arbor rationabilis, juxta mundum vivens, numquam potest in se fructum justitiae tenere. Unde Paulus dicebat ad Timotheum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (2. *Tim*. 2. 4). Ut quid non potest fructus suos tenere? Transeuntes enim et retranseuntes daemones, vel ministri ipsius, per viam, id est, vagantes per mundum suum, excutiunt eos. Sicut enim irrationabilis terra, quae secus viam posita est, semper conculcatur, et dura est, et semina doctrinae in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea: sic et omnis arbor rationabilis juxta viam posita numquam potest esse

Commented [p231]: Col.845

fructifera, id est, homo secundum mundum vivens numquam potest evadere a peccato, ut sit justus. Frequenter enim transeuntes spiritus ipsas gemmas justitiae excutiunt de ramis ejus, antequam aperiantur in flores. Interdum autem ipsos flores jam apertos excutiunt, interdum vero etiam poma ipsa formata deponunt. Rami enim sunt animae sensus ipsius, de quibus omnia bona procedunt. Gemmae autem sunt bonae cogitationes cohaerentes in sensibus. Aperti autem flores sunt bonae voluntates. Sicut enim de gemmis flores procedunt, ita de bonis cogitationibus nascuntur bonae voluntates. Sicut autem flores non possunt procedere, nisi fuerit gemma: sic bona voluntas nasci non potest, nisi praecesserit in homine cogitatio bona. Bona enim cogitantes incipimus desiderare quae bona sunt apud Deum. Nam voluntates bonae sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum odoriferi flores. Unde Salomon dicebat: *Fili, serva te a cogitationibus quae sunt sine intellectu* (*Sap*. 1. 5). Poma autem sunt opera justitiae perfectae. Sicut enim ex floribus poma formantur, ita ex bonis voluntatibus opera perfecta nascuntur. Sicut autem ante pomum flos praecedit, ita ante opus bonum bona voluntas. Omnis itaque homo, qui jam nec cogitat aliquando quae bona sunt, ipsas gemmas justitiae de ramis, id est, de sensibus ejus, transeuntes daemones excusserunt. Qui autem cogitat quidem bona, et proponit in corde suo facere quod bonum est: puta, aut eleemosynas facere, aut jejunare, aut continens esse, et tamen concupiscentia saeculi victus, aut ex quacumque occasione mutaverit voluntatem suam: de illius sensu jam apertos flores daemones excusserunt. Qui autem cogitavit bona, et proposuit, et perfecit quod proposuit, ille poma produxit. Quod si iterum peccaverit, et propter peccata sequentia justitiae opera priora perdiderit, de illis sensibus daemones jam perfecta poma excusserunt. Sicut ergo difficile est arborem juxta viam positam fructus suos usque ad maturitatem servare: sic difficile est virum fidelem juxta istum mundum viventem, id est, in actibus ejus, justitiam immaculatam usque in finem servare. Si vis ergo fructus justitiae usque in finem tenere, recede de via, et plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo. *Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Non quia maledixit arborem, ideo fructus non dedit, sed quia non dabat, ideo maledixit ei, ut nec folia ipsa proferret: id est, non ideo Judaei perdiderunt justitiam, quia Deus eos dereliquit, sed ideo eos Deus dereliquit, quia justitiam non afferebant, ut nec ipsa species pietatis esset in eis, aut sermo. Et vere sicut melius est, ut non sit arbor, quam ut sit quidem, et secundum genus suum fructum non faciat: sic melius est, ut nec sit homo Dei, quam ut sit quidem, et conversationem non habeat secundum Deum. Qui enim tuus non est, si tibi non obaudit, non doles: de illo autem graviter doles, qui tuus est, et te contemnit, et aliis servit: sic Deus non tantum de alieno et aperte diabolo servienti irascitur, quantum de suo diaboli faciente voluntatem. Ideo in fine saeculi ipse Deus mittet operationem erroris in tales, sicut et quotidie fieri videmus, ut credant mendacio, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, ut judicentur omnes. Non vult enim ut videantur esse ipsius, qui vere non sunt ejus. Uxor meretrix melius est ut nec sit viri sui, quam ut ipsa illius, male ambulando excitet eum in zelo. *Et arefacta est continuo ficulnea.* 20. *Et videntes discipuli, mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit ficulnea?* Mirati sunt, quia sermo ejus quasi flamma descendit ad radices ipsius. O apostoli, qui vidistis Lazarum sepultum et putridum iterum venientem ad vitam solo sermone (*Joan*. 11): quid miramini, si videtis arborem solo sermone siccatam? Qui enim potest vitam donare, ille potest et vitam auferre: qui autem vitam auferre non potest, nec vitam dare potest. 21. *Respondens autem Jesus, ait illis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non haesitaveritis, non solum de*

Commented [p232]: Col.846

ficulnea facietis: sed et si monti huic dixeritis, Tolle te, et jacta te in mare, fiet. Mons ille invisibilis, qui arbores infructuosas producit, ubi loca petrosa et aspera, ubi praecipitia pendentia, et cavernae, non hominibus ad habitandum aptae, sed bestiis, ubi nulla est planities ad requiescendum in pace, sed ascensionibus et descensionibus plenus est. Quicumque enim diabolo stant, alias ascendunt, alias descendunt. Qui mons est dictus, non propter altitudinem dignitatis, sicut angeli sancti, sed propter inflationem superbiae; non propter firmitatem virtutis, sed propter immobilem et incorrigibilem malitiam suam. Istum montem tollite de medio sanctorum, ubi fides, ubi spes, ubi caritas, ubi planities pacis, ubi speciosi fontes doctorum, ubi prata florentia rore gratiarum, ubi volucres sancti, assidue vernantes cantibus delectant. *Et mitte te in mare*, id est, in istum mundum, ubi aquae sunt salsae, et non procedentes ad usum, id est, populi iniqui, non proficientes ad gloriam Dei, in quos omnia dulcia flumina spiritualium gratiarum currunt, et salsitatem eorum mutare non possunt; sed magis illorum salsitas corrumpit in se dulcedinem venientium fluminum in mare hujus mundi, ubi semper dominantur potestates, et diversorum spirituum periculosa certamina. Sicut enim assidua est in mari tempestas, sic in isto mundo persequutio satanae, ubi numquam tranquillitas est, sed ascendentibus undis, id est, tentationibus impellentibus et impulsis, invicem se percutiunt aquae, et invicem se frangunt et confringuntur, et invicem se confringentes quemdam irrationabilem sonum dant. Sic seipsos homines, occasionibus hujus mundi ex ipso mundo nascentibus, quasi undis, se invicem comedunt et impugnant, et ex se quasi insanas voces pelagi dimittunt. Unde dicebat Apostolus: *Omnis clamor et ira tollatur a vobis* (*Ephes*. 4. 31). *Mitte te in mare.* Ubi sonus confusus, ubi inconstantia aeterna, ubi infatigabilis contentio undarum, ubi timor est, et semper mortis fluit imago. 22. *Et omne quodcumque petieritis in creatione, credentes accipietis.* Gratiam quidem fidei Deus donat; tamen homines eam nutriunt, et faciunt fortem: fides autem facit abstinentiam rerum malarum, et opus bonarum. Quanto magis te abstinueris a malo, et sequutus fueris bonum, tanto amplius fidem tuam fortem facis. Quanto autem minus abstinueris a malo, et negligentius feceris bonum, tanto magis fidem infirmam habes. 23. *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: In qua potestate haec facis? et quis tibi dedit hanc potestatem*? Quoniam autem unum diem viderant sacerdotes Christum cum magna gloria introeuntem in templum, ita ut populus undique voce angelica clamaret: *Hosanna filio David.* Qui ingrediebatur ut homo, laudabatur ut Deus. Qui celabatur in carne, demonstrabatur in voce. Quem malitia sacerdotum quasi hominem blasphemabat, hunc innocentia parvulorum quasi Deum exaltabat. Quantum autem ille glorificabatur, tantum sacerdotes invidia torquebantur, et illius honor illis fiebat in tormentum. Sic enim est res, ut quando boni in sua virtute laudantur, mali autem in sua invidia cruciantur. Itaque non sufferentes in pectore suo invidiae stimulantis ardorem, prorumpunt in vocem: *In qua potestate haec facis?* O invidia, quae sibi semper est inimica! Nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit, illi autem, cui invidet, gloriam parat. Ipse vituperabilis invenitur de sua invidia, ille autem laudabilis demonstratur de sua virtute. Ergo invidia sibi soli nociva est: alterum autem non solum non gravat, sed adhuc magis commendat. Venerunt ergo ad eum quasi ad peccantem in templo, et dum non inveniunt culpam, criminantur beneficium, dicentes: *In qua potestate facis haec?* Corpus sanum aliquoties percutitur, et non facile vulneratur: corpus autem debile ab intus tacitam habens laesuram, etiamsi modice tactum fuerit, citius dissipatur. Sic animal liberum et integrum non facile offenditur: animal vero

Commented [p233]: Col.847

invidia vulneratum non solum causa idonea, sed etiam levis occasio excitat in dolorem. Sic et sacerdotes Judaeorum invidentes Christo, dum justas causas accusandi non inveniunt circa eum, etiam de bono ejus turbantur, dicentes: *In qua potestate facis haec?* Cogitabant in dolore apud se: Nos fuimus columnae templi, et ecce super illum recumbit tota Ecclesia, et nos inventi sumus sine causa erecti, quia ministerium perdidimus, et nomen vacuum possidemus. Nos fuimus tacentium Scripturarum quasi lingua visibilis, et ecce ille resonat in medio templi, et nos contempti tacuimus quasi cithara dissipata. Nos fuimus patres populi, et ille quotidie generat filios, nos autem steriles sumus inventi. Ideo non ferentes dicebant: *In qua potestate facis haec?* Dicendo, *Quis tibi dedit hanc potestatem?* ostendunt illi quasdam esse personas, quae dant hominibus potestatem, sive corporalem, sive spiritualem. Tamquam si ita dicant: De sacerdotali familia genitus non es, senatus tibi hoc non concessit, Caesar non donavit. Si autem credidissent, quod omnis potestas ex Deo est, numquam interrogassent, *Quis tibi dedit hanc potestatem?* scientes quia *Omne datum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacobi* 1. 17); et, quia *Nemo potest accipere aliquid, nisi datum fuerit ei de caelo* (*Joan.* 3. 27). Omnis homo secundum se aestimat alterum; nec potest ipse melius sentire de alio, quam ipse senserit de se. Ecce fornicarius neminem aestimat castum. Item castus non facile de fornicario suspicatur. Superbus neminem putat humilem; humilis neminem credit esse superbum. Sic qui non est ex Deo sacerdos, nullius sacerdotium putat ex Deo. Unde autem putas fieri, ut invicem se sacerdotes contemnant et persequantur, nisi quia per ambitionem facti sacerdotes, omnes tales aestimant, quales sunt et ipsi? Sacerdos autem, qui est secundum Deum, omnem sacerdotem timet offendere, quia omnes ex Deo fieri arbitratur, quamvis ex hominibus sit factus. Ecce enim David quamvis manifestum sciret Saul non esse regem secundum Deum, tamen frequenter sibi traditum nolebat occidere, dicens: *Non injiciam manum meam in unctum Domini* (1. *Reg.* 24. 7). Item cum Paulus maledixisset sacerdotem Ananiam, et audisset quoniam erat sacerdos, poenitentia ductus respondit: *Nesciebam, fratres, quia princeps erat sacerdotum* (*Act.* 23. 5). Aut certe scientes sacerdotes, quoniam multi quidem faciunt signa, non ex potestate Dei, sed ex potestate contraria, sicut in multis exposuimus locis, ideo blasphemantes interrogabant, *In qua potestate facis haec?* in spiritu Dei, an in spiritu Beelzebub? Sicut alibi blasphemantes dicebant de eo, *Quia hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum* (*Matth.* 12. 24). 24. *Respondens autem Jesus, dixit: Interrogabo vos unum verbum, quod si dixeritis mihi, et ego vobis dico in qua potestate haec facio.* 25. *Baptisma Joannis unde erat? de caelo, an ex hominibus?* Sciens Dominus inconvertibilem eorum malitiam, proposuit eis quaestionem undique catenatam, non ut respondentes audiant, sed ut impediti non interrogent: quia praeceperat: *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* 7. 6); et non decebat, ut transgrederetur praeceptum, quod ipse praeposuit. Deinde etiam si dixisset, nihil profecisset: quia non potest sentire quae lucis sunt tenebrosa voluntas. Quid prodest, si caeco aliquam pulchritudinem monstras? Caecitas autem spiritualis est malitia cordis. Sicut enim caecus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis. Sicut enim cautus venator, bestiam comprehendere volens, cum viderit ex una parte illius praecipitem locum, ex altera parte erigit retia, ut ex quacumque parte exsilierit, aut in retia incidat, aut in praecipitium cadat: sic et Dominus illis simplici interrogatione laqueum posuit, ut si quidem de caelo dicerent, in laqueum reprehensionis inciderent: diceret enim eis: 26. *Quare ergo non creditis eis?* si autem de terra dicerent, quasi in

Commented [p234]: Col.848

praecipitium, sic in periculum mortis incurrerent apud populum, ut lapidarentur. Interrogantem enim oportet docere, tentantem autem quocumque modo retundere, et objectionis illius astutiam rationabili percussione confundere, et non veritatem ejus mysterii publicare. Sic enim alibi Dominus diabolo fecit, cum protulisset adversus eum exemplum Scripturae, quam non intellexerat, dicens: *Scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* (*Matth*. 4. 5. 6. *et Psal*. 90. 11). Non ei dixit, Non sic intelligitur scriptura illa, sed sic dimisit eum in ignorantia: et altero eum manifestiori confudit exemplo, ut et audaciam ejus confunderet, et prophetica mysteria non revelaret. 27. *Et respondentes dixerunt Jesu: Nescimus. Et ipse ait eis: Nec ego vobis dico in qua potestate haec facio.* Non dixit, Nec ego scio. O vos scitis, ut homines, et denegatis, ut mali: ego autem scio ut Deus, et non dico quasi justus indignis. Nam mendacia, si non habent quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur. Sic et veritas, si non invenit quem salvet, ipsa se sibi conservat immaculatam. 28. *Quid autem vobis videtur?* Quod reos proponit in causa, ipsos et judices petit, ut a nullo mereantur absolvi, qui seipsos condemnant. Magna est fiducia justitiae, ubi causa adversario ipsi committitur, reddi veritatis exitum non timet. In parabolis figurat personas eorum, ut quia non intelligunt, ipsi adversus se sententiam dicant. Sic et aliquando cum David in peccatum incidisset, quasi stupore alicujus somnii vigilabat: nam quamvis peccaverat, tamen adhuc David erat sanctissimus. Itaque a Nathan parabolarum retibus comprehensus, coegit ut ipse adversus se judicium mortis proferret (2. *Reg*. 12). Et circumventio quidem tunc talis, sed circumventionis exitus modo non talis: ille enim comprehensus ad poenitentiam flexus est, isti autem magis ad malitiam sunt excitati: haec est enim proprietas bonorum hominum et malorum. Bonus enim comprehensus in peccato ingemiscit, quia peccavit; malus autem comprehensus, fremit, non quia peccavit, sed quia comprehensus est in peccato. Utputa, domesticum animal, si aliquanto tempore extra domum errando fuerit evagatum, cum venerit in manibus domini sui, quasi in recordationem naturae suae redactum, cito iterum mansuescit: animal autem silvestre, cum fuerit comprehensum, aut morsibus appetit, aut calcibus repugnat. Sic et malus homo correptus, non solum poenitentiam non agit, sed adhuc adversus corripientem magis irascitur.

Commented [p235]: Col.849

Homilia xl. ex capite xxj. (col.849-59)

28. *Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam*. 29. *Ille autem respondens, ait: Nolo*. *Postea autem poenitentia motus, abiit.* 30. *Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine: et non ivit.* 31. *Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedunt vos in regno Dei*. 32. *Venit enim ad vos Joannes in via justitiae, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* Quis est ille, nisi Deus, qui omnes homines creavit, paterno affectu diligit: qui cum sit natura Dominus, tamen magis vult diligi quasi pater, quam timeri ut dominus? Propterea in principio mandatorum legis non dixit, Timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sed, *Diliges* (*Deut*. 6. 5). Dilectionem enim ab hominibus exigere non est dominii, sed paternitatis. *Qui duos filios*

habuit. Unum quidem gentium populum, alterum Judaeorum: quorum major filius erat gentium populus, minor autem populus Judaeorum, quoniam gentes quidem erant ex patre Noe, Judaei autem ex Abraham. *Et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operari in vinea mea. Hodie,* id est, in tempore saeculi hujus. Quomodo loquutus est filiis suis? Non in facie ut homo, sed in corde ut Deus. Homo in auribus verbum sonans, sed Deus in mentibus suggerit intellectum. Quoniam autem sic loquitur Deus, ipse signat dicens Heliae: *Descende in Sarreptam Sidoniae, et illic mandabo viduae, ut pascat te* (3. *Reg*. 17. 9). Quomodo, putas, mandavit viduae? Non sermone, sed in spiritu; nec enim legitur specialiter ei Deus mandasse. Quis autem non intelligat, Deum invisibiliter in corde ei locutum? Quando enim venit ad eam Helias, illa colligebat hastellas, ut sibi quidem et filiis suis, non autem ut Heliae cibum pararet; sed repente magnanimiter obtulit admonenti, quod ante cum extrema desperatione paraverat. Quando enim modicam habebat farinam in capsa, sed magnam fidem habebat in corde, quam esuriebat Helias: reges quidem esuriebant, vidua autem pascebat: quia in illa tentatione horrea quidem defecerunt, capsa autem exuberabat, ut impleretur quod fuerat scriptum: *Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* (*Psal*. 33. 11). Quid est operari in vinea? Justitiam facere. Vineam enim justitiam diximus supra, quam generaliter quidem in natura omnium hominum Deus plantavit, specialiter autem dedit eam in libro Judaeis: cujus diversae vites sunt diversae species justitiarum: in qua vinea unusquisque, secundum proprias vires, aut paucas vites operatur, aut multas. Nescio autem, si totam vineam quis hominum sufficiat operari. *At ille dixit: Nolo*. Quomodo dixit, *Nolo*? In cogitatu. Qui enim habens intellectum boni et mali, relinquit bonum, et sequitur malum, in cogitationibus suis contra Dominum respondere videtur, quia Nolo, id est, contra intellectum suum creatum sibi a Deo. Nisi enim dixerit in corde suo, Nolo, non potest fieri ut aliquando peccet, dicente propheta: *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso* (*Psal*. 35. 1). Gentes enim a principio relinquentes Deum et justitiam ejus, et transeuntes ad idola et peccata, in cogitationibus suis respondere videntur: Nolumus facere justitiam quam scimus ex nobis. *Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, et non ivit.* Judaicus enim populus, id est, minor filius, interrogatus, et per Mosem, et per Joannem, quasi a Deo per eos loquente, spopondit se omnia facturum quaecumque praeceperat Dominus: postea autem aversi, mentiti sunt Deo, sicut de illis dicit propheta: *Filii alieni mentiti sunt mihi* (*Psal*. 17. 46). *Quis ex duobus fecit patris voluntatem? At illi responderunt: Primus.* Vide quomodo, sicut jam diximus supra, attracti parabolae veritate, ipsi adversum se sententiam protulerunt, dicentes, priorem filium patris voluntatem fecisse, id est, populum gentium: quia melius est non promittere et facere justitiam Dei, quam promittere et mentiri. Quorum judicium abundanter confirmans addidit, et dicit: *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei.* Ac si dicat: non solum populus gentium melior est vobis Judaeis, sicut judicastis et ipsi, sed etiam publicani et meretrices, qui sunt inter vos manifeste turpissimam profitentes vitam, praecedunt vos in regnum Dei: quanto magis populus gentium? Puto quod ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, et ex persona omnium mulierum peccantium meretrices: quoniam quamvis multa sint peccata in viris et mulieribus praeter ista, tamen praecipue in viris avaritia abundat, fornicatio autem in mulieribus. Utputa, mulier quamvis potest esse avara aut superba, tamen non facile per avaritiam aut superbiam peccat: quoniam non habet facile honores, pro quibus avaritiam exerceat: aut sit superba inter eos, cum quibus conversatur, ut in superbia

Commented [p236]: Col.850

peccet, quae in domo sua sedet inclusa. Ideo autem facile peccatum fornicationis incurrit, maxime quia hoc vitium facile ex vacantia et otio nascitur. Nam qui sollicitudinibus animum habet occupatum, non facile fornicationi operam dat. Nam definitio amoris haec est: animae vacantis passio. Vir autem quoniam in actibus rerum diversarum est assidue, in avaritiae peccatum incurrit; in fornicationem autem non facile, nisi forte multum sit lascivus. Nam occupatio virilium sollicitudinum, suggestionum voluptates plurimum excludit. Unde proprium est hoc adolescentium nihil agentium. Nunc exponit causam, propter quam publicani et meretrices praecedunt eos, dicens: *Venit ad vos Joannes in via justitiae, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec poenitentiam egistis postea, nec credidistis.* Ac si dicat: Etsi non venisset ad vos Joannes in via justitiae, sed tantum baptismum ponitentiae praedicasset: vos quasi sacerdotes et prudentes, quasi judices non personarum, sed rerum, debueratis ei credere, etsi non quasi justo, tamen quasi justa dicenti. Quid enim pertinet ad auditorem vita praedicatoris? Si enim male vivit, illius est damnum solius: si autem bene docet, omnium audientium lucrum est. Nunc autem venit ad vos in via justitiae sic manifesta, ut conversatio ejus venerabilis et angelica vita etiam publicanorum et meretricum corda concuteret, et percussa pavore flecteret ad credendum, et vestra corda non tetigit. Videtis quia juste publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei? Considera autem, quomodo conversatio bona praedicatoris praedicationi suae praestat virtutem, ut etiam indomabilia domet corda. Et ipsa quidem praedicatio justa unam ex se habet virtutem: duplicem autem habet, quando et praedicatio justa est, et ipse qui praedicat justus. Sic dicit: Vos autem nec poenitentiam egistis, quasi publicani et meretrices credentes Joanni. Illi fecerunt quod majus est, isti autem neque poenitentiam egerunt, quod est minus. Numquid publicani et meretrices credentes in Christum, sine poenitentia crediderunt? neque enim possibile erat credere in eum sine poenitentia, qui baptismum poenitentiae praedicabat. Quod ergo vult dicere, tale est: Debueratis vos quidem, sacerdotes, quasi justitiam Scripturarum habentes, quasi populi praecessores, ante populares credere Joanni, ut omnes illi vestrum sequerentur exemplum: et non solum hoc non fecistis, sed nec postquam vidistis publicanos et meretrices credentes, nec nunc confusi estis, aut compuncti: quia publicani et meretrices crediderunt, qui credere non sperabantur; vos autem in duritia permansistis, qui videbamini totius justitiae sectatores, et ne tunc quidem poenitentiam egistis, ut crederetis, ut vel illorum exemplum sequeremini, quibus debueratis ipsi esse exemplum. Numquid vos magis sine peccato eratis quam illi, ut, illis credentibus ei, vos non crederetis Christo? Non, sed magis contemptores Dei, magis superbi, et vanae gloriae amatores, et duri, qui nec praecedere illos voluistis in fide, nec sequi. Et vere magna confusio est sacerdotum, et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis, aut justiores. Quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam aequales esse confusio est? Per hanc ergo parabolam eis prophetabat, quia gentes quidem quasi meliores fuerant eligendae, quae in primis quidem contumaciam ostenderunt, postea autem obedientiam exhibuerunt: et Judaei quasi deteriores abjiciendi, qui in primis quidem professi sunt obedientiam, postea autem inventi sunt contumaces, quia melius est apud Deum non promittere et facere, quam promittere et mentiri. Tamen in figuratione Judaeorum et gentilium, quam exposuimus, multorum traditionem sequentes, aliquid mihi videtur esse contrarium. Si enim vere hi duo filii Judaei et gentiles essent intelligendi, postquam sacerdotes interrogati responderunt, priorem filium voluntatem patris fecisse, concludens Christus parabolam,

Commented [p237]: Col.851

sic debuit dicere: *Amen dico vobis*, quia gentes praecedunt vos in regnum Dei: nunc autem dicit, *Quia publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei.* Quod magis profanorum hominum conditionem ostendit, quam gentium statum; nisi forte sic intelligamus, ut supra jam diximus: quia ex hac narrationis causa publicanos introduxit et meretrices, pro eo ut dicat, Sic gentium populus magis placens est Deo quam vos, ut etiam publicani ipsi et meretrices acceptabiliores sint apud Deum propter conversationem suam, quam vos propter promissionem vestram mendacem. Si ergo placet propter hanc rationem traditio illa, bene: sin autem, potest et altera esse traditio talis. Cum sacerdotes non discendi causa, sed terrendi interrogarent, *In qua potestate facis haec* (*Matth.* 21. 23)? audierant frequenter, sicut exponit Joannes, quando dicebat, ut unum proferam de multis exemplum: *Dixi vobis, et non credidistis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, ipsa testificantur de me* (*Joan.* 10. 25). Item, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Quod si facio, etsi mihi non vultis credere, vel operibus credite, ut sciatis et credatis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Ibid. v.* 37. 38). Hoc enim non erat manifeste pronuntiare, quia in potestate Dei haec faciebat. Quoniam ergo, haec eo dicente, ex populis multi in eum crediderunt, sacerdotes autem juxta quod non crediderant, sed adhuc frequenter insurrexerant super eum, introduxit parabolam duorum filiorum: ostendens eis per eam, quoniam meliores sunt populares, qui a principio saecularem et carnalem profitentur vitam, quam sacerdotes, qui ab initio profitentur se Deo servire: quoniam populares quidem, vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti convertuntur ad Deum, et incipiunt operari justitiam Dei; sacerdotes autem impoenitibiles constituti, numquam desinunt peccare in Deum. Duos ergo filios dicit laicorum conditionem, et ordinem sacerdotum. Quis est prior filius? Populus. Prior enim populus creatus est, deinde sacerdotes, qui regunt populum. Alioquin ante creati rectores, quam regerent? Non enim populus propter sacerdotes creatus est, sed sacerdotes propter populum. Nam et mundum Deus ante creavit, et postea hominem, qui regeret mundum. Denique populus Dei ex tempore Abrahae coepit, sacerdotes autem ex tempore Aaron. *Et dixit uni eorum: Fili, vade hodie operari in vineam meam. At ille respondit, Nolo. Postea autem poenitentia motus, ivit. Et accedens ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domino; et non ivit.* Nam sicut omnes Judaei quamvis interrogati et per Mosem et per Jesum, quasi a Deo per eos loquente, spoponderunt omnia se facturos, quae praeceperat eis Deus, et non fecerunt; gentes autem quamvis non promiserint prius, tamen postea obedientiam Deo dederunt: ita enim et populares per hoc ipsum, quod saecularem suscipiunt vitam, denegare videntur obedientiam Deo; sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, praecipue per hoc ipsum quod specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio profitetur se talem fore, qualem esse oportet doctorem. Sicut enim qui sutoriam, verbi causa, aut quamcumque alteram profitetur artem, etsi specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum quod sutoriam professus est artem, et opificium vel magisterium ejus artis aperuit, videtur tacite omnibus spopondisse, ut sine reprehensione impleat quam professus est artem: sic sacerdos, et omnis clericus, etsi specialiter non promittat, tamen per hoc ipsum quod doctor constituitur aliorum, tacite promittere Deo videtur, in omnibus obauditurum se Deo. Quae sit autem vinea, vel quomodo Deus loquatur ad homines, diximus supra. *Quis e duobus fecit voluntatem patris? At illi responderunt, Primus.* Et verum est, quia melior est laicus, qui in prima facie saecularem vitam profitetur, revera autem complectitur spiritualem, quam sacerdos, qui in prima quidem facie profitetur vitam spiritualem, re

Commented [p238]: Col.852

vera autem amplectitur vitam carnalem. Et melior est laicus ante Deum poenitentiam agens, quam clericus permanens in peccatis. Laicus enim in die judicii stolam sacerdotalem accipiet, et a Deo chrismate ungetur in sacerdotium: sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotii dignitate, quam habuit, et erit inter infideles et hypocritas, dicente Domino de malo dispensatore: *Si autem coeperit sedere servus manducare et bibere cum ebriosis, veniet dominus ejus die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis et infidelibus* (*Luc*. 12. 45. 46). Unde et modo sic invenies rem. Saecularis homo post peccatum facile ad poenitentiam venit; nam occupatus negligentia saeculari, dum Scripturis non satis attendit, semper ei quae in Scripturis posita sunt, nova videntur: ideoque cum audit aliquid de gloria sanctorum, aut de poena peccatorum, quasi novum aliquid audiens, expavescit, dumque aut bona concupiscit, aut mala timet compunctus, ad poenitentiam cito decurrit. Nihil autem impossibilius, quam illum corrigere, qui omnia scit, et tamen contemnens bonum, diligit malum. Omnia enim quaecumque sunt in Scripturis, propter quotidianam meditationem ante oculos ejus inveterata et vilia aestimantur. Nam quicquid illic terribile est usu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditatur Scripturas, aut omnino observaturus est, et erit perfectus; aut si semel coeperit illas contemnere, numquam excitatur in illis, ut timeat. Quis aliquando vidit clericum cito poenitentiam agentem? Sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet quia peccavit, sed confunditur quia perdidit gloriam suam. Putasne, Dominus, quasi crudelis, clericis poenitentiam denegavit, dicens: *Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur* (*Matth*. 5. 13)? Sed quasi naturalem rem esse considerans, quia non est qui doceat illum errantem, qui errantes alios corrigebat, ideo addidit, et dicit: *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedunt vos in regnum Dei*. Id est, Non dico populares, qui secundum rationem verbi vitam suam dispensant: sed publicani et meretrices, qui desideriis mundialibus et voluptatibus carnalibus seipsos mancipaverunt, praecedunt vos in regnum Dei, quia illi conversi desiderant esse, quod non erant: vos autem denegatis in opere, quod videmini profiteri in verbo, et estis tamquam arbores folia sine fructu habentes, non pascentes dominum suum, sed deludentes. Et vide quod non dixit, aut quia Publicani et meretrices introibunt in regnum Dei, vos autem repellemini longe: aut quocumque alio verbo significante non eos intraturos in regnum Dei: sed ita, *Praecedunt vos in regno*. Ubi alius praecedit in caelesti regno, alter sequitur, qui etiam laetatur: etsi in secundo loco, tamen nihilominus erit in regno. Adhuc autem vide, quia non dixit quasi de futuro, Praecedent vos; sed quasi de praesenti, *Praecedunt vos*. Secundum haec igitur verba et sacerdotes significabantur ingressuri in regno Dei, id est, crediturі in Christo. Sed quia credentibus publicanis et meretricibus Joanni, et baptizatis ab eo, sacerdotes aestimantes se justos, neque credere voluerunt ei, post publicanos et meretrices intraturi annuntiantur, sicut et factum est. Post ascensionem autem Domini multi eorum per apostolos crediderunt in Christo, sicut testantur Actus apostolorum, dicentes: *Et multa turba sacerdotum obediebat fidei* (*Act*. 6. 7). Et qui sunt publicani et meretrices, qui praecesserunt eos in regno? Matthaeus publicanus, et Zachaeus princeps publicanorum, et caeteri publicani, qui cum ipsis et propter ipsos crediderunt in Christo. Et quae meretrices? Quas exponunt evangelistae nuper testantes, quia publicani et meretrices crediderunt Christo adhuc in mundo hoc degenti. Sacerdotes autem post ascensum illius per apostolos crediderunt. Ergo propter misericordiam quidem Dei ingressi sunt et ipsi in regno, propter elationem autem cordis sui post publicanos et meretrices ingressi sunt, ut fieret eis pro poena superbiae

Commented [p239]: Col.853

praecessio meretricum et publicanorum: ut per hoc cognoscamus, quia nihil sic impedit fidem quam elatio cordis: unde dicebat ad eos, *Vos, qui justificatis vosmetipsos, Deus novit corda vestra: quia quod hominibus elatum est, abominatio est ante Deum* (*Luc*. 16. 15). 33. *Audite et aliam parabolam.* Ac si dicat: Iterum vos vulnero, ut aliquando sentiatis dolorem: nam aspera medicina citius sanat, ubi tamen sanabilis morbus est. *Homo erat paterfamilias.* Homo nomine, non natura: similitudine, non veritate. Si quis autem existimat Christum hac causa etiam tantum animam habuisse humanam, quia dictus est homo, audiat et Deum Patrem hominem dictum. Praescius Dei Filius, quoniam per appellationem humani nominis quasi homo purus fuerat blasphemandus, etiam Deum Patrem invisibilem constitutum hominem appellavit, ut dum et Pater homo dicitur, Filius de haereticorum blasphemiis liberetur. Paterfamilias est, cui caelum et terra quasi una sunt domus, qui angelorum et hominum natura dominus est, benevolentia pater. Qui ideo se Patrem omnium voluit dici, ut omnes considerantes bonitatem ejus, non sub specie simulata ei serviant, quasi mali servi domino; sed in veritate, quasi boni filii genitori. *Qui plantavit vineam.* Quam vineam? Quam de Aegypto transtulit. Quomodo plantavit vineam illam? Quomodo vinitor studiosus, qui primum omnes in circuitu infructuosas sylvas excidit, et sic postea plantat, ne forte arbores lascivientes, dum huc et illuc per longa spatia ramos suos exporrigunt, adhuc tenerum effocent malleolum. Sic Deus gentes sine fructu justitiae constitutas occidit, et sic collocavit Israel, ne forte gentes indisciplinatae, dum in longum terminum suae dominationis extendunt, affligant populum Dei novitium. *Et sepem circumdedit ei, et torcular fodit in ea, et aedificavit turrim.* Quid est sepis, nisi angeli in circuitu, custodientes populum Dei, ne in vineam Christi invisibiles latrones irrumpant? Angelos enim praeesse hominibus et Apostolus dicit: *Mulier velamen debet habere super caput propter angelos* (1. *Cor*. 11. 10). Item Dominus: *Amen dico vobis, quia angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei* (*Matth.* 18. 10). Et in Actibus apostolorum dicitur ad puellam nuntiantem de Petro, *Ne forte angelus ejus sit* (*Act*. 12. 15). Quid est torcular, nisi Ecclesia? Sicut enim area Ecclesia intelligitur, quia in ea per multam triturationem et ventilationem triticum separatur a paleis: sic rationabiliter Ecclesia torcular est intelligenda, in qua omnes fructus vineae, id est, opera servorum Dei, et fides roborata ad Dei gloriam transmittuntur. Ecclesia autem torcular est, habens in se verbum Dei, quo non delectatur natura carnalis, adquiescit autem ei contorta propter timorem judicii, vel amorem praemii, ut non tantum ipsa Ecclesia torcular videatur, quantum ipsum verbum Dei, quod traditum est in ea fossum. Si enim verbum Novi Testamenti, quod leve est, cruciat hominem, contradicente carnis natura: quanto magis verbum Veteris Testamenti, quod importabile erat? Ubi ergo verbum Dei positum erat in lege, modum vivendi constituens, torcular erat fossum: ubi autem de fide Dei prophetabatur, turris aedificata erat. Nam sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, et hostium irruptionem ipsi facile non patiuntur, et hostes de turri facile conterunt: sic et qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, et daemones super se irruere non sinunt, et spiritualibus bonorum operum sagittis eos facile vulnerant; et daemones super illos irruere nequeunt, et a spiritualibus malorum operum sagittis non facile vulnerantur. Aut ita. Sepis meritum est et custodia patrum justorum, qui tamquam murus factus est populo Israel. Nam propter promissionem factam a Deo, sic possidebantur ab eo, etiam contra meritum suum, septi meritis patrum suorum. *Torcular autem fodit in ea*. Prophetas, ex quibus quasi ex torcularibus gratia Spiritus sancti decurrebat ut mustum. Ex quibus nonnumquam potati filii Israel, musti admirabantur

Commented [p240]: Col.854

virtutem. *Aedificavit turrim.* Hoc est, legis fiduciam et altitudinem, ex qua sacerdotes velut speculatores Christum specularentur venturum. *Et locavit eam colonis.* Qui sunt coloni, quibus locatus est populus, id est, vinea, nisi sacerdotes? Plantatus est autem populus primum in Abraham, quando in primis loquutus est ad eum Deus, dicens: *Exi de terra tua, et de cognatione tua* (*Gen.* 12. 1), etc. Ex eo enim facta est vocatio seminis ejus. Locatus est colonis tempore Mosi, quando per legem constituti sunt sacerdotes et Levitae, et procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, et ad grande periculum. Ad gloriam quidem, si diligenter tractaverint populum Dei: ad periculum autem, si negligenter. Si enim ille pro negligentia debet timere periculum, qui procurationem suscepit terrenarum rerum de manu alicujus hominis potentis: quanto magis sacerdotes, qui de manu Dei susceperunt animarum procurationem sanctarum? Plantatus quidem legitur populus in terra repromissionis, secundum quod scriptum est: *Vineam de Aegypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* 79. 9). Sed illam plantationem hic intelligere non oportet, ne prius locatam eam colonis inveniamur exponere, quam plantatam. Quoniam autem diximus sacerdotes populum Dei colere, Deum autem reddere mercedem vitae: nemo sacerdos existimet, quoniam juste pro merito operum suorum accipiet a Deo mercedem, et non potius propter gratiam et misericordiam Dei. Non enim sacerdotes praestant Deo docentes populum ejus, sed Deus sacerdotibus committendo eis populum suum in spiritu. Nos autem doctrinae mercedem acquirere non poteramus, nisi nobis procuratio populi commissa fuisset. Ergo coloni sunt sacerdotes, qui colentes populum quasi vineam, cum acutissimo ferro sermonis faciunt eos bonos fructus justitiae Domino exhibere. Sicut autem duram terram ferrum emollit, sic et verbum duritiam cordis relaxat. Sicut rastro ferreo herbae radicitus evelluntur a vinea, sic et acri sermone vitia de populo resecantur. Ut sicut colonus quamvis de suo munera obtulerit domino, non sic eum placat, quomodo si de vinea ejus reditus ei obtulerit: sic et sacerdos non tantum propter suam justitiam placet Domino, quomodo si populum Dei in sanctitate docuerit, quoniam ipsius justitia una est, populi autem multiplex. 34. *Cum autem tempus appropinquasset fructuum, misit servos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus suis*. 35. *Et apprehendentes coloni servos ejus, unum ceciderunt, alium autem occiderunt, alium vero lapidaverunt*. 36. *Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt eis similiter.* 37. *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.* Servos suos dicit prophetas, quos per singulas generationes misit ad populum Judaeorum. Considera quomodo per singulos gradus misericordiae divinae malitia Judaeorum crescebat, et quomodo per singulos gradus Judaicae malitiae Dei misericordia addebatur, et contra clementiam Dei malignitas humana certabat. Ecce qualis vis amicus alicujus fuerit homo, si semel ab illo fuerit passus injuriam, quantumcumque frangitur ejus affectus; si iterum passus fuerit, iterum magis minuitur: et si iterum amplius non minuitur amicitia ejus, certe tamen non additur. Dei autem misericordia quanto magis a Judaeis offendebatur, tanto amplius addebatur in eis. Ecce enim post tanta beneficia Dei, et sine admonitione Domini, debuerant Domino justitiae suae tributa persolvere: tamen non reddentibus eis, misit paucos servos suos, quibus occisis, addidit bonitatem, cum debuisset irasci, et misit plures. Item pluribus interfectis, accumulavit bonitatem, et misit Filium suum, et hunc non quasi ad obnoxios poenae sententiam bajulantem, sed patientiae veniam: et post tot scelera adhuc eis misericordiae locum servabat. Sic enim dicit: *Forsitan filium meum reverebuntur*. Ergo misit, confundere illos, non autem punire. Nam pro tantis injuriis benigno Domino sufficiebat

Commented [p241]: Col.855

sola vindicta pudoris. Cogitavit ergo apud se: quamvis neque contumeliare servos meos debuerant: quia qui servis faciunt injuriam, dominum exhonorant: tamen mittam Filium meum, qui totum possidet in natura. Si amare eum voluerint, est quod ametur in eo, quia post me solus est bonus; si voluerint eum timere, est quod timeatur in eo, quia post me solus terribilis est Deus. 38. *At illi videntes filium dixerunt intra se: Hic est heres; venite, occidamus eum, et obtinebimus hereditatem ejus.* Ex omnibus operibus ejus cognoverunt eum Filium Dei esse; hoc enim significat dicens: *Ecce hic est heres*: tamen postquam introivit in templum, et omnes vendentes animalia, quae ad sacrificium vendebantur, foras ejecit, in quibus sacerdotes avari tunc delectabantur: tunc praecipue cogitaverunt eum occidere, dicentes intra se: Si populus istum habuerit Deum, necesse est ut dimittat consuetudinem hostiarum, quae ad nostrum pertinent lucrum, et aequiescat offerri sacrificium justitiae, quae ad gloriam Dei pertinet; et sic jam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei: videlicet non ad nostrum quaestum pertinens, sed Dei. Si autem occiderimus eum, dum non est qui justitiae fructus a populo quaerat neglecta justitia, sic semper tenebitur consuetudo offerendarum hostiarum, et sic fiet nostra possessio ad nostrum pertinens lucrum. Et hoc est quod dicit, Et nostra erit hereditas. Haec cogitatio communis est omnium sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti quomodo populus vivat sine peccato, sed aspiciunt quid in ecclesia conferatur, et hoc existimant sacerdotii sui lucrum. Et non solum sacerdotes, sed etiam omnes homines carnales hoc solum existimant suum, et hoc lucrum habere se de hac vita arbitrantur, quod secundum carnem delectati fuerint in hac vita. Quoniam autem volentes ostendere quidem Filium semper fuisse, quemadmodum Patrem, cum dicimus illis. Si filius est, et natus est, et unicum habet: propositione negativa respondent, non de proprietate Filii Dei secundum carnem: quia post incarnationem dictus est Filius ex baptismo, sicut et caeteri sancti: antea autem verbum fuit semper cum Patre. Quos etiam Deus ex hoc loco convincit, dicens: *Mittam filium meum.* Quando ergo adhuc cogitabat de transmittendo Filio post prophetas, jam Filius erat. Deinde si eo modo dicitur Filius, sicut omnes sancti, ad quos factum est verbum Dei; debuit autem et prophetas filios dicere, sicut et Christum; aut et Christum servum dicere, sicut et caeteros prophetas: ex qua re prophetas quidem servos omnes, hunc autem solum Filium appellavit. 39. *Et ejecerunt eum extra vineam.* Id est, extra civitatem Jerusalem. Et Judaei suo consilio usi ejecerunt eum, et Deus suo consilio ejici eum ordinavit. Isti cogitabant, ut crimen mortis ejus extra civitatem expellerent: Deus cogitabat, ne virtus resurrectionis ejus civitatem scelerum salvaret, id est, ut Judaeis quidem moreretur ad mortem, gentibus autem resurgeret ad vitam. 40. *Cum ergo venerit dominus, quid faciet colonis illis?* 41. *Dicunt illi: Malos male perdet.* Non est illorum quod juste judicaverunt, sed ipsius causae. Est enim causa veritatis, quae quasi violentiam illis fecit, ut non possent eam celare. Sicut sole in nubibus constituto, hoc, quod est dies, non est nubium permittentium eum apparere super terram, sed virtus solis, quae pertransiens nubes, etiam impedientibus eis apparet: sic juste pronuntiavit Judaeorum non placata, sed apposita malignitas. Erraverunt bene dicendo. Nam mendaces quantum ad se tunc mentiuntur, quando dixerint veritatem: sed in hoc saeculo, ubi licet hominibus aliud sentire in corde, et aliud dicere in sermone, tamen ita veritate Christi circumdantur homines et tenentur, ut ipsi adversus se judices fiant. Putas, quomodo in die judicii convincendi sunt peccatores in suis peccatis, ita ut nullum colorem excusationis inveniant? ubi ipsa opera statuentur ante oculos peccatoris, dicente propheta: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (*Psal.* 49. 21); ubi animam ipsae cogitationes

Commented [p242]: Col.856

cordis accusant, et e contra excitatur conscientia quasi domestica testis, dicente Apostolo: *Cogitationibus se invicem accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum* (*Rom.* 2. 15. 16). Sic et sacerdotes, vineae spiritualis cultores, qui populum non ad Dei gloriam exercebant, sed ad suum lucrum fructificabant: ita eos Dominus suis parabolis circumclusit, ut ipsi se sua sententia condemnarent. Quis illum defendet, qui seipsum accusat? aut quis eum existimet innocentem, qui seipsum pronuntiat reum? Vae animae, quae sibi defensionem conscientiae non praeparat in die judicii! Datur enim nobis exemplum, ut per hoc judicium consideremus futurum judicium Christi. Sciendum est autem, quia Lucas quidem evangelista sic dicit: *Adduxerunt cum extra vineam, et occiderunt. Cum ergo venerit dominus, malos illos male perdet. Et responderunt sacerdotes, Absit:intellexerunt enim, quod de ipsis diceret* (*Luc*. 20. 15. 16). Secundum Lucam ergo sacerdotes contradicunt sententiae Christi: secundum Matthaeum autem suscipiunt et confirmant. In prima quidem facie videntur esse contraria; revera autem non sunt contraria, sed diversa ratione sunt dicta. Ille enim secundum responsionem sermonis illorum exposuit, iste autem secundum responsionem cordis. Nam vere visibiliter quidem in facie contradixerunt, dicentes, *Absit*: in corde autem et in conscientia sua susceperunt, dicentes, *Malos male perdet.* Quid est quod dicimus? Omnis homo et malum cognoscit, et bonum: et intelligit quod est justum, et injustum. Posuit enim Deus quemdam spiritum scientiae boni et mali in hominibus, ut quotienscumque peccamus, ille in silentio quasi factum nostrum accuset: et in conscientia tacite ad animam loquitur, dicens: Malum est hoc, et hoc bonum est. Propterea si fecerit homo malum, et deprehensus fuerit in eo, verbis quidem denegat, et excusat; ab intus autem conscientia ejus recognoscit, et sibi ipsa discussa, per spiritum confitetur quod fecit. Unde scriptum est: *In cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sapien*. 1. 9). Ecce si servum tuum deprehenderis in furto, et volueris eum castigare, verbis quidem denegat: et si interrogas eum, utrum dignus est castigari, dicit, Non; conscientia autem ejus confitetur, quia dignus est caedi. Sic ergo et sacerdotes malae conscientiae, verbis quidem dixerunt, *Absit*: conscientia autem confessi sunt, quia malos male perdet. Frequenter autem Scripturae cogitationes cordis ita exponunt, quasi dicta sermonis, sicut ait Job: *Dicit impius Deo, Discede a me, quia vias tuas noscere nolo* (*Job* 21. 14). Item propheta: *Pupillum et advenam occiderunt, et dixerunt: Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob* (*Psal*. 93. 6. 7). Item Salomon: *Omnis homo transgrediens in lecto suo dicit: Quis me videt? Parietes et tenebrae circumdant me; quem verebor? Non memorabitur Altissimus delictorum meorum* (*Eccli*. 23. 25. 26). Alioqui quomodo potest fieri, ut qui intellexerant contra se dictas esse parabolas, ita ut vellent eum tenere, consentirent sententiae ejus? Denique quasi non acquiescentibus illis, ideo introducit aliud testimonium Scripturae, dicens: 42. *Numquam legistis*: id est, Si parabolam meam non intellexistis, vel istam scripturam non cognoscitis? Quod si non acquievissent confiteri dignos se esse poena, utique non erat necesse adhuc eis aliud proferre exemplum? *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal*. 117. 22). Id est, Quare non intelligitis, quia vos estis aedificatores? et quomodo non cogitatis, in cujus aedificii angulo ponendus est ille lapis? Numquid in vestro, unde reprobatus est? Non, sed in alio. Ergo aliud aedificium est futurum. Si autem aliud aedificium est futurum, ergo vestra aedificatio contemnenda est. Aedificatores enim sunt sacerdotes, qui generationes hominum super generationem per doctrinam aedificantes, quasi lapides super lapidem ponentes, domum Dei componunt. Sicut enim aedificatores nodosos

Commented [p243]: Col.857

lapides, et habentes torturas, ferro dolant, postea vero ponunt eos in aedificio, alioqui non dolati lapides lapidibus non cohaerent: sic et Ecclesiae doctores vitia hominum, quasi nodos, acutis increpationibus primum circumcidere debent, et sic in Ecclesiae aedificatione collocare: alioquin vitiis manentibus, Christiani Christianis concordare non possunt.

Qua de causa lites altercationesque inter nos. Christus cur dicitur lapis. – Unde putas lites in Ecclesia, inimicitias, altercationes invicem, nisi propter avaritiam, propter invidiam, aut propter superbiam, propter vanos honores? Tolle haec, et nulla discordia invenietur in Christianis. Et sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, et ponit a foris in facie aedificii, caeteros autem lapides qualescumque mittit intus: sic Ecclesia meliores Christianos eligit et ponit in facie ecclesiae, id est, alios facit sacerdotes, alios diaconos, caeterosque ministros ecclesiae, ponit senes et viduas sanctam vitam habentes in ecclesia permanentes, ponit continentes juvenes et virgines: caeteri autem si mediocres fuerint, proficiunt in medio ecclesiae, id est, aedificii, propter misericordiam Dei. Sicut ergo forani lapides nullum debent habere nodum, aut angulum, nec debent esse alter lapis intus, alter foris, quia si sic fuerint, totum aedificium deturpant: sic et clerici senes et viduae continentes, et virgines nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione, quia ipsi sunt pulchritudo Ecclesiae et virtus: et si mali fuerint, totam deturpant Ecclesiam. Sicut enim lapides, qui sunt intus in aedificatione, nemo aspicit, sed eos qui foris sunt considerant omnes: sic saecularium hominum vitia neque sic considerantur, neque sic nocent Ecclesiae. Nam quamvis populus saecularis sit et indisciplinatus, tamen si isti boni fuerint, tota Ecclesia speciosa videtur. Nam sicut forani lapides intraneos intra se tenent, et constringunt: sic totus populus istorum meritis et sanctitate salvatur. Lapis autem dicitur Christus propter duas causas. Primum, quia suis fundamentum est forte, et neque aliqua seductione illecebrarum solvuntur, qui super eum consistunt, neque tempestatibus persequutionum moventur. Deinde, quia in Christo iniquorum est magna confractio. Sicut enim omnis res, quae percutit lapidem, ipsa quidem colliditur, lapidem autem non laedit: sic et omnis, qui contra Christianitatem agit, se quidem corrumpit, Christianitati autem non nocet. Quia ergo magnus est lapis Christus: 44. *Qui ceciderit super eum, confringetur: super quem autem ceciderit, comminuet eum.* Aliud est confringi, aliud est autem comminui. Quod confringitur, aliquid remanet de eo, quod fuerit fractum: quod autem minuitur, minutatim quasi in pulverem convertitur, et nihil invenitur ex eo. Qui enim super lapidem cadit, non lapis eum frangit, sed ipse se frangit ad lapidem. Ideo quod cadit super lapidem, non tantum se frangit, quantum est lapidis virtus, sed quantum fortiter ipsum ceciderit. Fortiter autem cadit, quod cadit, propter duas causas: aut propter pondus suum, aut propter altitudinem suam. Quod enim ponderosum est, etsi de humili loco cadit, fortiter cadit; quod autem de alto cadit, propter altitudinem spatii, etsi leve fuerit, graviter cadit. Super quod lapis cadit, non quaeritur an grave fuit, quod inventum est subtus, aut leve, nec de alto, nec de humili. Qui sunt qui super lapidem cadunt? Christiani, qui credentes in Christum stant super ipsum, quasi super proprium fundamentum. Si quis de istis peccaverit, non eum Christus corrumpit, sed ipse se corrumpit, offendens in Christum; et ideo Christianus peccans non tantum periit, quantum potest perdere Christum, sed quantum seipsum secundum opera sua perdiderit. Homo Christianus fortiter cadit in peccato, propter duas causas: aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis: utputa, si sit clericus, aut continens vidua, aut monachus, aut virgo, id est, qui

Commented [p244]: Col.858

se Deo tradidit. Propter magnitudinem autem peccati: utputa, si quis homicidium fecerit, aut adulterium, aut aliud aliquid de gravibus peccatis: ille talis, etsi de humili loco cadit, id est, etsi laicus sit, aut saecularis, fortiter perit propter pondus peccati. De alto vero cadit, utputa clericus, caeteraeque spirituales personae. Illi etsi pondus peccati non habent, id est, etsi grande peccatum non fecerint, sed leve, tamen fortiter pereunt propter altitudinem dignitatis. Sicut enim quod de alto cadit, grandem sonum facit, ut audiant omnes: sic et qui de alto gradu cadit, ruina illius ubique auditur. Qui sunt super quos lapis cadit? Judaei, et gentes, qui non crediderunt in Christum. Ergo illi non secundum sua opera pereunt, neque secundum suas personas, sed tantum pereunt, quantum potest perdere Christus. Si videris ergo infidelem hominem, ne dicas, Bonus est, aut malus; justa opera facit, aut injusta: sed omnes aequaliter ad nihilum deducuntur. Ideo dicit propheta: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae. Ideo non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum* (*Psal*. 1. 4. 5). Sicut vas, quod leviter cadit, et laeditur, est quidem vas, sed ad usum non proficit; quod autem dispersum fuerit, nec videtur esse vas: sic Christianus peccator resurgit quidem, sed inter sanctos non ponitur, infidelis autem non resurget in judicio. Quomodo autem resurget, super quem talis decidit lapis? Qui autem neque de alto honoris, neque de pondere gravioris peccati ceciderit super Christum, interdum neque laeditur: et si laeditur, non multum laeditur. 45. *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolam ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret,* 46. *et quaerebant eum tenere.* Homo, qui grave fecit peccatum, dum non habet amplius quod jam speret in Deum, pejora committit, dicente Salomone: *Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit* (*Prov*. 18. 3). Sicut enim infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem, et sperat se posse curari, servat se a nocivis escis; si autem intellexerit, insanabilem se esse, jam non sibi parcit: sic et homo donec mediocriter peccat, et sperat salutem, quantumcumque potest, observat se a malo; si autem graviter peccando coeperit desperare, jam nihil dubitat facere: quasi qui jam peccatis suis vincit judicium Dei: nesciens miser, quia sicut in bono gradus sunt gloriarum, et unusquisque secundum mensuram boni sui accipit gloriam: sic et in malo gradus sunt poenarum, et unusquisque secundum mensuram mali sui accipiet poenam. Sicut enim infinitus est Deus in retributione bonorum, sic infinitus est in retributione malorum. Similiter et sacerdotes omnibus malis repleti, qui jam in Deum sperare non poterant, in ipsum Deum manus mittebant: non ignorantes eum esse Filium Dei, sed sibi jam non parcentes. Et mirum tibi videtur hoc? Vere omnis homo malus, quantum ad voluntatem suam, et manus mittit in Deum, et occidit eum. Qui enim Deum excitare ad iracundiam non dubitat, qui praecepta ejus conculcat, qui nomen ejus contemnit, qui blasphemat, qui murmurat contra Deum, qui turbato vultu aspicit contra caelum, qui in ira sua manus audacter sublevat contra eum: nonne si potuisset fieri, manus mitteret in Deum, et occideret eum, ut jam licenter peccaret? *Et respondens Jesus, iterum dixit eis in parabolis* (*Cap*. 22. 1). Domino de vinea proponenti parabolam et dicenti, quoniam justitia Dei a Judaeis fuerat auferenda, non sunt territi, sed magis exasperati, et volebant manus mittere et tenere eum. Quod intelligens Dominus, non tacuit, sed pejorem iram Dei per aliam parabolam annuntiavit eis esse venturam. Nam si illi, qui timere debuerant, non timuerant, sed magis exasperati sunt: quanto magis Christus tacere non debuit, qui timere non poterat? Illos enim malitia fecit audaces, istum autem potestas.

Commented [p245]: Col.859

Homilia xlj. ex capite xxij. (col.859-65)

2. *Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo,* etc. Homo rex dicitur Deus Pater, qui numquam humanam suscepit formam: ut intelligamus quia nomen hominis praejudicium non facit divinae suae naturae. Sed propter causam parabolae homo dicitur, non quia pars aliqua hominis erat in eo. Ideo quando audis in Scripturis Filium Dei hominem dici, quia si Pater Deus, qui tantum Deus est, et non homo, tamen homo nominatur: quanto magis necessarium fuit, ut homo diceretur unigenitus Dei Filius, cum non esset homo purus, qui humanam suscepit naturam? Quoniam autem nuptias nominavimus, utile est ut breviter ostendamus, prout dant nobis sensum bonum Scripturae, quomodo animae fideles Christo in die illo jungendae sunt, interim nunc desponsatae. Omne bonum viva substantia est, et vita est, vita autem est Christus. Omne autem malum sine substantia est, et nihil est. Ita quidquid vivum creatum est super terram, ex vita vivit. Nec enim potest esse aliquid vivum, in quo non sit spiritus vitae. Ex malo autem nulla res esse potest. Cum vero ipsum malum nihil sit, quomodo potest facere rem aliquam esse? Tamen perdere potest, sed non ipsum malum perdet rem, sed de illa re, in qua est malum, subtrahit se bonum propter inhabitans malum in ea: et sic bono recedente, res vadit ad nihilum. Ergo res, in qua solum bonum est, viva et immortalis est: in qua autem et bonum et malum habitat, vivit quidem, tamen pro tempore propter inhabitans bonum, moritur autem propter inhabitans malum, et est res mortalis, sicut homo. Homo autem ideo ex bono et malo creatus est, ut contempto malo, sequatur bonum, et per hoc habeat electionis mercedem. Quod si contempto bono, sequutus fuerit malum, suscipiet eum aeternus interitus. Si autem, dimisso malo, sequutus fuerit bonum, in morte natura carnis ejus solvetur ab omni malo: et cum resurrectio facta fuerit sanctorum, tunc suscipiet eum sola vita, quae est Christus, et mortalitatem ejus in sua immortalitate absorbebit: et sicut desiderat Paulus, ut mortale hoc absorbeatur a vita (1. *Cor*. 15. 54), ut tunc impleatur Scriptura, quam interpretatur idem apostolus: *Erunt, inquit, duo in carne una* (1. *Cor*. 6. 16). Christus enim cum anima, quasi unus spiritus factus, habitabit in carne universa, secundum quod dictum est: *Qui adjungit se Domino, quasi unus spiritus est* (*Ibidem. v.* 17). Nunc enim quasi modicas arrhas futuri conjugii Spiritum sanctum accepimus, tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus. 3. *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Ergo quando misit servos suos, jam invitati erant. Primum ergo dicamus, quid sit ipsum convivium. Secundo, quando sunt invitati. Tertio, quando coepit praeparare convivium, et quando misit invitatores. Prandium enim est doctrina justitiae, et verba caelestium mysteriorum de Filio Dei venturo. Quae omnia mandens homo, id est, audiens, acquirit sibi vitam aeternam. Multas enim proprietates habet sermo ad escam. Sicut enim qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus, et ita dimittis in stomachum: sic et cum audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, et videre quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum, nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus: ita et verbum quod audimus, nisi masticaverimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. Nam et manua, quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna,

Commented [p246]: Col.860

quod interpretatur Hebraice, quid est hoc? ut quotienscumque audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? Et sicut cibum postquam masticaverimus, dimittimus in stomachum: ita et verbum postquam bene tractaverimus, commendamus ipsum memoriae quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, et in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui et memoriae traditum. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus, et iterum evomimus eum de stomacho: sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, et obliviscimur illico. Cibus, qui in stomacho stat, ille confortat: et sermo, qui in memoria manet, ille salvat. Unde et apud Judaeos illa animalia sunt munda, quae revocant cibum, et ruminant (*Deut*. 14. 6). Ergo animal illud est mundum, quod masticat et tradit utero, et iterum de utero revocat, et ruminat. Et homo ille est spiritualis et sanctus, qui audiens verbum tractat, et cum intellexerit, memoriae quasi utero tradit, et iterum de memoria quasi de utero revocat, et ruminat, et retractat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec retractat quod audit. Qui autem manducat de spirituali convivio, impletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pinguescit in fide, et sic ingreditur ad interiora voluntatis Dei, et manens in eis acquirit sibi vitam aeternam. Qui autem ab hoc convivio verbi longe fuerit factus, evacuatur spiritu, angustatur sensibus, deficit a veritate, distillat a fide, et sic egrediens ab omnibus voluntatibus Dei ad inferiora, novissime cadit in mortem. Quando sunt invitati? In tempore Abrahae, quando dixit ad eum Deus: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam tibi demonstravero. Et omnem terram, quamcumque tetigeris pedibus tuis, tibi dabo eam, et semini tuo in aeternum* (*Gen.* 12. 1. 2). Quam terram? Terram orientalem, fluentem lac et mel. Quod verum non est de terra illa Judaeae, quoniam illa terra numquam fluxit lacte et melle, sed terram rationabilem, quam Christus suscepit. De illius enim incarnatione lac et mel processerunt. Lac enim opus est miraculorum, quoniam et sine labore dentium, et cum suavitate comeditur, per quod rudes in fide quasi pueri sustentantur. Mel autem eloquia et doctrinae dicuntur, sicut ait propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo* (*Psal.* 118. 103). Ergo Christi incarnatio promittebatur, qui lacte miraculorum et melle doctrinae nutriturus fuerat gentes rudes in fide. Vide ergo quoniam jam ex eo ostendebat Deus, quoniam non aliter Judaei poterant Christo credere, nisi ut relinquerent Judaismum, quod est, *Exi de cognatione tua*: et opus circumcisionis, quod est, *Exi de terra tua*. Ergo ex eo jam Judaismus relinquendus ostendebatur. Non solum autem Judaei, sed nullus homo potest lac et mel manducare Christi, nisi cognationem suam, et terram suam reliquerit, sicut scriptum est: *Nisi quis reliquerit patrem aut matrem* (*Matth.* 19. 29), etc. Item, *Qui meus vult esse discipulus, abneget semetipsum* (*Luc.* 9. 23). Relinquit ergo cognationem suam, non qui contemnit eam, sed qui amplius diligit Deum, quam parentes. Relinquit terram suam, qui carnis suae non sequitur voluntatem: qui autem concupiscentias carnales exigit, terram corporis sui exercet, sicut Cain. Qui vero perfecte cognationem suam et terram relinquit, hic lac et mel manducat, cum legit mirabilia aut eloquia Christi. Quando coepit hoc convivium praeparari? A tempore Mosi, quando lex Domini data est irreprehensibilis, convertens animas; quando testimonium Domini fidele datum est, sapientiam praestans parvulis; quando justitiae Domini rectae laetificantes corda; quando praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos; quando timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi; quando judicia Domini vera, justificata in semetipsa; quando ex decem speciebus confectus est cibus decalogi salutaris. Sicut enim regale prandium

Commented [p247]: Col.861

multis ciborum speciebus ornatur, ita et hoc convivium Scripturarum diversis justitiarum speciebus est decoratum. Ex eo etiam tempore invitatores exierunt prophetae, qui homines ad nuptias futuri sponsi vocarent, id est, ad fidem Christi, prophetantes eis de ipso. At illi noluerunt venire. 4. *Item misit alios servos, dicens: Dicite invitatis, Ecce prandium meum paravi, tauri mei et saginata occisa sunt, et omnia jam parata; venite ad nuptias.* Qui sunt alii servi? Apostoli, quos et ille misit, dicens: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel. Euntes autem praedicate, dicentes, Quia appropinquavit regnum caelorum* (*Matth.* 10. 5-7). Hoc est quod dicit, *Prandium meum paravi*: id est, Ex omni lege, et ex omnibus prophetis Scripturarum mensas ornavi. Qui sunt tauri et saginata occisa? Prophetae, qui occisi sunt pro salute populi. Sancti quoque occisi sunt pro salute ejusdem populi, quemadmodum docet nos Apostolus, dicens: *Ego autem impendar et superimpendar pro animabus vestris* (2. *Cor*. 12. 15). Item alibi: *Ego enim jam delibor* (2. *Tim*. 4. 6). Hominis libatio alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic et prophetae occisi sunt, unusquisque pro salute populi quem docebat. Et quoniam mors prophetarum sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plene salvare poterat totum mundum: ideo novissime immolatus est Agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detergeret. Propterea et in diebus Scenopegiae, quae interpretatur fixio tabernaculi, diversae hostiae occidebantur in figura sanctorum, novissime autem occidebatur et agnus. Si ergo agnum illic occisum intelligimus figuram Christi, consequenter et caeteras hostias intelligimus praecedentium sanctorum occisiones. Sed et Christus de figurata sanctorum suorum immolatione dicebat: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus, offeram tibi boves cum hircis* (*Psal*. 65. 15). Nec enim Christus aliquando hujusmodi animalia obtulit Patri. Obtulit autem rationabiles arietes, id est, principes omnium Christianorum. Obtulit boves, rationabilem terram colentes. Obtulit etiam hircos ex gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi.

Commented [p248]: Col.862

In vita raro accepti prophetae. – Haec autem diximus, ut ostendamus tauros et saginata occisa, intelligi debere sanctos occisos. Omnes ergo prophetae et Christus ideo occisi sunt, ut hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur. Denique sicut viscera agni, ita eloquia Christi homines non manducaverunt, nisi postquam occisus est. Nam post mortem ejus evangelia praedicata sunt et credita, et in eis homines quotidie nutriuntur. Sic et viscera ejus prophetarum, id est, eloquia, non sunt ante suscepta, nisi postquam occisi sunt. Quis audivit, aut credidit verbis Isaiae viventis? Si enim suscepissent sermones ejus, numquam eum serrassent. Sed postquam occisus est, tunc postmodum Judaei susceperunt prophetias ejus, et coeperunt legere in synagogis suis. Quis Jeremiae verba suscepit viventis? Si enim suscepissent verba ejus, numquam eum post multas injurias lapidassent. Sed postquam occisus est, postea consecraverunt prophetias ejus, et coeperunt legere eas in conventu. Et sic invenies actum in omnibus prophetis, quia viventes eos nemo coluit, sed post mortem. Unde et Dominus dicit: *Qui aedificatis sepulcra prophetarum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus participes eorum in sanguine prophetarum* (*Matth*. 23. 29. 30). Sicut enim viventis animalis viscera nemo manducat, ita viventium prophetarum sermones nemo suscepit, sed post mortem ipsorum. Saginati autem sunt gratia Dei pleni. Ideo dixit, et saginata, et tauros: non quia et tauri non fuerunt saginati, sed quia omnes saginati non fuerunt tauri. Ex prophetis enim omnibus quidam tantummodo prophetae fuerunt, quidam autem

prophetae et sacerdotes, sicut Jeremias, sicut Ezechiel, sicut filius Joiadae. Ergo saginata dicit prophetas tantummodo, qui fuerunt Spiritu sancto repleti. Tauros autem, qui et prophetae fuerunt, et sacerdotes. Sicut enim tauri duces sunt gregis, ita scaerdotes sunt principes populi. Quosdam autem legi, dicentes, tauros hic dici martyres, tunc in primis pro Christo occisos, apostolis adhuc viventibus: saginata autem parvulos, Spiritu sancto pinguificatos. Quorum omnium interfectiones multas spiritualium gaudiorum epulas praebuerunt, et nuptias Christi adornaverunt. *Et omnia jam parata.* Quidquid quaeritur ad salutem, totum jam adimpletum est in Scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi quod discat. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quae timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias et promissiones vitae perpetuae, quas manducando amplius excitetur ad opus. Qui pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi mediocres justitiae cibos, qui etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitae, quae perducant eum prope ad angelorum naturam. Qui percussus a diabolo, et vulneratus est in peccatis, inveniet ibi medicinales cibos, qui eum per poenitentiam revocent ad salutem. Ut quid ibi scriptum est, Achar propter furtum laminae aureae lapidatus, nisi ut habeant fures quod timeant (*Josue* 7. 24-26)? Ut quid ibi filii Israel, qui fornicati sunt cum filiabus Moabitarum, percussi refugerunt in Beelphegor, nisi ut habeant fornicatores quod perhorrescant (*Num*. 25)? Ut quid concupitores carnis castigati sunt in deserto, nisi ut nemo delicias concupiscat (*Num.* 20)? Ut quid David arguit Nathan, et suscepit, nisi ut adulteri et homicidae poenitentiae remedium non desperent (2. *Reg*. 12)? Raab meretrix sanctificata est, ut meretricibus spes daretur (*Josue* 2). Nihil ergo minus est in hoc convivio, quam quod necessarium habet salus humana. 5. *At illi neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius in negotiationem suam.* Omnis actus, quem agunt homines in hoc mundo, duplex est. Aut enim villa est, aut negotiatio. Et quando aliquem laborem quidem manuum nostrarum facimus, exercentes terram, aut aliquod opus terrenum, utputa agrum, vel vineam, vel hortum, vel opus ligni aut ferri, villam colere videmur, id est, terram. Quando autem non labore manuum nostrarum, sed aliter lucra quocumque modo consequimur, utputa honores gerere, ut divitiae permaneant alicui, aut mercari, omne hoc negotiatio appellatur. Duobus ergo verbis omne opus humanum conclusit, sive honestum, sive inhonestum. Honestum quidem opus est villae cultura: sicut ait Salomon: *Non oderis rusticam operationem, et agriculturam ab Altissimo creatam* (*Eccli*. 7. 16). Et Apostolus hortatur: *Rogo autem vos, fratres, studium habere quietis, et negotii proprii, et operandi manibus vestris, et nullum desiderium sit in vobis ad eos qui foris sunt* (1. *Thess*. 4. 11): inhonestum est enim apud Deum opus negotiationis, sive dignitatis, sive militiae. Unde nihil horum antea Judaei agebant, propter quod dicit propheta: *Qui non cognovit negotiationes, intrabit in potentias Domini* (*Psal*. 70. 15): quia difficile quis negotians intrat in regnum caelorum. O miserrimus mundus, et miseri qui eum sequuntur! Semper enim homines mundialia opera excluserunt a vita. Sed forte dicis, Et villam colere peccatum est? Et si quidem impedimentum fidei, aut religionis tibi non facit villa, sicut fecit Judaeis, non habes peccatum: si autem vel a fide, vel a religione tibi facit impedimentum, fit peccatum. Non ergo ipse villae cultus peccatum est, sed tu praeferendo eam Deo, facis eam esse peccatum. Opera enim nostra authentica, opera sunt justitiae: opera autem carnalia superoperationes dicuntur, non opera, quia justitia ad vitam aeternam pertinet veram, opus autem terrenum non ad vitam, sed ad sustentationem vitae hujus temporalis. Ideo ergo opus justitiae attente facere debemus, opus autem

Commented [p249]: Col.863

terrenum transitorie. Si ergo honestum opus sequendo homines debitum honorem Deo non reddiderunt, talem iram merentur. Putas, quali ira sunt digni, qui non honesta opera, sed negotiationes sequendo, non veniunt ad Deum? Aut ita. Villa est iste mundus, circa quem homines amatores mundi occupantur quaestibus ejus, quasi villae cujusdam reditibus delectati; negotiatio autem praedicatio legis, et procuratio templi, quam avari sacerdotes quasi negotiationem aestimant, quando lucrosam, et non dispensationem divini operis putant, et non onerosam. Ergo per operationem villae populares significantur homines, quos mundi delectatio separavit a Christo: per operationem autem negotiationis sacerdotes caeterique ministri templi significantur, quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis et templi, avaritia separavit a fide. Non dixit, Malignati sunt, sed, *Neglexerunt*: quia non omnes Judaei crucifixerunt Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, aut consenserunt in mortem ejus. Quidam enim saecularibus negotiis occupati, non venerunt ad Christum, nec audierunt doctrinam ipsius, nec viderunt mirabilia ejus, ideoque non crediderunt in eum. Qui ergo odio aut invidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt: qui autem negotiis impediti sunt, non crediderunt: ille neglexisse dicuntur, non malignati. Nam sunt quidam homines, qui possunt et audire et credere, sed sollicitudo rerum necessariarum, et delectatio mundi separat eos a Deo, quos Dominus terram spinosam appellat. 6. *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt*. De sua morte tacet, quia jam in priori parabola dixerat: sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius, occiderunt Judaei, maxime sacerdotes, Stephanum lapidantes, in Jacobi morte gaudentes: item Jacobum Alphaei lapidantes (*Act*. 7. 12): propter quae omnia Jerusalem destructa est a Romanis. Ideo dicit: 7. *Auaines autem rex, iratus est: et misit exercitum suum, et perdidit homicidas illos et civitates eorum succendit.* Romanus exercitus, dicitur exercitus Dei: quia *Domini est terra, et plenitudo ejus* (*Psal*. 23. 1). Nec enim venissent Romani in Jerusalem, nisi Dominus eos excitasset. Quidam autem exercitum angelos dicit, et civitatem pro civibus ponit; ae si dicat: Misit angelos suos, et cives illos misit in ignem aeternum. 8. *Et dixit servis suis:* 9. *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Manifestum est quidem, quia post contemptam contumaciam Judaeorum, de vocatione Gentium dicit, quod dicit, *Ite ad exitus viarum*. Propterea requiramus quae sunt viae istae, et ad quarum exitus misit Christus discipulos suos. Puto ergo quoniam sicut generalis et publica via est Christus, quae ducit ad vitam, et viae dicuntur omnes prophetae, et omnes apostoli: hae enim omnes viae ducunt ad Christum, Christus autem ad Patrem: sic generalis et publica via est diabolus, quae ducit ad mortem, et viae sunt omnes professiones saeculi istius. Utputa, professio philosophiae, una est via: professio militiae, altera est via: mundialis dignitas, altera est via: professio ludorum, altera via est mundi. Et quid plura dicam? Quantae sunt diversitates actuum in hoc mundo, tantae sunt viae, quae omnes viae ducunt ad diabolum, generalem viam perditionis. Ideo ergo dicit: *Ite ad exitus viarum*, et cujuslibet conditionis homines vocate ad fidem. Adhuc sicut castitas via est, quae ducit ad Christum, et misericordia, caeteraeque virtutes: sic et fornicatio via est, quae ducit ad diabolum, et avaritia, caeteraeque species malae. Jubet ergo ut cujuscumque conversationis homines invitent ad fidem, quoscumque, sive servos, seu liberos. Deus enim corporalem servitutem non contemnit, nec corporalem eligit libertatem. Omnis qui diaboli sequitur voluntatem, servus est diaboli, etsi sit liber: qui autem obaudit Deo, ille vere ingenuus est, etsi fuerit servus. Ingenuitatem enim spiritualem non sordidat servitus corporalis, nec turpitudinem spiritualem honestat corporalis libertas. Servitutem enim non

Commented [p250]: Col.864

Dei dispositio, sed humana violentia introducit. Omnis enim homo liber creatus est, quem Deus in libero arbitrio posuit, nisi ipse fecerit se servum. Et sicut non est distantia in natura creationis hominum, sic non fit differentia in vocatione salutis eorum omnium, sive barbarorum, sive sapientum: quoniam potens est Dei gratia barbaras mentes corrigere ad rationabilem intellectum. Qui cor Nabuchodonosor ad feralem sensum mutavit, et iterum feralem sensum ad humanum intellectum reduxit (*Dan*. 4), potens est, inquam, mutare omnes, sive bonos, sive malos: boni ne pereant, mali ut inexcusabiles fiant. Nemo propter ignorantiam pereat, nemo propter ignorantiam excusetur. Omnes videant lumen, ut appareant, qui amant tenebras, et qui lumen. Qui enim filius est tenebrarum, etsi compellas eum, non accedit ad lumen: qui autem filius est luminis, nec si repellas eum, recedit a lumine. 11. *Intravit autem rex, ut videret discumbentes.* Intravit autem Deus, non quia est aliquis locus ubi non sit, sed ubi vult aspicere, ibi fit praesens: ubi autem non vult, absens videtur. Dies enim aspectionis est dies judicii, quando visitaturus est Christianos, qui super mensam Scripturarum sanctarum recumbunt, id est, requiescunt in fide earum, et caelestibus epulantur doctrinis. Aut dies aspectionis est dies tentationis: quando dignatur tentare Ecclesiam suam, ut videat qui habent fidem, et opera digna Christi vocatione. Nuptiale vestimentum est fides vera, quae est per Jesum Christum et justitiam ejus: de qua ait Apostolus: *Exspoliate vos veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum concupiscentiam erroris, vestientes vos novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (Coloss. 3. 9. 10). Quod dicit, *In justitia*, ad conversationem pertinet: quod autem dicit, *In sanctitate veritatis*, ad fidei veritatem. Vestimenta ergo veteris hominis sunt pannosa et sordida opera carnis, corruptibilia et immunda: vestimenta autem novi hominis sunt fortia et decora opera spiritus, incorruptibila et sancta. Quemadmodum enim si aliquis cum nigris vestimentis inveniatur in nuptiis, sordidat gloriam nuptiarum: ita et qui opera habet tenebrosa, et inter Christianos quasi unus ex eis conversatur, ipsi Christianitati facit injuriam. Homo itaque aut secundum locum eligat vestem, aut secundum vestem eligat locum: id est, aut secundum opera eligat professionem, aut secundum professionem faciat opera. Qui vult esse Christi, faciat opera Christi: qui autem non vult opera Christi facere, non veniat ad Christum: alioquin audiet in die judicii: 12. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* et obmutescet. Hic enim abscondimus opera nostra, et invicem corda nostra celamus: in illa autem die nihil est quod respondeamus, ubi caelum, et terra, et aquae, sol et luna, dies et noctes, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum. Etsi omnia taceant, tamen ipsae cogitationes nostrae, et ipsa opera nostra specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum, dicente Apostolo: *Cogitationibus invicem se accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus occulta hominum, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* 2. 15. 16). 13. *Tunc dicit rex ministris: Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores.* Sicut est differentia gloriarum in sanctis secundum opera, dicente Apostolo: *Stella enim a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum* (1. *Cor*. 15. 41. 42): sic quoque differentia est tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primae tenebrae et exteriores, et novissimi lacus. Ex eo autem quod dixit, Ingressus, ut remuneraret amicos: non autem dixit, Congregavit rex omnes qui venerunt ad nuptias: datur suspicio aestimandi, ne forte dicat hoc de vindicta judicii. Adhuc autem, quia non dixit, Mittite eum in tenebras inferiores, ut eas tenebras inferiora loca inferni aestimemus: sicut ibi, *Et eripuisti animam meam in inferno inferiori* (*Psal*. 85. 13): sed ita dicit, *In tenebras*

Commented [p251]: Col.865

exteriores. Ergo quotiescumque tentat Deus Ecclesiam suam, et ventilat ventilabro judicii, ingreditur ad eam, ut videat discumbentes qui sunt, aut quales sunt: si digni sunt caelestibus nuptiis, et convivio illo vivo. Et si invenerit aliquem non habentem vestem nuptialem, secundum ea quae diximus, interrogat eum in cogitationibus suis, sicut scriptum est: *Quia in cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sap.* 1. 9). Et interrogat eum, Quae sunt opera ista quae agis? Quia non sunt opera Christiani. Ut quid factus es Christianus, si haec opera diligebas? Ita ut non habeat quid respondeat contra conscientiam suam. Et hunc ergo talem cum viderit in Ecclesia Christus, jubet ministros suos, id est, aliquos spiritus seductionum. Nam mala per malos spiritus reddet: qualis fuit spiritus erroris, quem misit Deus, ut seduceret Achab, sicut scriptum est in tertio libro Regnorum (*Cap*. 22). Vel qualis est illa operatio erroris, quam dabit eis Deus, qui caritatem Dei non acceperunt, ut credant mendacio. Et ligant manus hominis illius: id est, opera ejus, quae sunt animae manus, quae homines rectius tollunt ad mandata Dei. Ligant et pedes ejus, id est, motus animae ejus, quibus anima solet incedere et transire, non de loco ad locum, sed de malo ad bonum, vel de bono ad malum: id est, obligant, et inebriant, et involvunt opera ejus, ut quomodo nescit, sic in laqueum perditionis incurrat. Et apprehendentes eum, per ipsa opera ejus, mittunt eum in tenebras, id est, in errores vel gentium, vel Judaeorum, vel haereticorum. Et forsitan propinquiores tenebrae sunt gentilium, exteriores Judaeorum, plus autem exteriores haereticorum. Quoniam gentiles veritatem spernunt, quam non audierunt; Judaei autem, quam non crediderunt; haeretici autem, quam audierunt et didicerunt. Ipsarum quoque haereticarum tenebrarum quaedam sunt prope lucem veritatis: aliae autem longius a veritate, et ideo nigriores: aliae autem amplius longe, et ideo pressiores et exteriores. Ideo dixit, *Mittite* eos *in tenebras exteriores*. Id est, in haereses perversissimas. *Ibi erit fletus, et stridor dentium*. Videte quia non dixit, Ibi est fletus et stridor dentium; sed, *Erit*. Ergo modo mittuntur in illas tenebras mali, postea patientur fletus, ubi est et stridor dentium.

Homilia xlij. ex capite xxij. (col.866-75)

15. *Tunc abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone*. 16. *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* 17. *Dic ergo nobis quid tibi videtur: licet censum dari Caesari, aut non?* 18. *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritae?* 19. *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt denarium.* 20. *Et ait illis Jesus: Cujus est imago haec et superscriptio?* 21. *Dicunt ei: Caesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo*. 22. *Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt.* 23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,* 24. *dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo*. 25. *Erant autem apud nos septem fratres, et primus uxore ducta defunctus est, et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.* 26. *Similiter secundus et tertius, usque ad septimum*. 27. *Novissime autem omnium et mulier defuncta est*. 28. *In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? Omnes enim habuerunt eam.* 29. *Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*. 30.

In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo. 31. *Et de resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo, dicente vobis:* 32. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac* (*Exod*. 3. 6), etc. Omnis quidem malitia confunditur aliquoties ratione veritatis, corrigitur autem numquam, maxime eorum qui proposito malo, et non ignorantia peccant. Sic etenim sacerdotes postquam terrere Dominum non potuerunt, dicentes: *In qua potestate facis haec* (*Matth*. 21. 23)? postquam parabolarum ratione constricti, sic judicio ipsi se reos fecerunt, dicentes: *Malos male perdet* (*Ibid*. *v*. 41), nemine contra eos dicente testimonium, nisi conscientia sola: numquid compunxit eos timor peccati? numquid compescuit eos vel libertatis consideratio? Sed quid? *Abierunt, et consilium acceperunt, ut eum caperent in sermone.* Quemadmodum si aliquis claudere voluerit aquae currentis meatum, si una ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic et eorum malignitas ex una parte confusa, aliunde sibi aditum adinvenit. Sicut enim non potest fieri, ut ligna mittendo exstinguas ignem: sic non potest fieri, ut rationem dicendo places hominem malum. Sicut enim ignis quanto amplius ligna susceperit, in majorem flammam erigitur: sic animus malus quanto magis veritatem audierit, eo amplius in malitiam excitatur. Abierunt ergo, et consilium acceperunt. Quo abierunt? Ad Herodianos. Nam ex eo quod non dicit, Consiliati sunt, sed, *Consilium acceperunt*, et ex eo quod pariter cum Herodianis venerunt, apparet quia cum illis ejusmodi circumventionis consilium tractaverunt. Homo colonus, cujus terram possidet, illius auxilio opus habet. Qui justitiam tenet, nullius patrocinio indiget, nisi Dei. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adjutorium necessarium habet. Colonus enim Dei, diaboli auxilium non requirit: colonus autem diaboli, auxilium Dei et si quaerit, non invenit. Vidisti aliquando euntem ad furtum Deum orare, ut bene prosperetur in furto? aut qui vadit ad fornicationem, numquid sibi signum crucis ponit in fronte, ut non comprehendatur in crimine? Quod si fecerit, non solum non adjuvatur, sed adhuc amplius traditur: quia nescit justitia Dei patrocinium dare criminibus. Sic et isti, Christum expugnare cupientes, convenienter non ad servos Dei, viros religiosos, sed ad gentiles, id est Herodianos, se contulerunt. Quale est consilium, tales et consiliatores. Quis autem poterat dare consilium contra Christum, nisi diabolus qui erat adversarius Christi? Cogitabant enim apud se sacerdotes, Si nos soli euntes interrogaverimus Christum, quamvis dixerit quia non licet dari Caesari tributum, tamen nemo nobis credet dicentibus contra eum: jam enim omnes sciunt, quia inimici ejus sumus. Inimicorum autem testimonium in judicio, etsi verum fuerit, quasi suspectum reprobatur. Sed nec per seipsos Christum interrogare volebant, quia in magna suspicione inimicitiae eorum fuerant apud Christum, ne forte quasi suspecti circumvenire eum non possint. Nam inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur, facile vitatur: iste dum non agnoscitur, praevalet. *Miserunt* ergo *discipulos suos*, quasi adhuc minus cognitos, et minus suspectos, ut aut abscondite facile deciperent eum, aut deprehensi minus erubescerent apud eum. Nam consilio malo deprehenso, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. Sed discipuli illi magistris suis aetate minores erant, malitia autem pares. Nam et pulli serpentium statura breviores, veneno autem aequales sunt. Et catuli luporum adhuc teneri constituti, etsi venationem exercere non possunt, jam tamen sanguine gaudent, et morsibus ludunt.

Hypocritarum mos. – Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. Magistrum eum vocant et veracem: magistrum, ut quasi honoratus et laudatus, mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tamquam volens eos habere discipulos. Haec

Commented [p252]: Col.867

enim est hypocritarum prima potentia, simulata laudatio. Laudant enim quos perdere volunt, ut per delectationem laudis paulatim corda hominum ad simplicitatem benignae confessionis inclinent. Veluti si quis taurum validum viribus non potest subjugare, et vinculo flectere, mollibus manibus nodosam ejus fricat cervicem, ut quem virtute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat: sic et isti catenam subdolae laudis portantes in ore, et gladium malitiae abscondentes in corde, taurum ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant. De quo tauro prophetans Jacob, jam tunc increpabat Levi filium suum, quia de Levi erant nascituri sacerdotes, qui interfecturi erant Christum: *Simeon et Levi fratres consummaverunt iniquitates suas. In cogitationes eorum non venit anima mea, et in consilia eorum non cadant praecordia mea, quia in ira sua occiderunt virum, et in furore suo subnervaverunt taurum* (*Gen*. 49. 5. 6). De talibus dicit propheta: *Molliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal*. 54. 22). *Quid tibi videtur? licet censum dari Caesari, an non?* Non est justum, ut servi summi regis, terrenis regibus serviamus. Si enim indignum est, ut ex duobus regibus homo alterius alteri obsequatur, et injuriam facit suo, si subjacet alieno: quanto magis indignum est, ut cultores Dei humanarum potestatum gravamina cognoscamus? *Cognita autem eorum nequitia Jesus*, non secundum sermones eorum pacificos blande respondit, sed secundum conscientiam eorum crudelem aspera dixit: quia Deus plerumque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntatibus respondet, non verbis. *Hypocritae, quid me tentatis? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Dicit eis, *Hypocritae*, ut quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inveniant in corde: ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo, quod Pharisaei quidem blandiebantur, ut perderent; Jesus vero confundebat, ut salvaret: quia utilior est homini Deus iratus, quam homo propitius. *Et ait eis: Cujus est imago haec, et superscriptio? Dicunt ei: Caesaris. Tunc dixit eis: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo.* Imago Dei non est in auro depicta, sed in hominibus figurata. Numisma Caesaris, aurum est: numisma Dei, homo. In solidis Caesar videtur, in hominibus Deus agnoscitur. Ideo divitias vestras Caesari date, Deo autem conscientiae vestrae solam innocentiam reservate, ubi Deus videtur. Caesaris enim imaginem manus artificis sculpsit, et corruptibilibus literis annotavit: Dei autem imaginem in homine divina manus decem vivis apicibus demonstravit. Quibus? Illis quinque sensibus carnalibus, et quinque spiritualibus, per quos consideramus et apprehendimus quae sunt utilia ut Deus. Ideoque illibatam Deo semper imaginem suam reddamus: non superbiae fastu tumidam, non iracundiae livore marcidam, non avaritiae facibus succensam, non gulae illecebris deditam, non hypocrisis duplicitate contectam, non luxuriae sordibus attaminatam, non elationis protensione levem, non vinolentiae tabe amentem, non dissidio mutuae caritatis extorrem, non detractionis mordacitate pestiferam, non multiloquii vanitate inanem, sed caritate perspicuam, fide et spe certissimam, patientiae virtute fortissimam, humilitate tranquillam, castitate purpuream, parcimonia sobriam, tranquillitate jucundam, hospitalitate devotam. Talibus enim inscriptionibus suum Deus numisma non mallei vel incudis ictu composuit, sed prima conditione formavit. Caesar enim suam in nummo requirit imaginem, Deus vero hominem quem creavit, exquirit. Non dimittit Caesar suum quod debetur numisma, nec Deus suam umquam exquirendo relaxat facturam. Sicut qui suam Caesari adulterinam imaginem reddit, flagellari tortoribus et atrocibus jubet subjici poenis: sic Deus omnipotens corruptores imaginis suae morti tradit perpetuae, et infernales jubet poenas

Commented [p253]: Col.868

persolvi immensas. Ita qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam studeat auctoris sui imaginem conservare, quatenus cum suam, quam formavit, requisierit Deus imaginem, salvam et immunem ab inimici infectionibus cernens, suo collocet gremio, angelorumque choris admiscens, perpetuis faciat caelorum gaudiis perfrui. *In illa die accesserunt ad eum Sadducaei, qui dicunt resurrectionem non esse.* In qua die? Quando recedebant Pharisaei, et accedebant Sadducaei. Recedebant Sadducaei, et iterum accedebant Pharisaei. Unus dies est, et multa certamina. Frequentabant enim super eum, tali forte consilio, ut quis aut comprehendere eum posset, aut si certe eum ratione superare non possent, vel per ipsam frequentationem subverterent sensum ipsius. Quemadmodum si inter plures hostes inveniatur unus pugnator fortis, dum singuli viribus eum superare non possunt, circumveniunt eum omnes, ut quod virtute non poterant superare, ipsa multitudine convertant eum in fugam. O stulti, si quis corruptibili fonte utatur assidue, magis fontis illius venas laxat, et majorem aquam infundit. Et illi de fonte vivo aquae salientis in vitam aeternam hauriebant sermones, et putabant eum plura interrogando siccare. Circumdabant ergo eum, quasi plures canes garruli unum leonem. De his enim dixerat per prophetam: *Quoniam circumdederunt me canes multi* (*Psal*. 21. 17). Et vere tamquam irrationabiles canum latratus, sic erat vox Sadducaeorum. Videamus consilium inimici, quod per Sadducaeos operabatur. Diabolus enim semper adversarius Christi est, qui semper sibi thronum Domini usurpabat, testante propheta: *Super stellas caeli ponam tribunal meum, et ero similis Altissimo* (*Isai*. 14. 13. 14). Ab initio mox ut creatus est homo, tentavit unius Dei notitiam obscurare, et culturam multorum deorum inducere, dicens ad Evam: *Et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen*. 3. 5). Sicut enim omne malum non a perfecto malo incipit, sed paulatim in primis, sic et istud tam audax malum primum leviter et latenter inspiravit, id est, persuasit : non quidem ut colerent deos, sed interim fecit mentionem deorum, quos debeant colere. Adhuc enim non erat multitudo hominum pessimorum, in quibus seminaretur fallacia deorum multorum. Nam virtus diaboli est, quod homines mali sunt. Nec enim potest aliquod malum seminare in mundo, nisi per ministros suos: quia in sanctis non invenit locum. Crescente itaque numero hominum malorum, crevit et virtus erroris, et minuit notitiam Dei, usque ad dies Abrahae, quem Deus suscitavit, ut tam per eum, quam per ejus familiam Dei notitia in mundo, tamquam lucerna, luceret in tenebris. Videns itaque quia notitiam Dei omnino exstinguere non potuit, aliam adinventionem excogitavit erroris, ut etsi cognoscatur Deus virtutum, tamen nullus obediat praeceptis ipsius. Nam dominus, cujus praecepto nullus obtemperat, cum sit dominus, esse dominus non videtur: quia nomen habet tantummodo, non potestatem. Quid ergo? Introduxit haeresim Sadducaeorum, qui dicerent non esse resurrectionem mortuorum. Quae res omnium propositum faciendae justitiae frangit. Nam in omni re, aut actu, sive corporali, sive spirituali, agendi virtus spes est praemii futuri. Qui enim arat, arat ut metat. Qui pugnat, pugnat ut vincat. Nam cum sit ita difficile in hoc mundo servare justitiae sanctitatem, quis contentus esset, adversus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem aspiceret resurrectionis? Tolle ergo spem resurrectionis, et soluta est tota observantia pietatis. Numquid Sadducaei credebant esse conjugia post mortem? Absit. Quomodo enim conjugia crederent fieri, quando ipsam resurrectionem negabant? Sed ad defensionem erroris sui putabant se invenisse acutissimam rationem, hoc modo apud se dicentes: Sicut non est possibile, ut ea mulier quae fuit septem virorum, sit unius uxor privata, aut omnium communis: sic non est possibile, ut fiat resurrectio mortuorum. *Respondens autem Jesus, ait eis: Erratis,*

Commented [p254]: Col.869

nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in caelo. Stulti, qui saeculum illud huic saeculo simile existimabant. In hoc saeculo quia morimur, ideo morimur, quia nascimur: ideo uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur. Tolle moriendi necessitatem, et nascendi utilitas superflua invenitur: tolle nascendi utilitatem, et nubendi causa soluta est. Nam iste mundus carnis est, ille autem animarum. Sicut anima in hoc mundo peregrina est, ita caro in illo extranea est. In isto mundo anima carni subjecta est, quantum ad passiones humanas, in illo autem caro animae. Unaquaeque res in sua patria fortior est, et dominatur. Si ergo anima sic potens claudi potest in hoc saeculo infirmo, et terreno corpori sic subdita est, ut nihil pene spiritualiter sapere aut agere possit secundum suam naturam: quanto magis cum in illo saeculo caro infirma et vilis dignitosae animae et potenti coeperit esse subjecta, nihil poterit carnale sapere, aut agere secundum suam naturam? Nam hoc ipsum modicum, quod in hoc saeculo in corpore constituta anima spiritualiter sapit, nimia potestas animae hoc sibi vindicat extra ordinem, quia dominatio carnis est in hoc mundo. Quemadmodum dives peregre profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicujus, quamvis non potest jubere in domo quod vult, quia hospes est, tamen magnam sibi fiduciam agendi aliquid vindicat, quia potens est: sic et anima peregrina in hoc regno carnis ingressa, quamvis non omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vindicat et in carne, quia nimium potens est. Et e contrario: sicut peregrinus pauper nihil in hospitio divitis potest, primo quia peregrinus et hospes est, deinde quia mendicus et pauper est: sic et caro cum in illud saeculum resuscitata migraverit, nihil omnino sibi poterit carnale defendere: primum, quia extranea est in illo saeculo spirituali: secundo, quia infirma est carnis natura. Et hoc quidem diximus secundum rationem mortalem. Alioquin in resurrectione mutanda est ipsa carnis natura, ut nihil carnis habeat in se, nisi forte tantummodo formam, sicut scriptum est: *Seminatur corpus animale, resurget autem corpus spirituale* (1. *Cor*. 15. 44). *Respondens Jesus ait: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed sunt sicut angeli Dei in caelo.* Quare, cum de jejuniis, aut eleemosynis, caeterisque virtutibus spiritualibus loquutus fuisset, numquam angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de soluto viri et mulieris coitu loqueretur, dicens: *Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in caelo*? Quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, praecipue tamen actus libidinis opus est animalium; sic et omnes quidem virtutes spirituales res sunt angelicae, praecipue tamen castitas res est angelica. Per hoc enim solum singulariter homines angelis assimilantur, et vincitur natura virtutibus. Ideo dicit, *Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in caelo.* Sicut enim quando hoc agimus, quod animalia habent nobiscum commune, animalia esse nos profitemur: sic quando illud agimus, quod est extra naturam carnalem, naturam carnis egredimur, et angelis coaequamur. Sed quia primum quidem et naturale est animalium, ut non unius masculi, vel unius feminae lege contenta sint: proprium autem naturale est angelorum omnino separatos esse ab usu libidinis. Qui vero unius masculi, aut unius feminae lege contentus est, mediam tenet conditionem, et est homo, id est, neque angelus, neque animal est. Angelus quidem non est, quia nec est separatus ab usu libidinis: animal autem non est, quia unius lege contentus est. Qui autem omnino separatur ab usu libidinis, supergreditur naturam humanam, quae media est, et ad conditionem transit angelicam. Sed nunc videamus, qua ratione diximus, quod omnis quidem actus carnalis opus est

Commented [p255]: Col.870

animalis, praecipue tamen libido. Per omnem actum carnalem homo animalibus similis invenitur, maxime autem per usum libidinis, quoniam omnium quidem carnalium sensuum opus non solum ad malum proficit, sed etiam ad bonum. Est enim et secundum Deum videre, et audire, et odorari, et gustare, et tangere. Quotienscumque enim aspicimus multiformes species rerum, audimus varios sonos vocum, odoramus diversas fragrationes odorum, gustamus innumerabiles suavitates gustuum, palpamus qualitates rerum innumeras, de operibus potentiae et sapientiae Dei dijudicamus, ut cognoscamus et colamus ejusdem creationis auctorem. Ideo si tollimus a nobis usum sensuum illorum propter malum quod fit ex illis, impeditur etiam bonum quod fieri solet per eos. Tantummodo sensus ille libidinis semper in malo est, et numquam in bono. Propterea si repellamus a nobis libidinis usum, nullum bonum impeditur ex illo: nec enim aliquod bonum est, quod generetur ex illo, nisi sola nativitas carnis, quia et ipsa generatur ex malo. Ideo autem dissipata est, ut ex corruptione nascatur, quoniam et ipsa post modicum est corrumpenda. Sicut enim non est dignum, ut quod aeternum est ex corruptione nascatur: sic non est dignum, ut quod ex corruptione nascitur sit aeternum. Quia caro et sanguis regnum Dei non possibebunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Item dicit Joannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, neque ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan*. 1. 12. 13). Item alia ratio. Quoniam secundum istos sensus carnales, quos habet caro, habet e contrario anima spiritualiter. Nam et videt anima spiritualiter, et audit, et odorat, et gustat, et tangit, sicut in multis exposuimus locis. Unde et decachorda cithara dicitur homo. Solus autem libidinis sensus inter animam et carnem non est communis, sed solius carnis proprius et privatus. Propterea per omnes actus carnales, qui sunt ex quinque sensibus carnalibus, homo animalibus similis invenitur: maxime autem ex usu libidinis, quia ad solam pertinet carnis naturam. *Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei.* Sapienter primum arguit stultitiam eorum, quia non legebant. Secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum, quia ex diligentia lectionum nascitur scientia Dei; ignorantia autem negligentiae filia est. Si enim nec omnes, qui legunt, cognoscunt Deum, quomodo cognoscet, qui non legit? Quod autem diximus, non omnes legentes cognoscere veritatem Dei, tunc est, si, nolentes invenire, legant. Qui enim, legens de Deo, vult invenire Deum, festinet vivere Deo digne, et ipsa conversatio ejus bona fit, quasi lampadis lumen ante oculos cordis ejus viam aperiens veritatis: qui autem non festinat vivere digne Deo, legens non Deum quaerit ad salutem suam, sed scientiam Dei ad gloriam vanam. Ideo etsi semper legat, numquam invenit: sicut nec philosophi invenerunt, qui ipsam causam quaerebant. Putas, sacerdotes Saducaeorum non legebant Scripturas? Sed cognoscere non poterant Deum in eis, quia nolebant vivere digne Deo. Nec enim poterant sua verba docere, quos mala opera docebant. Talis est enim Scriptura nolenti vivere secundum Deum, quemadmodum si aliquis agricolae, non habenti voluntatem pugnandi, exponat bellicam disciplinam: e contrario autem viro bellatori, nolenti colere terram, agriculturam exponat, si tota die audiat verba expositionis illius, nihil intelligere aut comprehendere potest, quia nec habet desiderium disciplinae illius. Ubicumque enim fuerit desiderium hominis, illuc dirigitur et sensus ipsius. Ideo ad illud quidem quod dixit, *Nescitis virtutem Dei*, hoc retulit dicens: *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur.* Ad illud autem, quod dicit, *Nescitis Scripturas*, exemplum protulit, dicens: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod*. 3. 6). Si enim Abraham et Isaac et Jacob morientes periissent, numquam diceretur Deus eorum esse, qui non erant. Diximus supra, cum de manu extensa hominis

Commented [p256]: Col.871

arida tractaremus, quia calumniatoribus primum oportet in aliqua quaestione auctoritatem Scripturae proferre, deinde rationem exponere, non prius rationem, postea auctoritatem: et causae hujus ibi exposuimus rationem, quia et ibi sic fecit Christus. Hic autem interrogantibus Sadducaeis, et per ignorantiam aliquid se scire aestimantibus, prius rationem exposuit dicens: *In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed erunt sicut angeli Dei in caelo*; deinde protulit Scripturae auctoritatem dicentis: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*: ut et nos calumniatoribus prius auctoritatem Scripturae proferamus, postea rationem reddamus; interrogantibus autem quocumque proposito, prius rationem exponamus, postea auctoritatem: ut ratione quidem eos placemus, auctoritate confirmemus. Quoniam calumniatores convincere oportet, interrogatores autem docere. Quoniam et calumniator, etsi intelligit rationem, consentire rationi non acquiescit: fratribus autem, id est interrogantibus, solam exponere sufficit rationem quaestionis, quia discendi, et non contradicendi propositum habent: propter quod et audita ratione credunt. Item vide quomodo sit infirmior Judaeorum congressio contra Christum. Prima, cum terrore: ut est, *In qua potestate facis haec* (*Matth.* 21. 23)? Secunda, cum dolo: cum dicunt, *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personas hominum.* Non enim terrent, sed circumveniunt laudibus: quae congressio, etsi non minus periculosa est priore, tamen minus terribilis est. Contra illam enim necessaria erat fortitudo animae, et constantia cordis: contra istam autem acuta sapientia. In tertio vero loco neque cum terrore neque cum dolo, sed ex praesumptione ignara. Satis enim fecerunt sibi Sadducaei, ita esse, sicut putabant, et cum idoneo argumento existimaverunt se vincere Christum, resurrectionem annuntiantem, quae duabus praecedentibus facilior est. Hominem enim putantem se aliquid scire, cum nesciat, facile est viro scienti circumvenire. Contra tales enim necessaria est sola scientia Scripturarum. Haec autem diximus, ut per servos diaboli, actusque eorum, habitudinem ipsius diaboli describamus: quoniam omnis operatio inimici talis est. In primis gravis et intolerabilis est impetus ejus. Quod si quis forti animo sustinuerit eum, in secundo inveniet eum infirmiorem, in tertio magis debilitatum. Et quanto plus repercussus fuerit, tanto magis frigescit et deficit. Unde puto in persequutionibus Christianis, si in primis quando comprehenduntur non denegaverint territi, nullis poterunt postea vinci doloribus: quia diabolus non tantum habet in se virtutis, quantum terroris. 34. *Pharisaei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum.* Frequenter Judaei diversis interrogationibus Christum tentantes, sibi quidem acquisierunt interitum, nobis autem providerunt salutem. Nam verba Christi illis profecerunt ad confusionem, nobis autem ad aedificationem: quoniam responsis ejus vincebantur, et non placabantur. Nam malitia frequenter quidem vincitur, numquam autem placatur. Pharisaei sunt omnes, qui contra veritatem contendunt: quia non veritatem defendere cupientes certant, sed subvertere festinantes. Qui enim pro veritate contendunt, et cognita veritate non consentiunt veritati: manifestum est, quoniam prius non pro veritate, sed contra veritatem certabant. Audi ergo, homo fidelis qui contra haereticum libenter contendis: si Pharisaei victi placati non sunt, et tu certando contra haereticum potes eum placare, eum viceris? numquid fortior Christo es, ut quos ille non placavit, tu placabis? Debuerunt quidem timere Sadducaeorum exemplum, ut non similiter interrogantes confundantur, sed ardens malitia, dum sauciare festinat, non aspicit exitum rei, ut tantummodo alteri noceat, nec sibi penitus. Si neminem ante eos vicisset, forsitan justa ratione sperassent posse eum vincere, a quo nullus est victus: nunc autem

Commented [p257]: Col.872

videntes, quoniam quotquot interrogare eum ausi sunt, omnes victi recesserunt: quid aestimandi sunt isti? numquid fortiores quam caeteri, qui victis omnibus, vincere speraverunt? Sed impudentiores, quam omnes qui confusis omnibus ante se, similiter erubescere non timuerunt. *Convenerunt in unum,* 35. *et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum. Convenerunt in unum*, ut multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant: a veritate nudos se esse professi sunt, qui multitudine se armaverunt. Dicebant enim apud se: unus loquatur pro omnibus, et omnes loquamur per unum, ut siquidem vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. O Pharisaei, qui omnia propter homines cogitatis et facitis. Primum quidem venientes cum uno, vincendi estis per unum; tamen pone quia, uno victo, homines non intelligunt omnes vos esse victos: numquid conscientiae vestrae consentiunt se esse confusas? Levis enim est consolatio, ut qui in seipso confusus est, quod ab aliis ignoratur. 36. *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator, et malignantissimus insidiator. De magno mandato interrogat, qui nec minimum observat. Ille enim debet interrogare de majori justitia, qui jam minorem complevit. Dominus autem sic ei respondit, ut interrogationis ejus fictam conscientiam statim primo responso percuteret, dicens: 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: id est, Non sicut tu, qui devotionem ostendis in ore, et fraudem meditaris in corde. Magnum autem et minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad utilitatem. Alioquin utilitas omnium mandatorum una est, et omnia mandata quasi unum videntur esse mandatum, quia ita sibi cohaerent, ut alterum sine altero esse non possit. Utputa, si interroget te aliquis in aedificatione domus, Quae pars est melior, dicis, Fundamentum; sed quemadmodum aedificatio non potest esse, nisi fuerit fundamentum: ita nec fundamentum esse potest, nisi aedificatio fuerit subsequuta. Nec dicitur fundamentum, nisi sit aedificatio, cujus fundamentum dicatur. Ergo fundamentum in aedificatione dignius est, non utilius: sic et caput dignius est quam membra: tamen nec membra sine capite, nec caput sine membris esse potest. Sic digniores sunt sacerdotes, quam populus, non tamen utiliores: quia nec populus sine sacerdotibus, nec sacerdotes sine populis esse possunt. Ita et dignius est hoc mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto cordo tuo*: quam illud, *Non occides, non concupisces*; tamen utilitas una est: nam qui diligit Deum, ille non occidit, nec concupiscit; qui autem occidit, aut concupiscit, ille non diligit Dominum Deum suum. Esse autem minora mandata Dominus manifestat, dicens: *Si quis unum ex minimis mandatis istis solverit, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum* (*Matth*. 5. 19). *Diliges*, inquit: non dicit, Timebis: quia diligere majus est quam timere. Inchoatio enim culturae Dei habet timorem, perfectio autem dilectionem, dicente Joanne: *Perfecta dilectio foras mittit timorem* (1. *Joan*. 4. 18). Donec enim homo timet Deum, non eum diligit: cum autem diligere coeperit, jam non eum tantummodo timet, sed etiam amplius diligit. Timere enim servorum est, diligere autem filiorum: timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore servit Deo, poenam quidem evadit, mercedem autem justitiae non habet, quia invitus facit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus, ut timeatur ab hominibus, quasi dominus: sed ut diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donavit hominibus. Nam si consideremus ab initio creati hominis causam, intelligimus quia Deus magis se patrem voluit esse hominum, quam dominum. Non enim dixit tantummodo, *Faciamus hominem*:sed, *Faciamus hominem secundum*

Commented [p258]: Col.873

imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* 1. 26). Similare autem filiis convenit ad patres suos, non etiam servis ad dominos suos.

Quid sit diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Quis sit proximus noster. – Quid est, diligere Deum ex toto corde? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius quam ad Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius quam in Deo, non in honoribus, non in auro, vel in argento, non in possessionibus, aut vineis, non in animalibus, aut mancipiis, non in ornamentis, aut vestibus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis, sed haec omnia existimes tibi esse in Deo, ut prae his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum: pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapientiorem reputare, quam virum suum: etsi sit alter sapientior, tamen illa sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Uxor neminem fortiorem debet putare, quam virum suum: etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Uxor neminem formosiorem debet putare, quam virum suum: etsi sit alter formosior, tamen coram oculis ejus alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, et perfectus amor judicium rerum non cognoscit. Utputa, si perfecte odias aliquem, qualiacumque fuerint apud illum, omnia tibi displicent sive quae dicit, sive quae agit: etsi vere bona sunt, tamen tibi mala videntur. Sic etsi perfecte aliquem amas, quaecumque sunt apud eum, placent tibi, sive quae loquitur, sive quae agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo et uxor, si videns aliquem dixerit, Quam sapiens vir, utinam vir meus talis esset, jam amor ejus minus habet de perfecto amore: et pro quanta parte amplius aliquid laudaverit in altero viro, quam in suo, tanto dilectio ejus minor est ad virum suum. Sic ergo et omnis anima Christiana, quae sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet quam eum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus aliquid amaverit, pro tanta parte minus amat Deum. Quid est, in tota anima diligere Deum? Id est, certissimum animum habere in veritate, et firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, et alius est amor animae. Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter Deum amemus: quod facere non possumus, nisi recesserimus ab amore mundialium rerum. Sicut enim casta mulier, quae virum suum amat, nullum amat alium; si autem alterum amaverit, jam non amat virum suum: ita et homo, si Deum amat, mundum non amat; si autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non amat. Ergo cordis amor non intelligitur sed sentitur in corde, quia quodammodo carnalis est. Amor autem animae non sentitur in corde, sed intelligitur, quia amor animae judicium ejus est. Puta, si didicisti unum Deum, ex quo omnia, et unum Deum, per quem omnia: si iterum intellectus tuus per alicujus doctrinae seductionem percussus, coeperit dubitare de substantia Dei, in tota anima non diligis Deum. Item qui puta, incantationes aliquid posse, aut auguria aliquid intelligere, aut divinationes aliquid nuntiare, non ille in tota anima diligit Deum. Quis autem diligit Deum? Qui omne bonum credit apud Deum, et omne bonum credit esse Deum, et extra Deum non credit esse bonum: qui omnem virtutem et sapientiam credit esse Deum, et extra Deum non credit esse aliquam sapientiam neque virtutem: qui credit Deum omnia facere, et sine Deo nihil fieri posse; ille tota anima diligit Deum. Quid est, in tota mente diligere Deum? Id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad te, Deo vacent. Cujus intellectus Deo ministrat, et cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea, quae sunt Dei, tractat, cujus memoria quae sunt bona recordatur: tota mente diligit Deum, sicut ait

Commented [p259]: Col.874

Apostolus: *Psallam spiritu, psallam et mente* (1. *Cor*. 14. 15). Cujus autem intellectus quae sunt Dei non intelligit, aut non secundum Deum sapit, aut scientia illius vana est et saecularis, singularis autem recordatio ejus non est bona, aut cogitatio displicens Deo: ille non tota mente diligit Deum. 38. *Hoc est primum et maximum mandatum.* 39. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Videtur Christus non ad interrogationem respondere. Ille enim interrogavit, *Quod est magnum mandatum?* Puta, dixit, *Diliges Dominum*. Si voluit et alterum mandatum inducere, debuit minimum dicere, non secundum. Nam contra magnum minimum est, non secundum; secundum autem ad primum respicit. Sed vide quid voluit ostendere. *Diliges Dominum*, et magnum est: *Diliges* autem et *proximum*, magnum quid est, primum autem non est: et ideo dixit, *Simile est*. Considera ergo mysterium. Quis est proximus noster? Christus, qui suscipiens carnem nostram, factus est proximus nobis, sicut in parabola illa Christus ostendit, cum interrogat Pharisaeus: *Et quis est meus proximus* (*Luc*. 10. 29)? Introducit hominem vulneratum a latronibus, et a sacerdotibus despectum, a Samaritanis autem receptum, qui est ipse Christus. Ergo primum mandatum est magnum, Deum Patrem diligere: secundum autem et simile est, Dei Filium diligere, id est, cognoscere: ergo Filius Dei magnus est, sicut Pater. Quicquid enim Pater postes, et Filius potest. *Pater* enim *diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus* (*Joan*. 3. 35). Sed quia omnia Filius, dante Patre, potest, sicut Pater, ideo Pater magnus Deus et primus. Filius autem magnus Deus quidem, non tamen primus, sicut ait Apostolus: *Exspectantes adventum magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit*. 2. 13). Ut autem simpliciter intelligamus, proximum nostrum omnem hominem esse fidelem, qui hominem amat fidelem, simile est sicut qui amat Deum, quia imago Dei est homo. Sicut in imagine sua rex honoratur, vel contemnitur, sic et Deus in homine vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem odit, sicut ait Joannes apostolus: *Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur. Si enim fratrem, quem vides, non diligas, Deum, quem non vides, quomodo potes diligere* (1. *Joan*. 4. 20)? Quis enim honorat regem, et contemnit imaginem ejus? aut quis honorat imaginem, et auctorem contemnit imaginis? Aut ita: Quoniam Pharisaei quidem sciebant, quod esset magnum mandatum in lege, sed tentantes interrogabant: volens eis ostendere, quia non sufficiebat eis solius Dei Patris agnitio ad salutem, ideo non solum dixit, *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua*: sed addidit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, qui erat ipse. Alioqui si ad solam interrogationem eorum respondisset, sufficeret dicere, *Diliges Dominum Deum*: et non addere, *Et proximum tuum sicut teipsum:* secundum quod et alibi dicitur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan*. 17. 3). Et vide quia non dixit, Cognosces Dominum Deum tuum, sed, *Diliges*: quoniam cognoscere unum Deum pene proprium est humanae naturae: diligere autem Deum, religiosi cordis et recti. Et quicumque dilexerit Deum ex toto corde, non est possibile ut non perveniat ad Filii ejus agnitionem, id est, proximi. Ipsa enim dilectio Dei, quae in eo habetur, illuminans eum, praestat ei ducatum, ut post Patrem cognoscat et Filium. 40. *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae*. Qui proximum suum diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec occidit, nec mentitur illi, quem diligit, nec concupiscit rem illius quem diligit, nec mulierem ejus invadit. Sicut odium omne malum suggerit, sic dilectio omne bonum. Unde ait Apostolus: *Est fides, quae per caritatem operatur* (*Gal*. 5. 6). Aut ita, Quoniam de Patre et Filio omnis prophetarum et legis praedicatio exsistebat, per quos prophetas agnoscens quis proximum

Commented [p260]: Col.875

suum, hoc est, Filium Dei, ad primum vel maximum mandatum perveniebat, ut diligeret Dominum Deum, melius cognoscens eum per ipsum. 41. *Congregatis autem Pharisaeis interrogavit eos Jesus,* 42. *dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Responderunt, David.* 43. *Et dixit eis: Quomodo ergo David in spiritu Dominum eum vocat, si filius ejus est?* Judaei aestimantes hominem Christum tentabant: nec enim tentassent eum, si eum Filium Dei credidissent. Volens ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, et quia non erat homo, qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare. Nec dicere poterat manifeste veritatem de se, nec tacere: dicere enim non poterat, ne majorem occasionem blasphemiae invenientes Judaei, insanirent amplius; tacere autem non poterat veritatem, qui ad hoc venerat, ut veritatem annuntiaret: ideo talem interrogationem eis proposuit, ut, eo tacente, ipsa ejus interrogatio ostenderet eis, quia non erat homo, sed Deus, dicens: *Et quomodo David eum in spiritu Dominum vocat?* Numquid poterat Dominus ejus esse, qui ex eo fuerat nasciturus? Puto, hanc interrogationem non solum contra Pharisaeos, sed etiam contra haereticos posuit. Nam secundum carnem filius erat David, Dominus autem secundum divinitatem. Si ergo secundum carnem dixerunt Christum Dominum David, aut secundum carnem jussus est sedere ad Patris dexteram, sicut haeretici putant, aequalitatis mendacium componere festinantes: numquid Christus David se filium denegasset, nisi quia post David futurus esset? Nam filius potest nobis esse, qui post nos futurus est: dominus autem non potest esse, nisi qui aut nobiscum est, aut ante nos est. Christus ergo secundum carnem post David est, secundum divinitatem autem ante David. Ergo illum significabat Dominum suum, illum significabat jubendum sedere, qui jam tunc erat Unigenitus Dei. 46. *Et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus est quisquam ex illa hora eum amplius interrogare.* Confusio multorum facta fuerat disciplina cunctorum. Nam si credimus, quia omnia ibi secundum Dei providentiam agebantur et dicebantur, intelligimus quoniam non, illis desinentibus interrogare, Christus desiit docere: sed quia Christus desierat eos jam ulterius velle docere, ideo et illi desierunt ausi esse interrogare. Nam qui mari terminum posuit, ipse audaciae diaboli adversus se agentis, quando voluit, tunc finem posuit.

Homilia xliij. ex capite xxiij. (col.876-80)

Commented [p261]: Col.876

1. *Tunc Jesus loquutus est ad turbas, et ad discipulos suos,* 2. *dicens: Super cathedram Mosi sederunt scribae et Pharisaei.* 3. *Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, et non faciunt:* 4. *alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* 5. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias:* 6. *amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis,* 7. *et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.* 9. *Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus enim est Pater vester, qui in caelis est.* 10. *Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus.* 11. *Qui major est vestrum, erit minister vester.* 12. *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.* Postquam Dominus impios sacerdotes super se irruentes, quasi feroces bestias, quodam venabulo acutissimae

responsionis prostravit, et incorrigibilem conditionem eorum ostendit: nam laici delinquentes facile emendantur, clerici autem, si mali fuerint, inemendabiles sunt: tunc convertit sermonem suum ad apostolos, et ad populum dicens: *Super cathedram Mosi sederunt scribae et Pharisaei*: ut illorum confusio istorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, ut alter non erudiatur. Nam et Deus non propter malos castigationem super terram transmittit, sed propter bonos: scit enim, quia malos flagella non corrigunt: sed malos castigat, ut corrigat bonos: quia bonus nisi admonitus fuerit, per negligentiam evanescit. Sic et Christus, numquid non potuit eorum interrogationes contemnere? Sed voluit indignos indigne docere, et dignos digne aedificare. Sicut in saecularibus in eo, quod alter pauperescit, alter ditatur: et nisi alter descenderet, alter non ascenderet: sic et in spiritualibus in eo, quod alter confunditur, alter emendatur. Quid ergo dicit de sacerdotibus? *Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei*, id est, multi sacerdotes, et pauci sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo sedeatis super eam: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedrae. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In judicio enim sedens, siquidem bene vixeris, et bene docueris, omnium judex es: si autem bene docueris, et male vixeris, tui solius condemnator es. Nam bene vivendo, et bene docendo, populum instruis, quomodo debeat vivere: bene autem docendo, et male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Ad populum autem quid? *Omnia quaecumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum vero facta eorum nolite facere.* Id est, Vos qui sedetis in ecclesia, quasi judices sacerdotum, et non auditores, aliena discutientes, et propria non considerantes, ex vobisipsis judicate de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, et non omnes facitis, quod auditis: sic et sacerdotes omnes docent, sed non omnes faciunt quod docent. Nam in hominibus dignitas quidem diversa est, omnium autem natura una est. Homines enim ab initio creati sunt propter se, postea autem ordinati sunt propter vos. Propterea ergo natura eorum, ipsorum est: ordinatio autem eorum, vestra. Si bene vixerint, eorum est lucrum: si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo quod vestrum est, et nolite discutere quod alienum est. Sicut enim sacerdotes etiam infideles docent propter fideles, melius judicantes propter bonos etiam malos fovere, quam propter malos etiam bonos negligere: sic ergo et vos propter bonos sacerdotes etiam malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis justa praestare, quam bonis justa subtrahere. Frequenter enim et de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim et vilis terra pretiosum aurum producit. Numquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non: sed sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite. Nam ut apibus herbae necessariae non sunt, sed flores herbarum: flores enim illae colligunt, herbas vero relinquunt: sic et vos flores doctrinae colligite, et conversationem relinquite, ut quasi inutilis herba arescat. Fidem praedicant, et infideliter agunt. Pacem aliis dant, et sibi non habent. Veritatem laudant, et mendacia diligunt. Avaritiam castigant, et avaritiam exercent. Quia ergo scire bonum et malum, in natura positum est, facere autem, in voluntate: ideo benedicere, omnium est; bene autem facere, paucorum. Legi aliquem sic interpretantem hunc locum: Quoniam, inquit, super cathedram Mosi, id est, in honore et gradu, in quo fuerat Moses, paulatim ad pejus redacti, constituti sunt contra meritum suum scribae et Pharisaei indigni, qui legem

Commented [p262]: Col.877

prophetantem de Christo venturo praedicabant quidem aliis, ipsi autem non recipiebant praesentem: propter hoc hortabatur populum audire legem, quam praedicabant, et facere, id est, credere in Christum praedicatum a lege, et non imitari scribas et Pharisaeos incredulos, praedicantes in lege de Christo, et non credentes in eum. Et reddit causam, ut quid praedicabant quidem in lege Christum venturum, et non credebant in eum: quia omnia opera sua faciebant, ut ab hominibus viderentur. Id est, quia non vere praedicabant Christum venturum, desiderantes ipsius Christi adventum, quem praedicabant: sed propter hoc solum, ut praedicatores et traditores esse legis ab hominibus viderentur. Simile propositum habent omnes, qui justitiam Dei docent, et non faciunt: quia non docent vere ipsam justitiam Dei, non amantes quam docent, sed propter hoc solum, ut doctores esse justitiae Dei ab hominibus videantur. Numquam audistis aliquem de consummatione mundi, et de futuro Christi judicio eleganter tradentem Scripturas? Et si consideres vitam ejus, intelliges, quia sicut latro non desiderat aspicere faciem judicis terreni, sic nec ille desiderat ad Christi venire judicium. *Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem digito suo nolunt ea movere.* Quantum ad Pharisaeos quidem et scribas, de quibus loquitur, onera gravia et importabilia dicit legis mandata, maxime quae dederat eis Deus propter peccatum vituli adorati, quae scribae et Pharisaei docebant, suadentes populo secundum mandata vivere legis, et non venire ad facilem et delectabilem gratiam Christi. De quibus onerosis mandatis et Dominus supra dicebat, exhortans populum Judaeorum: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vobis requiem dabo* (*Matth*. 11. 28). Et Petrus in Actibus apostolorum dicit: *Et vos, quid tentatis Deum, et vultis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Christi credimus salvi fieri* (*Act*. 15. 10. 11). Erant enim quidam, qui onera legis quibusdam rationibus fabulosis commendantes auditoribus suis, quasi vincula super humeros cordis eorum alligabant, ut quasi rationis vinculo constricti, non rejicerent ea a se: ipsi autem nec ex modica parte ea implebant: id est, non dicam, plena opere suo, sed nec modico tactu, hoc est digito. Secundum consequentiam autem tales sunt etiam nunc sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandant, et ipsi nec modice servant, videlicet non ut facientes sint justi, sed ut docentes appareant justi. Tales sunt et qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt, qui dicunt et non faciunt; et sic, dum poena poenitentiae praesentis fugitur, contemnitur poena peccati futuri. Si enim fascem super humeros adolescentis, quam non potest bajulare, posueris: necesse habet, ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui grave pondus poenitentiae ponis, necesse est, ut aut poenitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus, modicam poenitentiam imponentes: nonne melius est propter misericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, et grandia videant facientem. Talis est autem sacerdos, qui sibi indulget, et ab aliis gravia exigit: quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui se relevat, et onerat impotentes. *Omnia autem opera sua faciunt, ut ab hominibus videantur.* Postquam supra sacerdotum et Pharisaeorum et Sadducaeorum contentionibus vexatus est, in suis autem responsionibus non auditus convertens se, sicut audivimus, docuit, tales doctores audiendos esse, non imitandos. Nunc autem vult ostendere causam, propter quam non

Commented [p263]: Col.878

poterant credere Christo: hoc est, quia omnia faciebant, ut ab hominibus videantur. Impossibile est enim ut credant Christo caelestia praedicanti, qui gloriam hominum concupiscunt terrenam, sicut alibi ipse dicit: *Quomodo potestis credere, gloriam quaerentes ab invicem, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis* (*Joan.* 5. 44)? In omni re ex ipsa re nascitur, quod exterminet rem: utputa, in ligno ex ipso ligno nascitur vermis, qui exterminat lignum. Ex vestimento nascitur tinea, quae comedit vestimentum; ex oleribus nascitur vermis, qui olera universa corrumpit: sic et in spiritualibus ex ipso proposito eorum spirituali accipit occasionem inimicus, unde eis retia texit: quia a seipso nihil agere potest, nisi occasionem a nobis acceperit. Ideo unumquemque hominem aggreditur secundum conditionem, et statum, quem invenerit circa eum: utputa, inter bellatores nascitur de virtute contentio: in dignitosis de ambitione honoris surgit invidia: inter divites de acquisitione fit zelus. Quid dicam? Inter ipsos thymelicos, qui exercent vana ludibria, de ipsis ludibriis sibi invicem adversantur, ut qui pejus deridetur, melior existimetur. Ideo et sacerdotes, qui positi sunt ad ornamentum populi, et ad aedificationem sanctitatis, ex ipso ministerio eorum accipit colorem diabolus, et corrumpit bonum ministerium eorum, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle ergo hoc vitium de clero, ne velint hominibus placere, et sine labore omnia vitia resecantur. Ex hoc vitio nascitur, ut ne velint inter se meliorem habere, sicut Judaei Christum. Non enim nescientes eum Dei Filium esse, occiderunt, sed habere eum talem non sustinentes, sicut et prophetat de illis Salomon: *Venite, circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, et improperat nobis peccata legis* (*Sap*. 2. 12). Ex hoc vitio nascitur, ut clerici peccantes difficile poenitentiam agant. Erubescit enim aliquando reus videri, qui semper fuerat judex. *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbriam vestimentorum suorum.* Puto quod illorum tunc scribarum et Pharisaeorum exemplo et nunc multi aliqua nomina Haebraica angelorum confingunt, et scribunt, et alligant sibi, quae non intelligentibus linguam Hebraicam quasi metuenda videntur. Sic ergo et isti vani sunt, sicut illi fuerunt: quoniam personae illorum de mundo recesserunt, non mores. De hominibus itaque nostri temporis exponentes, de illis videmur exponere. Ergo sacerdotes ex eo quod ab hominibus volunt videri justi, phylacteria alligant circa collum, quidam vero partem aliquam Evangelii scriptam. Dic, sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in ecclesia legitur, et auditur ab hominibus? Cui ergo in auribus posita evangelia nihil prosunt, quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare?

Commented [p264]: Col.879

Evangelii virtus ubi. – Deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis: si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. Alii autem, qui sanctiores se ostendere volunt hominibus, partem fimbriae aut capillorum suorum alligant, et suspendunt. O impietas! Majorem sanctitatem in suis vestimentis volunt ostendere, quam in corpore Christi: ut qui corpus ejus manducans sanatus non fuerit, fimbriae ejus sanctitate salvetur, ut desperans de misericordia Dei, confidat in veste hominis. Et quid Paulus? non dabat sudaria sua, et semicinctia sua, ut salvarentur infirmi (*Act*. 19. 12)? Etiam antequam Dei notitia in hominibus esset, ratio erat ut per sanctitatem hominum Dei potentia cognosceretur: nunc autem insania est. Nam postquam Dei potentiam cognoverimus, quid necessarium est, ut hominum potentiam cognoscamus? Nam qui necessarium non habet, ut Deum ostendat per suam sanctitatem, et hoc facit: sine dubio se festinat ostendere, non Deum. Alius autem sic interpretatur hunc locum: Quia per observationes, inquit, quorumdam dierum dilatant verba sua, quasi phylacteria: et

ostendunt populo ea assidue praedicantes, quasi conservatoria legis et salutis eorum: quales erant de quibus Christus dicebat: *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum* (*Matth*. 15. 9). Fimbrias autem vestimentorum magnificatas dicit supereminentias eorumdem mandatorum magnificatas. Quando enim per minimas illas et superfluas observationes justitiarum suarum laudant eximias, et valde Deo placentes, fimbrias vestimentorum suorum magnificant. *Amant enim primos recubitus in conviviis.* Haec si spiritualiter intelligantur, aedificant: si vero corporaliter, non solum non aedificant, sed adhuc magis destruunt. Quomodo? Pone aliquem esse corde jactantem, audientem laudabile esse in ultimo loco discumbere, discumbit post omnes: et non solum tunc jactantiam cordis non dimittit, sed adhuc aliam jactantiam humilitatis acquirit: ut qui vult videri justus, etiam humilis videatur ab aliis. Quanti enim sunt superbi, qui corpore quidem in novissimo recumbunt, cordis autem elatione videntur sibi in cornu recumbere? Et quanti sunt humiles in cornu recumbentes, et conscientia se existimant in ultimo esse? Quid ergo? Deus spiritus est, non ad carnem loquitur, sed ad spiritum. Caro enim spiritualia non intelligit, dicente Apostolo: *Si quis spiritualis est inter vos, cognoscat quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata* (1. *Cor*. 14. 37). Si ergo spiritus ad spiritum dicit, spiritualiter, non carnaliter dicit. Non enim tantum curat Deus, ubi corpus hominis jaceat, sed in qua parte mens conscientiae sit collocata. Ergo quod jubet nobis in ultimo loco Dominus recumbere, non solum sic jubet, ut corpore in novissimo jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos esse omnium judicemus. Nam sine causa loco se humiliat, qui corde se praefert. Unde non vituperat eos, qui in primo loco recumbunt, sed eos, qui amant primos discubitus: ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum. *Et salutationes in foro.* Primas salutationes non solum in tempore, sed etiam in voce: non solum in voce, sed etiam in corpore: non solum in corpore, sed etiam in loco: id est, non solum exigunt, ut prius illos salutemus, sed etiam cum voce clamantes, Ave, Rabbi; non solum hoc, sed etiam ut flexis capitibus, ac nudatis, et in publico ad genua eorum nos incurvemus. *Et vocari ad hominibus Rabbi.* Id est, vocari volunt, non esse: nomen appetunt, et officium negligunt. Quomodo enim potest esse magister, qui discipulum non habet? Da ergo operam, et invenies fructum: acquire discipulum, et esto magister. *Vos autem nolite vocari Rabbi*: ne quod Deo debetur, vobis sumatis. Nolite et alios vocare Rabbi, ne divinum honorem hominibus deferatis. Unus est enim magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent, qui habent doctores: nunc autem quia homo non docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Homo enim non intellectum homini praestat docendo sed a Deo praestitum per admonitionem exercet. Doctrina enim cotis habet officium. Sicut enim eos non facit ferrum, sed acuit: et sicut sine causa ferrum acutum acuitur, ita sine causa homo sensatus docetur. Maxime vos, qui spirituales estis, quomodo vocatis vobis terrenum magistrum? Numquid carnalis doctrina disciplinam generat spiritualem? Scriptum est enim: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal*. 93. 12). *Et Patrem nolite vocare vobis super terram, quia non estis filii terreni.* Ex quo enim caelestem te esse professus es, ex quo patrem tibi vocasti de caelo, dicens: *Pater noster, qui es in caelis* (*Matth*. 6. 9), ac ex quo te caelestem esse professus es, Patrem vocando Deum; turpe est, ut iterum te profitearis terrenum, patrem tibi vocando super terram. Ecce enim in arbore, quamvis plurimos ramos producat, tamen omnium ramorum una dicitur radix: sic et in mundo, quamvis homo hominem generet, tamen unus est Pater, qui omnes creavit. Nam et nos filii fratres sumus patrum nostrorum, quia non ab

Commented [p265]: Col.880

ipsis nati sumus, sed per ipsos: id est, non initium vitae ex eis habemus, sed transitum vitae per eos accepimus: *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur*. In convivio enim hoc nuptiali, id est, in hac Dei vocatione primos discubitus sibi defendebant Judaei: humiliati autem facti sunt post gentes novissimi, et gentes, quae contra meritum suum se vocatas intelligebant, factae sunt ante Judaeos, qui illis quidem erant in tempore primi: quia non prima vocatio est consideranda, sed dignitosior. Illi enim ad prandium mediocre invitati sunt, isti autem ad coenam magnam. Illorum invitatores prophetae fuerunt, istorum autem ipse filius, qui erat causa convivii. Illorum delectio apud Deum ex patribus erat, istorum autem ex fide ipsorum. Ideo alibi tangens Judaeos dicebat: *Tu autem cum vocatus fueris ad nuptias* (id est, ad nuptias Christi), *noli recumbere in loco priori* (*Luc*. 14. 8).

Homilia xliv. ex capite xxiij. (col.880-5)

14. *Vae vobis autem, scribae et Pharisaei hypocritae, qui devoratis domos viduarum*, etc. Sexus mulierum incautus et mollis est. Incautus quidem, quia non omnia, quae videt, aut audit, cum sapientia et ratione considerat: mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Virilis autem sexus cautior est et durior. Cautior quidem, quia omnia, quae videt, discutit ratione; durior autem, quia nec de malo facile inclinatur ad bonum, nec de bono facile revocatur ad malum: nam sequitur rationem. Ideo autem durior quia rationabilior. Haec autem praemisimus, ut ostendamus mulieres incautas et faciles. Propterea impostores sanctitatis circa mulieres facile se constringunt, quia nec intelligere imposturas eorum facile possunt mulieres, cum sint incautae: et ad dilectionem eorum religionis gratia facile inclinantur, cum sint molles corde. Maxime tamen permanent cum viduis mulieribus, propter duas causas. Primum, quia virita mulier nec facile decipitur, habens consiliatorem virum: deinde nec facile de facultatibus suis aliquid eis dat, cum sit in potestate viri: viduae autem facile decipiuntur, non habentes consiliatorem virum, et facile de rebus suis talibus praestant, cum sint nullius potestati subjectae. Propterea ergo dum Judaicos sacerdotes confundit, Christianos monet, ut non cum viduis mulieribus amplius permaneant, quam cum caeteris: quia etsi voluntas permanendi mala non fuerit, tamen suspicio est mala. *Vae vobis, qui devoratis domos viduarum, oratione longa orantes.* Qui avaritiam vestram religionis colore depingitis, et quasi diabolo Christi arma praestatis, ut ametur iniquitas, dum pietas aestimatur, qui longis orationibus quasi magnis retibus viduarum facultates piscatis. Ob id dupliciter rei. Primum quidem, pro eo, quod estis iniqui: alterum, pro eo, quod figmentum assumitis sanctitatis. 13. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui clauditis regnum caelorum ante homines.* Vult enim Dominus ostendere, sacerdotes Judaeorum omnia avaritiae causa facere, qui per Scripturas quidem Christi cognoscebant adventum, considerabant autem, quoniam etsi Christus creditus fuisset, consuetudo sacrificiorum offerendorum fuerat exstinguenda, et sacrificium justitiae valiturum: sicut de utrisque propheta testatur, dicens: *Afferte Domino gloriam et honorem: tollite hostias, et introite in atria ejus* (*Psal*. 28. 2). Ideo perversa interpretatione ante conspectum populi claudebant januam legis et prophetarum, qui de adventu Christi manifestissime praedixerunt, ut a fide Christi homines separarent, timentes ne forte, credito Christo, ipsi sacrificiorum oblationibus fraudarentur. Magis enim cupiebant, ut, lege manente, in usu

Commented [p266]: Col.881

essent sacrificia, quibus ipsi ditabantur, non Deus: quam, lege cessante, sacrificium justitiae veniret in usum, quo Deus delectatur, et homines justificabantur.

Regnum caelorum dicuntur Scripturae; quare obcurae sint. – Regnum enim caelorum dicuntur Scripturae, quia in illis insertum est regnum caelorum. Janua eorum, intellectus earum. Vel regnum est beatitudo caelestis, janua autem ejus est Scriptura, per quam introitur ad eam. Clavicularii autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi et interpretandi Scripturas. Clavis autem est verbum scientiae Scripturarum, per quam aperitur hominibus janua veritatis. Adapertio autem est interpretatio vera. Videte quia non dixit, Vae vobis, qui non aperitis regnum caelorum: sed, *Qui clauditis*. Ergo non sunt Scripturae clausae, sed obscurae quidem, ut cum labore inveniantur: non autem clausae, ut nullo modo inveniantur. Propterea dicit Petrus in Epistola sua, de Scripturarum obscuritate: quia *Non sicut voluit homo, loquutus est Spiritus: sed sicut voluit Spiritus, ita loquutus est homo* (2. *Pet.*1. 21). Ratio autem obscuritatis multiplex est, tamen satisfactionis causas dicimus duas. Primum, quia Deus alios voluit esse doctores, alios discipulos. Si autem omnes omnia scirent, doctor necessarius non erat: et ideo esset rerum ordo confusus. Nam ad eos quidem, quos voluit esse doctores, sic Deus dicit per Isaiam prophetam: *Loquimini, sacerdotes, in cordibus populi* (*Isai*. 40. 2). Ad eos autem, quos voluit discendo cognoscere mysteria veritatis, sic dicit in cantico: *Interroga patrem tuum, et dicet tibi: presbyteros tuos, et annuntiabunt tibi* (*Deut*. 32. 7). Et sicut sacerdotes, nisi omnem veritatem manifestaverint in populo, dabunt rationem in die judicii, sicut dicit Dominus ad Ezechielem: *Ecce speculatorem te posui domui Israel, si non dixeris impio, ut a viis suis pravis discedat, ipse quidem in suis peccatis morietur, animam autem ejus de manu tua requiram* (*Ezech*. 3. 17. 18): sic et populus, a sacerdotibus nisi didicerit et cognoverit veritatem, dabit rationem in die judicii. Sic enim dicit Sapientia ad populum: *Et extendebam sermones meos, et non audiebatis: ideo et ego in vestra perditione ridebo* (*Prov*. 1. 25. 26). Sicut enim paterfamilias cellarium aut vestiarium suum non habet expositum cunctis, sed alios quidem habet in domo qui dant, alios autem qui accipiunt: sic et in domo Dei alii sunt qui docent, alii qui discunt. Deinde obscurata est notitia veritatis, ne non tam utilis inveniatur, quam contemptibilis. Contemptibilis enim est, si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur, nec custoditur. Non ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura: non ut non inveniant eam, qui quaerunt eam, sed ut non inveniant eam, qui quaerere eam nolunt: ut ad illorum quidem gloriam pertineat qui inveniunt eam, quia desideraverunt eam, et quaesierunt, et invenerunt: ad illorum autem condemnationem qui non inveniunt eam, quia nec desideraverunt eam, nec quaesierunt, nec invenerunt. Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quaerendi voluntas. Nam si veritas, salus et vita est cognoscentium se, magis debet quaeri quam quaerere. Quomodo claudebant Scripturas sacerdotes? Aliud pro alio interpretantes, utputa dicit Isaias: *Ipse veniet Dominus, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt, et lingua mutorum diserta erit* (*Isai*. 35. 4-6). Haec signa erunt adventus Christi. Quando ergo Dominus mutum sanavit et surdum. Judaei perversa adinventione dicebant, *Hic non ejicit daemonia, nisi in Beelzebub principe daemoniorum* (*Matth*. 12. 24), ut averterent populum a fide ipsius. Aut certe claudebant januam veritatis, quando posuerunt decretum, ut si quis diceret eum Filium Dei, fieret extra synagogam. Sic et modo haeretici sacerdotes claudunt januam veritatis. Sciunt enim quoniam si manifestata fuerit veritas, eorum ecclesia est relinquenda, et ipsi de

Commented [p267]: Col.882

sacerdotali dignitate ad humilitatem venient popularem. Ideo quando legunt in populo suo aliquid tale, *Qui me misit, major me est*: perversa interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes Filium minorem Patre, cum secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et nec ipsi intrant in veritatem Scripturae, propter avaritiam, neque alios intrare permittunt, propter ignorantiam. Quid ergo? ignorans populus excusabilis erit? Absit. Si enim vestimenta empturus, gyras unum negotiatorem et alterum, et ubi meliores vestes inveneris, et pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores, et inquirere ubi sincera veritas Christi venumdatur, et ubi corrupta, et omnium confessiones cognoscere, et veriorem eligere plus quam vestimentum? Dicit Apostolus, *Omnia probate, et quod bonum est tenete* (1. *Thess*. 5. 21). Aut si propter utilitatem aliquam, vel necessitatem mundialem, proficisci volueris ad aliquem locum, cujus viam ignoras, numquid propter ignorantiam viae discedis a profectione proposita? Non, sed experiris nunc istam viam, nunc illam: et quos interroges, quaeris: et cum inveneris, rogas, et postulas ut semitam discas. Et si velles Scripturarum ingredi veritatem, nunc peteres orationibus, nunc quaereres in Scripturis, nunc pulsares bonis operibus, nunc interrogares sacerdotes, nunc istos, nunc illos. Non investigas qui veri sint clavicularii Scripturarum, qui falsi. Sed ista non fiunt, quia verbum Dei non creditur: quia nec promissio beatitudinis ejus desideratur, nec judicium comminationis ejus timetur. 15. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum: et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos estis.* Judaei enim ubicumque videbant gentiles, proposita quaestione de veritate unius Dei, et de vanitate idolorum facile disputantes, vincebant. Non enim labor est contra vanitatem idolorum manifestam, unius Dei dicere veritatem, cum ille qui dicit magis adjuvetur ab ea, quam adjuvet eam: tamen corrigebant eum forte, sed non propter gloriam Dei, ut additis cultoribus honoretur Deus, nec propter misericordiam volentes eum salvare quem docebant, sed aut propter avaritiam, ut, additis in synagoga Judaeis, sacrificiorum adderetur oblatio: aut propter vanam gloriam, propter hoc ipsum ut videantur gentilem corrigere potuisse: sicut et nunc faciunt haeretici sacerdotes, aut promissionibus corrumpunt, aut minis terrent: non propter gloriam Dei, neque de ignorantia hominum dolentes, sed aut propter avaritiam, aut gloriam vanam, ut videantur aliquos potuisse corrigere. Sed qui propter Deum aliquem vult corrigere, aut qui propter vanitatem, ex ipsis actibus docentis ostenditur. Quando enim ipse in sanctitate conversatur, cognosce quoniam errantem propter Deum corrigere vult: si autem ipse in malis versatur, quomodo alterum propter Deum corrigere valet ad bonum? Numquid magis misericors potest esse aliquis alteri, quam sibi? aut qui seipsum mergit in gurgitem peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere? *Facitis autem eum filium gehennae duplo quam vos estis.* Nam qui forte sub cultura idolorum constitutus, vel propter alios homines justitiam servabat, factus sub Deo: malorum magistrorum provocatus exemplo, fit pejor magistris, et sic impietas discipulorum imputatur magistris. Aut sic: Omnis gentilis in simplo est filius gehennae, quia idolorum est cultor. Item Judaei in simplo erant filii gehennae, quia non credebant in Christum. Quicumque ergo ex gentibus adjungebatur Judaeis, non solum non justificabatur: nec enim justificabatur aliquis nisi per fidem Christi, maxime post adventum ipsius: sed adhuc instruebatur exemplo scribarum et Pharisaeorum, discredere Christo, et blasphemare eum, quemadmodum et illi: et sic fiebat duplo filius gehennae. Primum quidem, quia idolorum fuerat cultor. Deinde, quia factus fuerat blasphemator Christi, et interfector. Sicut et nunc, qui transit ad haereses, duplo fit filius

Commented [p268]: Col.883

gehennae. Primum quidem, quia veritatem, quam tenebat, reliquit. Deinde quia factus est adversarius veritatis. Qui enim in erroribus natus est, et in erroribus permanet, in simplo est filius gehennae: qui autem natus in veritate, propter aliquam causam mundialem ad perfidiam migrat, duplo fit filius gehennae. 16. *Vae vobis, duces caeci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit per aurum templi, debet.* Templum enim vel altare ad gloriam Dei pertinet, et ad hominum spiritualium salutem: aurum autem, quod est in templo, vel donum, quod est super altare, ad gloriam quidem Dei pertinet: et ipsum tamen aurum vel donum magis ad delectationem hominum, et ad utilitatem sacerdotum offertur super altare. Judaei ergo aurum, quo ipsi delectabantur, et dona, quibus ipsi pascebantur, sanctiora dicebant esse, quam ipsum templum et altare: ut homines promptiores fierent ad offerenda dona quam ad preces fundendas in templo, aut justitias faciendas. Multa enim et modo Christiani simpliciter et insipienter sic intelligunt. Ecce enim si aliqua fuerit causa, modicum videtur facere, qui jurat per Deum: qui autem jurat per Evangelium, magis aliquid fecisse videtur: quibus similiter dicendum est: Stulti, Scripturae sanctae propter Deum sunt, non Deus propter Scripturas. Major est enim Deus, qui sanctificat Evangelium, quam Evangelium, quod sanctificatur a Deo. 23. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui decimatis mentam, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem.* Quoniam scribarum et Pharisaeorum, ad quos loquebatur, quidam erant sacerdotes, quidam autem populares: non congruum existimo, si duplicem hujus loci faciamus traditionem: ut una quidem pertineat ad populares, qui decimas dant; altera autem ad sacerdotes, qui decimas accipiunt. Etenim ipse sermo dubius est, qui dicit: *Vae vobis, qui decimatis*. Nam et qui accipit decimas, recte decimare videtur, et qui dat. Scribae ergo et Pharisaei minimorum olerum decimas dabant, ut per hoc videntes eos dicerent omnes: Putas, quomodo omnium rerum suarum decimas offerre non praetermittunt: quia etiam contemptibilium olerum decimas dare non negligunt? Putas, quomodo secundum omnia Dei praecepta vita eorum est consummata, ut ne in modicis his negligere acquiescant? Quod non erat verum. Nam minimarum quidem rerum decimas offerebant, ostendendae religionis gratia; in judiciis autem erant injusti, in fratres sine misericordia, in Deum semper increduli. Quas simulationes eorum arguens Dominus, haec dicit et adjungit: 24. *Hypocritae, liquantes culicem, camelum autem glutientes*: quoniam a modicis quidem delicitis se abstinebant, quae fieri solent ex decimis non oblatis, magna autem mala alacriter committebant, qualia sunt, injustum judicium judicare, in proximos suos odia exercere, in Deum incredulum esse. In causa autem scribarum et Pharisaeorum illorum cadunt multi. Et nunc qui videntur quidem Ecclesiam honorare, pauperes consolari, in judicio autem sedentes, aut secundum personarum acceptionem judicant, aut secundum differentiam munerum: inter seipsos lites quotidianas exercent, et odia sine fine, praeponentes semper avaritiam caritati. In fide autem semper infirmi sunt, quia inter Christianos et haereticos nullam differentiam arbitrantur: sicut et meretrix mulier adulterum idipsum putat et virum. Et ipsi ergo hypocritae sunt, et culicem liquant, modicum repellentes peccatum: et camelum glutiunt, maxima et pessima committentes. Nunc veniamus ad sacerdotes. Scimus quia servare justitiam, et facere misericordiam, et habere fidem, propter gloriam suam Deus mandavit: decimas autem offerre Deo, propter utilitatem sacerdotum: ut sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrarent. Sacerdotes ergo avaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset, quia decimam alicujus rei vel saltem

Commented [p269]: Col.884

minimae non obtulisset: si quis autem de populo in Deum peccabat, aut laedebat aliquem, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam fecisset, quia in Deum peccabat; et de suo quidem lucro sollicite agebant, de gloria autem Dei, et salute, Dominum negligebant. Ideo dicit de eis: Vae vobis, qui decimas etiam rerum minimarum exigitis a populo, et misericordiam et justitiam non facientes, populum non admonetis. Sic enim et modo fit. Ecce enim episcopus, si debitum honoris non acceperit a presbytero, aut presbyter si non acceperit a diacono, aut diaconus a lectore, irascitur et turbatur: si autem viderit aut episcopus presbyterum, aut presbyter diaconum, circa Ecclesiae obsequium non permanentem, aut alias peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat: quia omnes quidem de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus. Et portiones quisque suas secundum dignitatem suam vigilanter aspiciunt, et defendunt, et secundum dignitatem suam curam impendere circa obsequium Ecclesiae non attendunt. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: et si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eum. Quam compendiose in tribus his complexus est, et conditiones hominum, et quae necessaria sunt hominibus ad salutuem! Omnes enim homines aut judices sunt, sive spirituales, sive mundiales, aut sub judicibus sunt; et omnibus generaliter hominibus tam judicibus, quam his, qui judicantur, duo haec necessaria sunt ad salutem, fides vera, et opera bona. Dicens ergo, *Judicium*, tetigit eos qui judicant, sive mundiales judices, qui praesunt mundo: sive spirituales, qui praesident Ecclesiis, ut justum judicium judicent. Haec est enim eorum prima justitia, ut si vere, aut judices mundiales, loquuntur justitam, aut judices spirituales. Si vero loquuntur justitiam in ecclesia, per hoc ostenditur si juste judicarint, dicente propheta: *Si vere utique justitiam loquimini, juste judicate, filii hominum* (*Psal*. 57. 2). Si autem non judicaverint judicium, non in veritate loquuntur justitiam, sed in labiis tantum. Dicens autem, *Fidem*, admonet omnes in fide vivere Dei. Dicens vero, *Misericordiam*, conversationem bonam omnibus praedicavit. Nam sive abstinentia a malis, sive opus bonarum rerum per misericordiam conservatur. Nam et non facere homini quae pati non vult, et facere quae sibi fieri vult, utrumque misericordiae est. *Duces caeci, liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Omnes ergo sacerdotes, qui propter non oblatas populi decimas curant, et docent populum, et corripiunt, et alia pejora eorum peccata videntes, tacent: ipsi sunt, qui docent populum suo exemplo liquare culicem, et camelum glutire: id est, a modico quidem peccato se abstinere, majora autem committere. 25. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui emundatis quod foris est calicis et paropsidis*. Quoniam in specie calicis et paropsidis homines dicit, manifestum est ex eo quod addidit, dicens: *Ab intus autem pleni estis rapina et iniquitate*. Judaei enim quotienscumque ingressuri erant in templum, aut sacrificia oblaturi per dies festos, et seipsos, et vestimenta sua, et utensilia lavabant, et a peccatis nemo seipsum purgabat, cum Deus neque corporis munditiam laudet, neque sordes condemnet. Pone tamen, quia Deus odit sordes corporum, et rerum, et vasorum. Si ergo rerum sordes odit, et aut vis, aut non vis, necesse est ut ipso usu sordidentur: quanto magis Deus sordes conscientiae horret, quam si volumus, semper mundam servamus? Non ergo vasa lavanda sunt aquis, sed conscientiae precibus. 26. *O Pharisaee caece, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod foris est, mundum*. Non ergo sensus est, si catinus ab intus mundatur, a foris vero mundatus non fuerit, mundus est: sed homo, si ab intus peccatis non fuerit sordidatus, et si numquam tetigerit aquam, mundus est ante Deum: si autem peccaverit, et si toto pelago et cunctis fluminibus se laverit, sordidus et niger est ante Deum.

Commented [p270]: Col.885

Homilia xlv. ex capite xxiij. (col.885-90)

27. *Vae vobis, scribae et Pharisaie hypocritae, qui similes estis sepulcris dealbatis*, etc. Merito justorum corpora templa dicuntur, quia anima in corpore justi dominatur et regnat, quasi Deus in templo. Vel certe, quia ipse Deus in corporibus habitat justis. Corpora autem peccatorum sepulcra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. Nec enim vivens putanda est, quae nihil vivum aut spirituale agit in corpore. Vel quia mors ipsa habitat in corporibus peccatorum. Sicut ergo sepulcrum quamdiu quidem clausum est, pulchrum videtur a foris, si vero fuerit apertum, horribile est: sic et simulatores bonorum quamdiu quidem non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, inveniuntur abominabiles. Dicito mihi, o hypocrita, si bonum est, esse bonum, ut quid non vis esse, quod vis apparere? Si vero malum est, esse malum, ut quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est apparere, formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es: quia manifestum malum a sapientibus non facile reprehenditur, dum insania aestimatur. 29. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.* Omne bonum, quod fit propter Deum, in omnibus rebus aequaliter observatur. Ubi autem in omnibus rebus non aequaliter observatur, bonum illud propter homines fit, sicut res ipsa praesens demonstrat. Ecce enim qui martyria aedificant, ecclesias ornant, bonum opus facere videntur: sed si quidem et alias justitiam Dei custodiant, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua: scito quia ad gloriam Dei aedificant. Si autem alias justitiam Dei non servant, si de bonis eorum pauperes numquam gaudent: si aliorum bona faciunt sua aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam insensatus est, ut non intelligat quia non ad gloriam Dei faciunt aedificia illa, sed propter aestimationem humanam? Et juste aedificant martyria, ut pauperes violentiam passi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant. Qualis est virtus illa justitiae, munerare mortuos, et exspoliare viventes? de sanguine miserorum tollere, et Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiae suae socium facere Deum: ut cum oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis domum Dei aedificare? Da fidelibus pauperibus unde vivant, et aedificasti rationabilem domum Dei. In aedificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines exspoliant, et aedificia martyrum faciunt? habitationes hominum componunt, et habitationem Dei destirpant? Jam ergo ex antiquis temporibus morbus iste in hominibus habebatur. Dicebant enim apud se: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? Et si viderint, non multi vident: et si multi viderint, pro tempore vident. Transit enim tempus, et transit cum tempore benefacti memoria. Nonne ergo melius aedificia facimus, quae omnes aspiciunt, non solum hoc tempore, sed etiam in posterum? Nam quamdiu aedificium permanet, tamdiu aedificantis memoria nominatur. O insipiens homo, quid tibi prodest post mortem ista memoria, si ubi es, torqueris: et ubi non es, laudaris? Ergo dum Judaeos castigat Dominus, Christianos docet: quoniam si juxta alia bona, aedificia sancta fecit homo, additamentum est bonis: si autem sine aliis bonis operibus, passio est gloriae saecularis. *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta*

Commented [p271]: Col.886

justorum. Qui considerat consequentia tunc Pharisaeorum, et modo intelliget: quia haec non solum illis dixit Pharisaeis, sed et omnibus postmodum nascituris. Nam etsi ad illos solos dixisset haec, dicta fuissent tantum, et non etiam scripta. Nunc autem et dicta sunt, et scripta. Dicta videlicet propter illos, scripta autem propter istos. Nam etsi patres Judaeorum mortui sunt, tamen filii eorum vivunt, qui prophetas quidem et martyres colunt, filios autem prophetarum et martyrum persequuntur, mortuorum sanctorum cultores, et vivorum persequutores. [Si vero Trinitatem ejusdem substantiae confitentes, martyres passi sunt: quare eos quasi sanctos colunt, qui unum Ingenitum, et unum Unigenitum, et unum Spiritum sanctum crediderunt? Si autem martyres colunt, quasi qui veram confessi sunt fidem: quare persequuntur eos, qui fidem eorumdem prophetarum et martyrum confitentur? Pharisaei ergo haeretici sunt, qui a vera fide praecisi sunt.] Pharisaei enim praecise intelliguntur ipsi, qui sepulcra aedificant prophetarum, et martyrum nomina colunt, et praecepta blasphemant: memoriam honorant, et fidem contemnunt. 30. *Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum.* Semper Judaei praeteritorum sanctorum cultores fuerunt, et praesentium contemptores, magis autem et persequutores, et inimici viventium, et amici mortuorum. Non enim sustinentes increpationes prophetarum suorum, persequebantur eos et occidebant. Nam volentibus male vivere, semper contraria videtur esse correptio, dicente Salomone: *Argue sapientem, et amabit te: insipientem vero, et odiet te* (*Prov*. 9. 8). Postea autem nascentes filii intelligebant culpas patrum suorum, et ideo quasi de morte innocentium prophetarum dolentes, aedificabant monumenta eorum, et ipsi tamen similiter persequebantur, et interficiebant suos prophetas, increpantes eos propter peccata. Nam alter alterius culpam cito intelligit, suam autem difficile: quia homo in causa alterius tranquillum cor habet, in sua autem turbatum. Perturbatio autem cordis non permittit, hominem considerare quod bonum est. Sic ergo per singulas generationes Judaei colebant illos quasi sanctos, quos patres eorum quasi malos occiderant. Hoc autem fiebat, non ut unaquaeque generatio suam innocentiam ostenderet, sed ut invicem se domestico filiorum judicio condemnarent. Quis enim existimare potest innocentes, qui a filiis suis quasi rei damnantur? Sic et Judaei qui fuerunt in tempore Christi, prophetas quidem colebant, et Dominum persequebantur: servos honorabant, et Dominum contemnebant. Naturalem consuetudinem omnium malorum hominum Christus exponit. Nam Judaei corripiuntur a Judaeis: sed pene in omnibus hominibus malum hoc invenitur, ut alios quidem culpent errantes, et ipsi in eosdem currant errores. Ecce si tu audias aliquem de antiquis episcopis loqui, quia ille (nescio quis sit) peccantem populum libere increpabat: sic personas divitum non aspiciebat, sed unicuique verum dicebat: statim collaudas eum, et beatificas, et dicis, quia talis debet esse in populo doctor. Et si audias, quia aliquis exstitit increpatus, et fecit illi injuriam, vituperas et dicis: Quare illum non sustinuit increpantem? Ego si essem, et me aliquis pro mea culpa corriperet, non solum non irascerer, sed magis gauderem. Sicut enim familia sine flagello non regitur, sic et populus sine increpationibus non gubernatur. Ecce si quis de tuis doctoribus voluerit te increpare propter peccatum tuum, et dicere tibi quod verum est, statim irasceris, et blasphemas: sic et Judaei suos quidem prophetas non sustinebant, antiquos autem quasi sanctos colebant. Non ergo ille est bonus, qui quod malum est reprehendere potest, et bonum laudare: sed qui reprehensus in malo, bono animo suscipit reprehensionem. In alterius causa facile possumus omnes justi judices esse: ille autem vere bonus, et justus, et sapiens est, qui sibi ipsi judex fieri potest. Cum

Commented [p272]: Col.887

audieris aliquem beatificantem antiquos doctores, proba illum qualis est circa suos doctores. Si enim illos sustinet, et honorat cum quibus vivit, sine dubio et illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, vere et illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset. Nam omnis correctio similis est caeteris tentationibus. Sicut ergo omnis tentatio fideles quidem aedificat magis, infideles autem destruit amplius: sic et omnis increpatio disciplinae religiosum hominem, et Deum timentem, meliorem facit: irreligiosum autem et malum conturbat, et ad deterius ire compellit. Sicut ergo vas figuli igne probatur, sic et bonum cor increpatione cognoscitur. *Et dicitis: Si in diebus patrum nostrorum fuissemus, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum.* Non quia Judaei specialiter omnino talia loquebantur, sed quia talia cogitabant et faciebant, cogitationibus suis haec loquebantur et factis. Quando enim colebant filii quos patres occiderant, condemnare videbantur homicidia patrum suorum, et se ab illorum consortio separare. Sic et haeretici quando colunt prophetas, et apostolos, et martyres, qui a patribus eorum, id est a Judaeis, vel a gentilibus persequutionem passi sunt, et occisi, condemnare videntur acta patrum suorum, id est Judaeorum atque gentilium: et dicere, quia Si fuissemus in diebus illorum, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum, apostolorum, et martyrum. 31. *Itaque testimonium redditis vobis, quia filii estis illorum qui occiderunt prophetas.* Naturae regula dicit, quia non potest fieri, ut de bonis parentibus mali nascantur: aut de malis boni: sed quales fuerunt parentes, tales erunt et nati. Quia sicut arbor in fructu cognoscitur, et fructus per arborem demonstratur: sic parentes cognoscuntur in filiis, et filii per parentes. Nonne hoc ante Christum propheta praedixit, *Quoniam Deus in generatione justa est* (*Psal*. 13. 6)? Item, *Generatio rectorum benedicetur* (*Psal*. 111. 2). Ergo dant testimonia de filiis mores parentum. Quod si pater fuerit bonus, et mater mala: aut si mater fuerit bona, et pater malus: interdum filii patrem sequuntur, interdum matrem; interdum omnes filii patrem, interdum omnes matrem: tamen frequentius est, ut nati patrem sequantur. Si autem ambo fuerint aequales, aliquando fit, ut de bonis parentibus mali exeant fili, aut de malis boni, sed raro. Ecce enim regula est humanae naturae, ut omnis homo nascatur duos oculos habens, et quinos digitos: aliquando tamen, *Ut manifestentur opera Dei* (*Joan*. 9. 3), nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omnino non habens: sicut in Evangelio scriptum est. Sicut ergo extra regulam naturae raro evenit, ut deformis nascatur: sic et homo extra regulam naturae raro procedit, ut dissimilis nascatur filius parentibus suis.

Commented [p273]: Col.888

Uxor qualis ducenda. – Tu itaque, juvenis, quando uxorem ducere vis, si virgo, aut si puella nuptui tradatur, noli quaerere divitem, sed bene morigeratam: quia mores boni divitas frequenter acquirunt, divitiae autem mores numquam fecerunt: et gloriosior est paupertas fidelium, quam divitiae peccatorum. Noli quaerere speciem, quia scriptum est: *Sicut inaures aureae in naribus porci, ita mulieris male morigeratae species* (*Prov*. 11. 22): quia in specie meretrices placent, in moribus autem matronae. Cum autem requiris, aut necessarium habes, matronae mores discere, considera quales habet parentes, et sine labore cognosces de illa. Si ergo ambo fuerint boni, fiducialiter pone pedem tuum in domo illius: si autem ambo fuerint mali, fuge familiam illam. Crede enim testimonio Christi, quod verum est, et non mentitur. Si autem dissimiles fuerint parentes illius, dubium inde habes eventum, quomodo nauta, qui in mare tradit animam suam, nesciens utrum pereat aut evadat. Aut ita: Non quia aut de justis parentibus justi nascantur, aut de iniquis iniqui, secundum ea quae diximus: sed si de parentibus justis justi nascantur, per hoc ipsum quod similes sunt parentibus suis, sibi ipsis testimonium perhibent, quia sunt

filii eorum: si autem de justis iniqui nascantur, per hoc ipsum quod dissimiles sunt parentibus suis, perhibent testimonium sibi, quia non sunt filii eorum. Et econtra, si de iniquis parentibus iniqui nascantur, sicut homicidae Judaei de homicidis Judaeis, de quibus praesens loquitur sermo, per hoc ipsum quod similes sunt parentibus suis iniquis, sibi ipsis testimonium perhibent, quia filii sunt eorum. Si autem de iniquis nascantur justi, ipsi sibi perhibent testimonium, per hoc quod dissimiles sunt parentibus suis, quia non sunt filii eorum. Secundum hoc ergo et haeretici ipsi sibi testimonium dant, quoniam filii sunt Judaeorum atque gentilium, qui persequuti sunt prophetas, et apostolos, et martyres. Quomodo? Eadem ipsa opera facientes in Christianos, quae fecerunt Judaei atque gentiles in prophetas, et apostolos, et martyres. Numquid prophetae, aut apostoli, et martyres, persequentium volebant aliquid fieri suum? numquid terroribus carnalibus, aut promissionibus mundialibus aliquem credere suadebant? Nec enim est fides, quae ex necessitate timoris procedit, aut desiderio muneris alicujus terreni: sed bene docentes, et melius viventes, ut et verbis docerent et factis. Et non minas proponebant carnales, sed futurum Dei judicium exponebant: non mundialia bona, sed regna caelestia hominibus promittebant. Si haec faciunt haeretici, vere filii sunt prophetarum, et apostolorum et martyrum, qui ita fecerunt: si autem alios persequuntur, alios terrent, aliis promittunt, aliorum bona diripiunt, aliis autem donant, sine dubio ipsi de se testimonium dant, quia ipsi filii non sunt prophetarum, et apostolorum, et martyrum. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*. Prophetat illis futurum, ut quemadmodum patres eorum interfecerunt prophetas, sic et ipsi interficiant Christum, et apostolos, et martyres, caeterosque sanctos. Non jubet illis ut faciant quae facturi non erant, nisi jussisset: sed ostendit eis, quia sciebat quod essent facturi. Utputa, si contra aliquem litiges adversarium, et scis quod aliquid cogitat adversus te, dicis illi: Fac mihi quod facturus es. Non jubes illi ut faciat, sed ostendis te intelligere quod cogitat facere. Sic et Dominus ad Judam dicebat: *Quod facis, fac citius* (*Joan*. 13. 27). Et quam bene dixit, *Implete*: et non, Superimplete! Quantum ad veritatem, excesserunt mensuram patrum suorum. Illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt. Illi ministros, isti regem. Sed quia voluntate sua descendit in mortem, non imputabat illis suae mortis peccatum: sicut et in cruce petebat pro illis: *Pater, remitte eis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc*. 23. 34). Imputat autem illis apostolorum mortem, caeterorumque sanctorum, qui nolentes occisi sunt. Ideo dicit, *Implete*: et non, Superimplete. Nam benigni et justi judicis est, suas injurias comtemnere, et aliorum injurias vindicare. Qui autem suas vindicat, quamvis juste vindicet, numquam tamen judex justus esse putatur. [Consequenter et haereticis dicitur hoc. Quando enim vides haereticos, tres per omnia aequales dicentes, ejusdem esse substantiae, ejusdem esse auctoritatis, sine principio omnes, hos aliqua parte distantes a se, non mireris: implent enim mensuram patrum suorum gentilium, quoniam et illi similiter multos deos colebant. Quando vides eos, tres unam personam dicentes, et ipsam esse Deum Patrem, ipsam Deum Filium, ipsam Deum Spiritum sanctum, non mireris: Judaeorum enim patrum suorum implent mensuram. Sic enim et illi semper unum Deum Patrem colebant, Filium non confitentes Deum post Patrem. Quando vides eos confitentes, ac dicentes, quia Filius de ipsa Patris substantia processit: sicut et omnis filius corporalis de corpore patris, et actum carnalem applicant spiritui impassibili et invisibili: cognosce quia mensuram implent patrum suorum gentilium: et illi enim tales deos colebant, qui secundum carnem et generabantur et generabant. Quando vides eos dicentes, purum hominem crucifixum et anima, et corpore, non Deum in corpore solum,

Commented [p274]: Col.889

in quo nulla esset divinitas: scito quoniam implent mensuram Judaeorum patrum suorum. Nam et illi hominem purum se crucifixisse credentes, dicebant ad apostolos: *Ecce enim implevistis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem istius hominis* (*Act*. 5. 28). Si enim homo purus est passus, dimitto: quia nos mors hominis, non Dei salvavit. Sed dico, Judaei tale peccatum fecerunt, quale facit qui hominem occidit, non Deum. Quando vides eos persequentes, et facientes omnia quae diximus, non mireris: implent enim mensuram Judaeorum et gentilium patrum suorum.] 33. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennae?* Sicut enim serpentes prae omnibus animalibus astutiores sunt, et astutia eorum non est in bono, sed in malo: hoc enim semper aspiciunt, quomodo aliquem mordeant; et cum momorderint, quomodo se occultent: sic et omnes hypocritae astutiores sunt caeteris hominibus, simpliciter viventes, et in astutia sua cogitant quomodo aliquem laedant: et cum laeserint, ita simpliciter ambulant, quasi neminem nocuerint. *Genimina viperarum.* Superius diximus de Judaeis, quoniam per singulas generationes invicem sua facta condemnabant, et semper patres reprehendebantur a filiis suis. Item filii reprehendebantur a patribus suis. Ideo ergo omnes viperae similavit: quoniam talis est viperarum natura, quando conceperint in utero matres, nati earum rumpunt uterum matris, et sic procedunt. Item ipsi nati, quando conceperint, sic patiuntur a suo foetu. Sic ergo viperae semper parentes comedunt, et comeduntur a pullis suis: sic et Judaei semper patres condemnant, et condemnantur a filiis suis. *Quomodo fugietis a judicio gehennae?* Numquid sepulcra sanctorum aedificantes, an potius a malitia corda vestra mundantes? Numquid sic judicat Deus, quomodo judicat homo? Homo hominem judicat in opere, Deus autem in corde. Quae est autem ista justitia, sanctos colere, et contemnere sanctitatem?

Pietatis gradus duo. Haeretici serpentibus comparati. – Primus gradus pietatis est, sanctitatem diligere; deinde sanctos: quia non sancti ante sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante sanctos. Sine causa ergo justos honorat, qui justitiam spernit. *Quomodo fugietis?* Numquid liberabunt vos sancti, quorum monumenta ornatis? Non possunt sancti amici esse illorum, quibus Deus est inimicus. Numquid potest esse pacata familia, domino adversante? *Quomodo fugietis?* An forsitan nomen vacuum vos liberabit, quia videmini esse populus Dei? Quid prodest meretrici, si nomen habeat castum? Sic nihil prodest peccatori, si servus Dei dicatur. Ne putetis, quia melior est Christianus impie agens, quam infidelis impius. Denique quis pejor est tibi, inimicus apertus, an qui se fingit amicum, et est inimicus? Puto quod melior est inimicus apertus, quam amicus falsus. Sic et apud Deum odibilior est qui servum Dei se dicit et mandata diaboli facit. *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennae?* Serpentes enim sunt et omnes haeretici, prudentes in malo, et stulti in bono. Et sicut serpentes varii sunt in corpore suo, sic haeretici varii sunt in erroribus suis, et multiplices in malignitate: qui deposuerunt imaginem Dei, quae est in justitia, et sanctitate veritatis: et suscipientes imaginem serpentis, quae est in malitia et schemate veritatis, facti sunt serpentes, filii serpentis illius, ad quem Dominus in persona Ecclesiae et diaboli dicit: *Ecce pono inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius. Super ventrem tuum et super pectus tuum repes, et terram manducabis omnibus diebus tuis* (*Gen*. 3. 14. 15). Propter quam sententiam Domini, inter haereticos et Christianos pax non potest esse. Si ergo filios Ecclesiae non persequuntur haeretici, neque adversantur, et ipsi filii sunt Ecclesiae: si autem persequuntur, semen sunt serpentis illius, cujus semen inimicitias exercet adversus semen Ecclesiae. Nam et isti, qui genimina sunt serpentis similiter sicut

Commented [p275]: Col.890

et illi super ventrem suum et super pectus repunt, et semper manducant terram. Super ventrem quidem et pectus repunt, quoniam quicquid faciunt, propter ventrem suum faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. Terram autem manducant, quoniam neminem lucrantur, aut capiunt in perfidia sua, nisi illos qui in terra sunt: id est, carnales homines. Spirituales autem viros seductio non consumit. Manducare enim est lucrari, vel acquirere, sive ad vitam, sive ad mortem. Non solum autem serpentes sunt, sed et viperae, quarum natura est, ut rumpentes viscera matrum nascantur: sic et auctores haeresum, rumpentes fidem matris Ecclesiae, processerunt ad principatum. *Quomodo fugietis a judicio gehennae?* Ecclesias aedificantes, non ecclesiasticae veritatis fidem tenentes: Scripturas legentes, non Scripturis credentes: prophetas, et apostolos, et martyres nominantes, non opera martyrum imitantes, nec confessionem eorum sequentes. Nec audistis eum qui dicit: *Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum caelorum, sed qui faciunt voluntatem Patris mei* (*Matth*. 7. 21)? Sicut enim non omnes qui Dominum vocant, Domini sunt, sed qui faciunt Domini voluntatem: sic non omnes qui in locis suis praedicant apostolos, et prophetas, et martyres, jam per hoc sunt cultores eorum: sed qui opera eorum imitantur, et fidem sequuntur.

Homilia xlvj. ex capite xxiv. (col.890-8)

34. *Ideo, ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex ipsis occidetis, et crucifigetis*, etc. Prophetas, et sapientes, et scribas apostolos dicit. Prophetae enim erant, quia prophetico spiritu erant repleti. Sapientes autem erant corde, sicut propheta dicit de eis: *Et eruditos corde in sapientia* (*Psal*. 89. 12). Scribae autem erant corde, quia de thesauris suis nova et vetera proferebant (*Matth*. 13. 52). Sed primum videamus, qua causa dicit: *Ideo, ecce ego mitto ad vos.* Superius dixerat, *Vae vobis, scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*: id est, Quoniam aedificatis sepulcra prophetarum, et per hoc non solum verbis, sed et ipsis aedificationibus dicitis, Si in diebus patrum nostrorum fuissemus, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum: volentes vos justificare coram hominibus, qui secundum visionem operum judicant, et non coram Deo, qui corda cognoscit: quod est hypocritarum. Ideo dixit Jesus turbis Judaeorum, et principibus sacerdotum: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex ipsis occidetis, et crucifigetis, et persequemini de civitate in civitatem*, ut mensuram homicidarum patrum vestrorum non bene plenam impleatis, pejora facientes patribus vestris: quoniam illi quidem prophetas occiderunt, vos autem ipsum Dominum prophetarum. Illi enim eos, qui annuntiabant venturum Filium Dei: vos autem eos qui eum jam advenisse testantur, ut sic per ipsa opera vestra homicidialia testimonium vobis reddatis, quia filii estis patrum homicidarum: ut non solum sanguis istorum sanctorum, verum etiam propter istorum sanguinem, omnis sanguis praecedentium sanctorum ventiat super vos. Nunc virtutem ipsorum verborum videamus. Ostendit eis, quia intelligit corda ipsorum, quia tales sunt, ut faciant quod fecerunt patres eorum. Nam apud Deum, qui hominem occidere disponit, antequam occidat, quasi homicida habetur. Et qui adulterium committere ausus est, antequam committat, jam adulter est ante Deum. Et qui perjurare paratus est, antequam perjuret, jam perjurus videtur: quia Deus non ex operibus judicat,

Commented [p276]: Col.891

sed ex cogitationibus cordis, dicente Apostolo, *Testimonium reddente conscientia eorum, etiam cogitationibus invicem accusantibus se, aut etiam defendentibus se, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum* (*Rom*. 2. 15. 16). Voluntas est enim quae aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis. Ut quid ergo exspectat opera, qui conscientias novit? Numquid et tu in aliquo negotio testimonia quaeris, cum tibi res ipsa fuerit manifesta? Sed dicis: Si secundum voluntatem judicat, et opera non exspectat, non misisset ad illos prophetas et sapientes. Ideo exspectat, ut duo bona fierent misericordiae, ut et Judaei secundum conscientias solas suas condemnarentur, et justi homines non occiderentur. Et quis scit, quia aut malus juste damnatus sit propter malitiam suam, aut bonus propter benevolentiam suam, juste remuneratus sit, nisi voluntas demonstraretur in opere? Quale est enim illud judicium justum, cujus justitiam nemo cognoscit? Non ergo Deus quaerit opera propter se, ut sciat quomodo judicet, sed propter alios, ut omnes intelligant quia justus est Deus. Nam Deus est, qui omnium corda cognoscit, et hominum, et angelorum, et spirituum caeterorum. Cor autem Dei nemo cognoscit, neque homines neque angeli. Ideo ergo et malis dat occasionem, per quam in operibus ostendatur propositum voluntatis suae malae: sicut dedit scribis et Pharisaeis, mittens ad eos prophetas, et sapientes, et scribas: et bonis praebet occasionem, per quam ostendant propositum voluntatis suae bonae, sicut prophetis, et sapientibus, et scribis suis praebuit, excitans super eos persequutionem scribarum et Pharisaeorum, ut non sine causa quantum ad homines coronarentur. Et sicut homo habens benefaciendi propositum, certe justum est, ut Deus provideat ei occasiones, per quas faciat bona. Ut quid pinguis terra jaceat sine fructu? Sic justum est, ut homini malam voluntatem habenti provideat causas, per quas faciat mala, dicente Salomone: *Ad pravos pravas vias mittit Dominus.* Unde David rogat, dicens: *Viam iniquitatis amove a me, legem tuam* (*Psal*. 118. 29), etc. Nam et de benevolis alibi propheta sic dicit: *Quia non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* (*Ibid*. 124. 3): id est, non dat potestatem daemonibus super justos, ne quando contra voluntatem suam malum facere compellantur ab illis. De malevolis autem statim sic dicit: *Declinanates autem ad suffocationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* (*Ibid*. *v.* 5): id est, qui declinatus est ad malefaciendum, sociat illum cum operantibus mala. Utputa, volenti tibi eleemosynas facere, occurrit ante faciem tuam captivus, aut desolata vidua, aut miserabilis orphanus: non tantum te misit ad utilitatem illius, quantum illum transmisit ad utilitatem tuam: id est, non tantum praestitit illi per te, quantum per illum tibi. Nam quod per te illi praestitit, temporale est, et terrenum: quod autem tibi praestitit per illum, perpetuum est, et caeleste. Ne putes quia propter utilitatem pauperum Deus divitem fecit, quos et sine divitibus poterat sustentare: sed propter utilitatem divitum pauperes fecit qui infructuosi et steriles erant futuri, nisi pauperes facti fuissent. Si ergo benefacere volentibus, quando providet causas benefaciendi, justus est Deus: sine dubio et quando malefacere paratis malefaciendi providet causas, non est injustus. Sicut enim bonus rogat, ne occasionem peccandi incurrat, dicens: *Viam iniquitatis amove a me* (*Psal*. 118. 29): sic et malus optat, ut inveniat occasionem nocendi. Ideo ergo dicit Dominus: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes et scribas, et ex ipsis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis,* 35. *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effunditur super terram.* Ergo Deus occasionem providet peccandi? Etiam, sed non ut peccare faciat, sed ut peccatorem ostendat. Ecce enim si tu vitiosum compares servum, et volueris mores suos scire, nonne pones ante

Commented [p277]: Col.892

illum sacculos cum solidis, aut aliquem concupiscibilem cibum: et si quidem servus ille incontinens fuerit, et sine timore, porrigat manum suam, et accipiat inde, numquid male fecisti? aut numquid tu coegisti illum ut faceret male? Non, sed propalasti malitiam ejus. Sic et Deus dans hominibus occasionem peccandi, si peccare voluerint, non illos facit peccare, sed manifestat pertinaciam cordis eorum. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.* Id est, non tantum super Judaeos, qui jam non sunt, sed super vos malos homicidas. Nam in tempore Abel Judaei quidem non fuerunt, mali autem fuerunt. Nam quantum ad homines, multae generationes sunt secundum diversitates terrarum: quantum autem ad Deum, duae generationes sunt. Utputa, per singulas generationes sanctis suis bona promittens Deus per prophetas, ad consolationem eorum Christum eis prophetavit venturum, utputa: *Constituam judices tuos sicut prius, tunc vocaberis civitas justitiae* (*Isai*. 1. 26), etc. Ergo promisit quidem, non autem praestitit: praestitit autem novissimis sanctis. Sicut et per singulas generationes peccantibus mala promittens, Deus ad terrorem eorum hunc eis prophetice minabatur interitum, quem Judaei sunt passi, utputa, *Terra vestra deserta* (*Isai*. 1. 7), etc. Ergo minatus est omnibus, non autem reddidit, sed reddidit generationi novissimae. Sicut ergo omnia bona, quae in singulis generationibus a constitutione mundi omnes sancti merebantur, illis novissime sunt donata, qui receperunt Christum: sic omnia mala, quae in singulis generationibus a constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, et sanctorum interfectores, super novissimos Judaeos venerunt, qui Christum repulerunt. Aut ita: Numquam ab initio mundi ante talis gratia Dei donata est hominibus, qualis in Christo: aut talis interitus venit super impios, qualis venit super Judaeos, Christo repulso. Exempla corporalia dico, quae passi sunt a Romanis. Quid enim melius esse potest, quam Deum in corpore venientem suscipere? aut quid pejus contingere potest, quam Deum cum tanta humilitate et misericordia venientem ad se non solum non suscipere, sed adhuc interficere, et tali modo interficere? Pone ergo Deum dicere ad illos, qui receperunt Christum: Ecce ego mitto ad vos Filium meum in corpore velatum, et discipulos ejus in nomine ipsius: et recipietis eos, et credetis in eum, ut veniat super vos omnis justitia, quae facta est ab Abel usque ad Zachariam. Nonne verum dicit? Vere enim, quantum ad magnitudinem gratiae, quae data est hominibus in Christo, non dicam omnem justitiam praecedentium sanctorum, quae ab initio venit super illos: sed puto, quod omnium sanctorum justitiae tantum mereri non potuerunt, quantum illis donatum est. Sic et super Judaeos, qui crucifixerunt Christum, et persequuti sunt discipulos ejus venientes ad se: quantum ad magnitudinem irae, quae effusa est super eos, non dicam quia omnium impiorum praecedentium peccata venerunt super illos, sed magis omnium impiorum peccata tantum mali non meruerunt, quantum venit super illos, ut talia paterentur, qualia passi sunt a Romanis: et sic postmodum omnes generationes eorum usque in finem saeculi projicerentur a Deo, et ludibrium fierent gentibus universis: sic et modo fit in omnes gentes et civitates. Vel ita: Omnis gens vel civitas, non cum peccaverint, statim punit eas Deus; sed exspectat per multas generationes, et modo mandat, modo minatur, interdum ex parte castigat: ut quanto magis diutius eos expectaverit, tanto amplius et Dei judicium justius sit, et illorum dignior poena. Quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam, aut gentem, videtur omnium generationum praecedentium peccata reddere illis: quoniam quae illae omnes generationes merebantur, haec sola passa est. Quid ergo? injustus est Deus, qui aliorum peccata vindicavit in istis? Absit. Sed quoniam

Commented [p278]: Col.893

quae illi merebantur, isti sunt passi, et soli passi sunt talia, cum non soli peccassent: propterea quae aliorum erant, dicuntur isti perpessi. Res enim ista moralis est, et sic omnes homines quotidie facimus. Ecce enim cum servi tui peccant, exspolias unum, et iterum parcis ei, dicens: Nisi observaveris, hoc passurus es: similiter facis et alteri. Non meliorantibus vero eis, si incurrerit unus, castigatur secundum suum peccatum, et videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus: quia quod aliis est promissum, illi est redditum. Revera autem non pro aliis castigatus est, sed pro se: quia secundum meritum culpae suae castigatus est. Ille enim pro aliis dicitur castigari, qui, aliis peccantibus, ipse castigatur non peccans: qui autem peccans castigatur, non pro aliis, sed pro se castigatur. Sic et generatio ista pro patribus quidem suis videtur punita, quia illi territi sunt, isti puniti: vere autem non pro aliis, sed pro se condemnati sunt: quia sic peccantes, juste damnati sunt. Haec eadem ad haereticos convenit dicere Christum: *Ideo, ecce ego mitto ad vos sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effunditur super terram.* Vere enim missi sunt sapientes adversus haereticos, scilicet patres vestros. Sapientes autem non literati, quorum sapientia non est in sensibus carnalibus posita, et in lingua acquisita per exercitationem carnalem, sed sapientes circa Dei timorem, sapientes circa Dei notitiam: sapientes animo, non corpore: corde, non ore: fide, non verbis; de quibus dicit propheta: *Dexteram tuam sic notam fac mihi, et eruditos corde in sapientia* (*Psal*. 89. 12). Misit scribas, id est, presbyteros, et diaconos, et fecerunt eis qualia fecerunt prophetis, et apostolis, et martyribus patres eorum. Quanta passi sunt ab haereticis patres nostri, nullus ignorat, recedente de medio testimonio scribarum. Ipse enim actus hominum per singulas generationes decurrens sufficit ad testimonium veritatis, qui sunt filii prophetarum, et apostolorum, et martyrum, persequutionem patientium semper, et qui sunt filii Judaeorum atque gentilium persequentium semper. Quid opus est verbis ad probationem generis vestri, cum res ipsa loquatur? Quod autem dicit: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariae*: non ita est intelligendum, ut omnium generationum praecedentium et persequentium merita generatio una persolvat. Nec enim justum est, ut alter pro alterius puniatur peccatis, sed cum in die judicii unaquaeque generatio punita pro peccatis suis fuerit, de hac una et ipsa generatione videbitur esse judicatum. Omnium enim iniquorum, et persequutorum, et homicidarum a Cain usque ad finem una generatio est: etsi non sint omnes in tempore uno, omnes tamen filii sunt persequutoris et homicidae illius Cain. Ideo et alibi dicit: *Amen dico vobis, non transibit generatio haec, donec omnia fiant* (*Matth*. 24. 34): id est, donec impleatur omne mysterium vocationis sanctorum. Utputa Cain fuit persequutor Abel, et mortuus est: facti sunt gigantes persequentes filios Seth. Ecce Cain transiit, sed generatio ipsa stetit. Perierunt gigantes in diluvio, sed nati sunt ex Cham Chananaei, et caeterae gentes persequentes filios Sem. Gigantes transierunt, sed generatio ista stetit. Secundum animam enim Chananaei de generatione erant eorum iniquorum, qui fuerunt ante diluvium. Interempti sunt Chananaei ex parte a filiis Israel, sicut legimus, et ex eis facti sunt alienigenae, qui persequerentur Judaeos. Ecce et illi transierunt, sed generatio eorum stetit. Postmodum conversae sunt gentes quaedam ad Christum, surrexerunt perfidi Judaei post Christum adversus Christianos, ipsa vice habentes ipsam generationem quantum ad animam, quam habuerunt gentes illae, quae prius persequebantur Judaeos. Deinde gentiles quidem crediderunt omnes, Judaei autem defecerunt, qui persequebantur Ecclesiam: et ex ipsa

Commented [p279]: Col.894

Ecclesia surrexerunt haeretici, qui persequebantur Ecclesiam, sed generatio ipsa stetit. Ecce Judaei et gentes persequutores transierunt, sed generatio ipsa stat. Nam de generatione impiorum Judaeorum et gentilium sunt haeretici isti. Ideo et mores et perfidiam sequuntur eorum, sicut diximus supra. Postmodum autem et haeretici transituri sunt, ut non sint secundum quod modo esse videntur, et futuri sunt gentiles et populi Antichristi, et transeuntibus istis, generatio justorum stabit in illis. De generatione enim justorum erant etiam illi qui fuerunt, et impletur quod dictum est: *Non transibit generatio ista, donec omnia fiant.* 37. *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te mittuntur.* Omnia futura ante prospiciens Dominus, praevidit etiam ruinam civitatis Jerusalem, et plagam, quae a Romanis ventura erat super populum illum: ideo extollens lamentum lugebat eam dicens, *Jerusalem, Jerusalem.* Recordabatur quidem sanguinem sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, et qui adhuc postmodum fuerat effundendus. Sed non tamen dolebat de injuria sanctorum suorum, sciens qualem illis gloriam praeparaverat pro morte temporali: sed de illorum interitu flebat, quibus et in isto saeculo mala ventura fuerant, et in illo pejora. Sicut enim benefacientes, non Deo praestamus, sed nobis: Deus autem gaudet, non de suo lucro, sed de nostra salute: sic non peccantes non Deo nocemus, sed nobis: Deus autem tristatur, non de sua injuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus, audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat adversus eos, tamen misericordia instigante lacrymas fundit super illos, et vult eos adjuvare, et non potest, contradicente sibi justitia: quoniam misericordia tunc vera est misericordia, si sic facta fuerit, ut justitia per eam non contemnatur: si autem contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas: nam justitia non est vera justitia, nisi habuerit in se et misericordiam: sic et misericordia non est vera misericordia, nisi habuerit in se justitiam; injuste agentibus ac malefactoribus misericordiam exhibere, nec eos punire, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas: sic et Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Judaeos, dicens: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et ex ipsis occidetis, ut veniat super vos omnis sanguis justus*. Ecce ipse eos miserabili lamentatione plangebat dicens: *Jerusalem, Jerusalem*. Nam Deus invitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit salvare. Nam quemadmodum in nobis contra naturam est bene facere, sic et Deo contra naturam est male facere, aut perdere. Sed dicet aliquis: Cum in potestate habeat Deus perdere et salvare, quis eum invitum compellit condemnare, si non vult? Tu, qui non desideras misericordiam Dei. Nam sicut qui desideranti misericordiam Dei denegat, crudelis est: sic qui non desideranti misericordiam praestat, injustus est. Sed dicis: Quis est homo, qui non desiderat misericordiam Dei? Tu, qui permanes in peccatis. Desiderare autem misericordiam Dei, est converti ad eum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram ejus: qui autem non timet iram ejus, non desiderat misericordiam ejus, sed contemnit. *Jerusalem, Jerusalem,* quae usque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem ipsam superasti. Volo enim in te misereri, sed vires misericordiae faciendae non habeo, nec possunt te amplius jam sufferre. Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi jam lassata, a proposito suo defecit. *Quae occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te.* Misi ad te Isaiam, et serrasti eum: misi ad te Jeremiam, et lapidasti eum: misi Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum. Quomodo sanaberis, quae nullum ad te medicum venire permittis? quomodo curabo infirmitatem

Commented [p280]: Col.895

tuam, quae omnem medicinam conculcas? Sanctis meis non peperci, ut tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne tuam mortem viderem. Omnes medici spirituales in te defecerunt, et tu curata non es. Insanabilis est passio tua; vicit enim artem divinam. Si de morte tua gavisus fuissem, numquam ad te misissem prophetas. Si te perdere voluissem, numquam ad te ego ipse venissem. Ego tibi quid faciam, si tu ipsa vivere non vis? *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos, et noluisti?* Cum te in Aegypto quasi sanguinarius accipiter persequebatur Pharao, misi super te Mosem et Aaron (*Exod*. 4. et 5); quasi duas mollissimas pennas misericordiae meae, et liberatos vos de unguibus ejus rapui in desertum, et noluistis sequi me, facientes vobis vitulum in Horeb, ut serviretis potius idolo mortuo, quam Deo viventi (*Ibid*. 32). *Quotiens volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos, et noluisti?* Percurre, si vis, Judicum librum, quotiens peccaverunt et tradidit illos Deus, et iterum liberavit? Gallinam, Ecclesiae ponit similitudinem. Sicut enim pulli gallinarum pastum suum quaerentes, per diversa vagantur, et maternis vocibus congregantur ad ipsam, et iterum similiter pascentes disperguntur, et iterum maternis vocibus congregantur: sic et populus Dei; carnalem voluptatem et mundialem concupiscentiam sequentes, per diversos vagantur errores, quos Ecclesia mater per sacerdotes, modo increpationibus, modo blandimentis, quasi quibusdam vocibus congregare et allectare festinat. Et quemadmodum gallina habens pullos, vocando illos non cessat, ut assidua voce vagositatem corrigat pullorum suorum: sic et sacerdotes in doctrina cessare non debent, ut studio et assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendent. Et quemadmodum gallina habens pullos, non solum suos calefacit, sed etiam cujuscumque volatilis filios exclusos a se diligit quasi suos: ita et Ecclesia non solum suos Christianos studet vocare, sed sive gentiles, sive Judaei, si supposititi illi fuerint, omnes fidei suae calore vivificat, et in baptismo generat, et in sermone nutrit, et materna diligit caritate. Ut autem haereticis haec eadem coaptemus, Jerusalem hic semper Ecclesiam intellige, quae dicitur civitas pacis, cujus fundamenta posita sunt super montes Scripturarum. Sicut ergo illi Judaei, qui fuerant Jerusalem spiritualis, ingressi crediderunt in Christum, illi autem, qui erant Jerusalem corporalis, manentes in corporali Judaismo, persequebantur spirituales Judaeos, id est, apostolos, caeterosque ex circumcisione credentes: sic et de ista nova Jerusalem, id est, de Ecclesia, qui spirituales Christiani fuerunt, relicta corporali Ecclesia, quam perfidi occupaverant violentia, exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt a nobis, sicut Joannes exponit (1. *Joan.* 2. 19).

Commented [p281]: Col.896

Exire de Ecclesia quis dicatur. – Non enim ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis ecclesiasticae fundamenta relinquit. Nos enim ab illis exivimus corpore, illi autem a nobis animo. Nos ab illis exivimus loco, illi a nobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta Scripturarum. Nos ab illis egressi sumus secundum aspectum hominum, illi autem a nobis secundum judicium Dei. Ideo et illi corporales Christiani persequuntur nostros spirituales, specie colorata, varietate fundata. Propterea quae superius Dominus commemoraverat, ad illam Jerusalem corporalem dicta esse videntur: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te mittuntur*. Non dixit, Quae occidisti et lapidasti: sed, *Quae occidis et lapidas*: id est, Quae hoc proprium, et quasi naturalem consuetudinem habes, ut occidas et lapides sanctos. Non enim occidit aut lapidavit sanctos ante Christum, et cessavit facere post Christum quae fecit aliquando prophetis, sed eadem ipsa facit apostolis, quae fecit aliquando prophetis. Sic et

haereticorum Ecclesia non solum persequuta est patres nostros, et persequi jam cessavit: sed eadem filii eorum faciunt nobis, quae patribus nostris fecerunt patres eorum. Mittuntur enim ad illos viri fideles, quotienscumque inter illos et fideles certamen fidei commovetur, non ex ebrietate vini, sicut fieri solet frequenter, sed ex aliqua causa religionis. Mittuntur ad illos, sicut mittebantur prophetae et apostoli ad Judaeos, non ad salutem eorum; insanabiles enim sunt: sed ad praejudicium ipsorum, ut sine excusatione ignorantiae judicentur. Item aliter. Haeretici prophetas, et apostolos, et martyres occidunt, qui modo sunt apud nos: sine dubio occidunt in verbis suis, et actibus. Quotiens enim leguntur in Ecclesiis nostris verba et acta prophetarum et apostolorum, prophetae et apostoli missi nihilominus loquuntur ad nos, quos omnes missos ad se haeretici dum legunt et male interpretantur, occidunt et lapidant eos. Ut autem manifeste cognoscas, quomodo prophetae et apostoli ab haereticis occiduntur et lapidantur: primum intellige, quomodo nascitur Christus in nobis, et quomodo occiditur. Quando enim credimus in Christum, Christum generamus et formamus in nobis, sicut dicebat Apostolus Galatis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal*. 4. 19). Consequenter et quando perdimus fidem Christi, Christum occidimus in nobis, sicut et prophetae apud haereticos occiduntur. Quando enim fidem et veritatem verborum eorum prava interpretatione subvertunt, prophetas et apostolos occidunt in se. Ipsius enim verbi quasi sanguis veritas est, quae vivificat verbum. Omne enim verbum, quod non habet in se veritatem Dei, mortuum est, quemadmodum sine sanguine corpus. Propterea omnia verba divina, quamvis rustica sint et incomposita, viva sunt: quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem Dei, quasi sanguinem in venis inclusum, et ideo vivificant audientem, sicut testatur Petrus ad Christum, dicens: *Quo ibimus? verba viva habes* (*Joan*. 6. 69). Omnia autem verba saecularia, quoniam non habent in se virtutem Dei, et quamvis sint composita et ingeniosa, mortua sunt, quoniam in venis sensuum suorum non habent virtutem Dei: propterea nec audientem salvant. Secundum haec jam intelligis, quomodo haeretici occidunt et lapidant prophetas et apostolos missos ad se. Quotiens enim veritatem verborum eorum gladio maligni spiritus et verbi perversi corrumpunt, occidunt prophetas et apostolos, et sanguinem verborum eorum, id est, veritatem effundunt in terram: totiens aliud intelligentes in verbis prophetarum et apostolorum, et aliud proloquuntur in populo, blasphemias suas quasi lapides quosdam jactant super apostolos et prophetas. *Quotiens volui congregare filios tuos*, etc. Quotienscumque enim, sicut diximus, inter haereticos et fideles fidei movetur certamen, evidenter vult illos Dominus congregare sub veritate alarum suarum, id est, duorum Testamentorum, quotienscumque leguntur apud eos verba prophetarum et apostolorum: illi autem non quasi domestici pulli gallinae, quae est Ecclesia, sed quasi silvestres pulli sanguinarii vulturis, aut accipitris, non solum ad veritatem duorum Testamentorum venire non acquiescunt, sed adhuc irruunt super ipsam gallinam, id est, Ecclesiam, et diripiunt et dispergunt pullos ejus, et evellicant eam: totiens vult eos congregare, illi autem nolunt. 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; id est, ecce nunc, tempore instanti. Cum ego fuero crucifixus, scindetur velum templi, et secreta mysteria sanctitatis ejus publicabuntur, et recedet ab eo Spiritus Dei. Et sicut corpus anima recedente prius quidem frigescit, deinde putrescit et solvitur: sic et templum vestrum, Dei Spiritu recedente ab eo, prius quidem seditionibus, et indisciplinationibus replebitur tyrannicis, quasi Deo jam illud non gubernante; deinde veniet ad ruinam. Sicut enim ante mortem hominis, insanabilis praecedit infirmitas: sic et ante ruinam aut hominis, aut loci alicujus,

Commented [p282]: Col.897

aut civitatis, inemendabilia praecedunt peccata. Sicut enim pulli frequenter a matre vocati, cum non obaudierint, neque sequuti fuerint matrem, matre longius abeunte, aut venit accipiter, et diripit eos, aut longius evagantur, ut pereant: sic et Domino frequenter Judaeos vocante, quoniam non obaudierunt, neque sequuti sunt eum, recedente illo ab eis, ad gentes venit quasi accipiter rex Romanus, et partem quidem eorum comedit fames et gladius, alii autem per singulas provincias dispersi sunt, ut perirent. 39. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Praecessores nostri exponunt, circa ipsum diem judicii et resurrectionis quosdam Judaeorum credituros in Christum. Quod et Apostolus significare videtur, dicens: *Ex parte caecitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom*. 11. 25. 26). Et sequens lectio illa tota hoc dicere velle videtur. Si quis autem mysterium hoc per illos putat impletum, qui in Actibus apostolorum leguntur, Petro praedicante aut aliis apostolis crediderunt: intelligat propter tres causas non esse verum quod dicit. Primum, quia tunc pars modica secundum electionem credidit, non totus Israel. Secundo, quod illi ante gentes crediderunt, non post gentes. Plenitudo autem gentium tunc adhuc non introierat, sed inchoaverat hoc. Tertio, quia quando haec futura praedicebat Apostolus, gentes jam crediderant, et Judaei qui fuerant credituri: et tamen Apostolus adhuc credituros significat Judaeos, dicens ad gentes: *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consequuti estis propter illorum incredulitatem: ita et illi nunc non crediderunt in vestra miseratione, ut et ipsi misericordiam consequantur: conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnibus misereatur* (*Ibid. v.* 30-32). Dicens ergo, *Amodo non me videbitis, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*: hoc dicere vult, Donec veniat tempus, in quo credentes dicatis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Spiritualiter enim videre Christum est ipsum in fide cognoscere. Sicut autem ad illam Jerusalem dictum est, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: scilicet cum occideritis Filium Dei apud vos, cum de illo templo corporali templum exierit spirituale, quod fuerunt sancti, qui ex circumcisione crediderunt in Christum: sic et ad Ecclesiam omnium haeresum dictum esse videtur, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, ex quo Filium Dei occidistis, id est, Ex quo vivum verbum veritatis illius, mendacis verbi gladio, veritate effusa, mortuum fecistis: sicut superius diximus, spiritualiter prophetas suscipi aut occidi. Qui enim credunt secundum veritatem verbis prophetarum, suscipiunt prophetas: qui autem corrumpunt veritatem ipsorum, occidunt verba eorum, et eos ipsos in verbis ipsorum. Sic et Christus aut suscipitur, aut occiditur apud nos. Si enim credimus verbis ejus, suscipimus eum, et generamus in nobis: si autem non credimus, et adhuc veritatem verborum ejus corrumpimus, repellimus eum, et occidimus apud nos. Unde fit, ut quotidie Christus apud fideles quidem suscipiatur, atque nascatur, apud haereticos autem repellatur.

Haereticorum ecclesia derelicta a Deo et omnibus sanctis. – Relicta est autem et deserta, ex quo de illa corporali Ecclesia spiritualis exivit: id est, de populo suo, qui videbatur Christianus, et non erat, populus iste exivit, qui non videbatur, et erat: et magis autem, secundum quod diximus, illi a nobis exierunt, quam nos ab illis. Sicut autem membrum a corpore praecisum vivere non potest, neque ramus arboris viridis esse: sic et omnes haeretici praecisi a corpore unius Ecclesiae, nec vitam Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiae spiritualis, sed est Ecclesia eorum deserta: non ab hominibus; abundat enim perversis hominibus, quomodo semper malorum major est

Commented [p283]: Col.898

copia quam bonorum: sed deserta est a sanctis deserta a sanctitate, a fide, a veritate, a gratia, a spiritu; deserta denique ab ipso Deo, et a bonis omnibus quae sunt Dei. Sicut enim homo, qui Dei non est, mortuus dicitur esse, quamvis vivat: quia non Deo, sed diabolo vivit: sic omnis Ecclesia quamvis abundet hominibus, tamen si ab illis bonis quae dicta sunt defuerit, deserta est: quia non Deo, sed diabolo plena est. Dico enim vobis: *Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Vere enim ex tempore perditionis suae haeretici numquam Christum viderunt. Vident enim eum fide, non oculis, qui secundum veritatem ejus credunt in eum: qui autem non credunt, caeci sunt corde, non corpore: non necessitate, sed voluntate. Cognituri sunt autem eum in die judicii nolentes, quando videbunt eum in majestate Patris, quando videbunt eum etiam omnes iniqui, et Dominum cum confitebuntur nolentes: *Domine, Domine, nos in nomine tuo daemonia ejecimus* (*Matth*. 7. 22), etc.; sed nihil illis proderit tarda confessio. Tunc et isti dicturi sunt Christo: *Nos in nomine tuo docuimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus.* Dicet autem ad eos: Numquid in virtute mea? numquid in spiritu meo? In nomine enim meo aliquid agere, seductorum est: sed in virtute mea, et in spiritu meo, sanctorum. Discedite a me, nescio qui estis. Sicut enim vos cognoscentes me, cognoscere noluistis, non propter difficultates veritatis meae, sed propter iniquitates malitiae vestrae: sic et ego cognoscens vos, nolo cognoscere, non propter extraneas personas vestras, sed propter odibiles malitias vestras.

Homilia xlvij. ex capite xxiv. (col.898-900)

1. *Egressus Jesus de templo, ibat: et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei aedificationes templi.* Superius ingressus est Dominus templum, quaerens sanctitatem templi: sed cum in templo nihil inveniret proprium templi, egressus de templo ibat: quia aedificium quidem stabat, quod erexerunt homines, sanctitas vero ceciderat, quam constituerat Deus. Nam templum hominum est aedificatio lapidum pulchre composita: templum autem Dei est congregatio electorum religiose conversantium. Ibat de templo foras, id est, de Judaeis ad gentes. Ibat non solum corpore, sed voluntate recedens in spiritualibus. Ecce si pars aliqua domus fuerit decisa, cum labore tamen possibile est ut reparetur: si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciat paterfamilias, nisi forte in aliquo loco nova faciat fundamenta, et lapides de priori domo transvectans, aliam sibi aedificet domum? Sic et in spiritualibus, si quidem populares peccaverint, per poenitentiam corriguntur: si autem sacerdotium ipsum fuerit dissipatum, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? Hac ratione gentem Judaeam relinquens, in alio loco, id est, in medio gentium universarum, nova posuit fundamenta, id est, apostolos suos, et omnes bonos transferens, qui fuerint ex Judaeis, dicente propheta: *Convertantur ad me, qui timent te* (*Psal*. 118. 79). Novam sibi fecit Ecclesiam, et admonuit illam, ut sicut mutavit locum, mutet et mores, dicens per prophetam: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal*. 44. 11. 12). Ibat enim, numquam ad illud templum iterum reversurus: jam enim maledixerat ei, dicens: *Numquam ex te fructus nascatur* (*Matth*. 21. 19). Haec enim synagoga erat illa ficulnea, ornata foliis, et fructibus vacua: quae arbor videbatur, non autem erat nisi figuralis, sed erat synagoga realis: sicut et Judaea, quae verba sanctitatis

Commented [p284]: Col.899

portabat, et opera pietatis non habebat; quae videbatur populus Dei, non autem erat, ad quam venit Christus esuriens.

Christus esuriens quomodo satiatur. – Christus enim, si esurit, quomodo satiatur? Satiatur in fide hominum, esurit autem in infidelitate eorum. Et desuper Samaritanum puteum gaudens sedebat, quoniam fides Samaritanorum offerenda ei fuerat (*Joan.* 4. 6) tamquam optimus cibus. Hic autem in templo nullam escam humanae sanctitatis inveniens, egressus de templo, tristiter ibat. Et vere merito tristabatur, et erat quod irasceretur. Apud Samaritanos in peregre satiatus est, apud Judaeos in domo propria mansit jejunus. Nam ibat. Per hoc quod hic dicitur, *Ibat,* hoc significat, quasi offensus ibat. Alioqui sufficeret dicere, Cum egressus fuisset de templo, accesserunt ad eum. Quemadmodum homo, si vadat alicubi, existimans invenire responsum, si non invenerit, confusus egreditur, quasi qui perdidit aliquid, quia quod sperabat non invenit. Ideo et apostolis quasi dolore repletus, respondit: 2. *Amen dico vobis, non stabit hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Non potest pacifica loqui, qui cor habet turbatum. *Et accesserunt ad cum discipuli ejus, ut ostenderent ei structuram templi.* Adhuc apostoli carnales constituti, spirituales oculos nondum bene apertos habebant, et ideo spiritualiter adhuc vivere non poterant. Ecce enim totum templum jacebat spiritualiter dissipatum, et illi quasi mirabilem compositionem templi Christo monstrabant, non intelligentes quia homo quidem in aedificatione parietum delectatur, Deus autem in conversatione sanctorum, dicente propheta: *Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae* (*Psal.* 25. 8). Quem decorem? Non quem diversitas splendentium marmorum facit, sed quem praestat varietas viventium gratiarum. Ille decor carnem delectat, iste vivificat animam: ille pro tempore decipit oculos et deludit, iste autem in perpetuum aedificat intellectum. *Jesus autem respondens eis, ait: Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Apostoli unam rem ostendere voluerunt, et ipsam inutilem: Christus autem eis duarum rerum salutarium dedit vivam responsionem. Nam et de futuro eos admonet, quasi praescius Deus, et de praesenti eos docuit, quasi benignus magister. Illi aspiciunt illa quae in hoc saeculo viva servant: ipse autem monet de his quae in futuro saeculo aeterna perdurant. *Nam quae videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna* (2. *Cor.* 4. 18). Quid mirum, si haec sunt peritura, quae manus humana construxit? Sciamus etiam illa esse solvenda, quae manus divina creavit. *Quia initio tu terram fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt caeli: ipsi peribunt, tu autem permanes in aeternum* (*Psal.* 101. 26. 27). Quicquid enim videtur, carnis est mysterium: quicquid non videtur, animarum. Cum ergo caro transierit, necesse est ut et visibilia universa pertranseant: quia non est fas, ut cum rerum visibilium domina caro transierit, mysteria quasi dignitosiora remaneant. Si civitas aliqua regi suo terreno fuerit facta rebellis, nonne tollit ab ea jus civitati, et milites suos transmittit, ut fiat deserta, ut quae potestatem regis sui non cognovit in bono, cognoscat in malo, et ipsa desertio testificetur, quid ei profuerit antea propitiatio regis? Haec autem gens mihi Regi caelesti rebellis effecta est, legem meam corrupit, praecepta mea contempsit, ministros meos occidit, super meipsum jam impias manus erexit, et adhuc interficere me cogitat, nisi me defenderet immortalis natura. Ideo tollam ex ea pignora veritatis meae, id est, Spiritum sanctum. Tollam exercitum meum, id est, angelos qui custodiebant eam, ut non stet hic lapis super lapidem. Cum ergo salus ab ea recesserit, necesse est ut perditio dominetur.

Commented [p285]: Col.900

Homilia xlviij. ex capite xxiv. (col.900-6)

3. *Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando haec erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi?* Id est, Quando haec erunt, ut non stet in templo lapis super lapidem, sicut dicit? Et addunt interrogationibus suis et alterum, scilicet ut significet eis etiam saeculi finem, cujus Christus non fecerat mentionem. Sed illud primum interrogant ex se et propter se, hoc autem secundum ex nobis et propter nos. Nam neque nos templi illius diruptionem aspeximus, neque illi saeculi finem: ideo illis expediebat audire signa diruptionis illius, nobis autem expedit consummationis agnoscere signa. Omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat, ubi est mansio; mercenarius frequenter computat, quando annus completur; agricola semper tempus messis exspectat; negotiatior die ac nocte thecae suae discutit rationem; mulier praegnans semper de decimo mense cogitat: sic et servi Dei libenter de consummatione saeculi requirunt. Scriptum est enim: *Ubi erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* 6. 21). Ecce si solidorum aliquam quantitatem habeas in arca repositam, quotienscumque veniens de platea, domum tuam ingrederis, ante omnia illum locum oculi tui respiciunt, ubi solidos habes: sic et sancti illum locum respiciunt, ubi respositam habent coronam. Nam utile est tempus consummationis cognoscere: quia et homo in itinere constitutus, quanto magis appropinquaverit mansioni, tanto amplius incipit festinare. Nam in longa via etiam veloces homines pigriter ambulant: quando autem via fuerit breviata, etiam pigri velociter ambulant. Hac ratione et Paulus exhortans dicit: *Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus* (*Rom.* 13. 11): quia appropinquata spes excitat magnanimitatis virtutem. Ideo quanto magis laudabiles sunt sancti, qui ante Christum fuerunt, tanto nos vituperabiles, qui post Christum sumus, et adhuc de saeculo recedere nolumus. Illi quidem sciebant finem esse futurum; quando autem, nesciebant. Nos autem, Domino demonstrante, quotidie saeculum finiri videmus, et tamquam mali servi, jam albescit aurora, et adhuc dormimus. Nam peccatores homines numquam putant saeculi finem esse futurum. Et quid mirum, si quod audiunt non credunt: cum nec illud credunt, quod quotidie vident? Nam quotidie manibus suis efferunt mortuos, et mortales se esse non putant. 4. *Et respondens dixit eis: Videte ne quis vos seducat.* In primis hoc aestimo praetermitti non oportere, ut consideremus quid interrogant apostoli, et sic melius intelligemus quid Christus respondit. Interrogant enim haec duo apostoli, Quod signum erit destructionis Jerusalem, et, Quod signum consummationis mundi. In consummatione enim gentis Judaeae Jerusalem destructa est, quae tamen videbatur esse Jerusalem, non autem vera erat. In consummatione autem mundi Ecclesia aut desolata, aut desolanda est: adhuc tamen illa quae videbatur Ecclesia, non autem quae vera erat, aut est: Dominus autem non separatim dixit, quae signa pertineant ad destructionem Jerusalem, et quae ad consummationem mundi, videlicet ut eadem signa pertinere videantur et ad manifestationem destructionis Jerusalem, et ad manifestationem consummationis mundi: quia non quasi historiam per ordinem exposuit eis, quomodo res erant agendae, sed prophetico more praedixit eis quae res erant agendae. Prophetia autem semper per mysterium dicitur, et per mysterium intelligitur. Quid igitur? Haec signa de fame, de bellis, et de terraemotu, si ad plenum spiritualiter voluerimus intelligere, non possunt pertinere ad manifestationem

Commented [p286]: Col.901

destructionis Jerusalem: quia tunc spiritualiter gens contra gentem non surrexit; id est, haeresis contra haeresim. Nam tempore apostolorum tantummodo seminatae sunt haereses, tempore autem regis Christiani germinaverunt: nostris autem temporibus maturuerunt et praevaluerunt. Tunc enim fames non erat spiritualis, sed magna ubertas, de qua propheta dicebat: *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti ditare eam* (*Psal*. 64. 10). Item si voluerimus haec signa tantum corporaliter intelligere, non proficiunt ad manifestationem consummationis mundi. Nam et bella haec corporalia semper fuerunt, et semper erunt. Et fames, aut terraemotus carnales semper fuerunt. Non potest autem esse in signum alicujus rei futurae, quod semper fuit in usu: sed quod novum fit, illud dicitur signum. Sicut ergo fuit Jerusalem illa corporalis, quae jam expugnata est in figura: est autem altera Jerusalem spiritualis, scilicet Ecclesia Christi, quae in finem mundi etiam tentanda est, et adhuc tentatur: sic et signa illa quae Dominus dicit, et spiritualiter intelligenda sunt, et carnaliter: ut carnaliter intellecta, significent destructionem illius Jerusalem: spiritualiter autem intellecta, significent tentationem Ecclesiae in consummatione futura. Ergo ad utrumque tempus porrige mentem qui audis, et ad illud quod fuit antequam Jerusalem caperetur, et ad illud quod fiet antequam tentetur Ecclesia Christi. *Videte ne quis vos seducat.* 5. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent.* Hoc et Apostolus (2. *Thess*. 2. 3) dixit iis qui fuerunt antequam caperetur Jerusalem, quia prius venturi fuerant pseudochristi. Etenim hoc erat signum primum destructionis Jerusalem: quod vere factum est. Venerunt enim Dositheus, et Simon, et Cleonius, et Varisuas in nomine Christi, et alii multi, quos Apostolus in Epistolis suis tangit. Hoc et patribus nostris dixerunt, qui fuerunt prius antequam tentaretur Ecclesia, quia ventura fuerant haeresum multa verba mendacia, dicentia: Ego sum Verbum Dei, Christus. Et hoc signum fuit expugnationis Ecclesiae, quod et factum est. Vere enim priusquam ex tempore Theodosii, praevaricantibus multis, expugnaretur Ecclesia, multa dogmata praecesserunt ex tempore Constantini, dicentia, Hoc est verbum Dei: per quae signa intelligere potuerunt periclitaturam esse Ecclesiam Christi, si prophetia Christi ante exitum intelligi potuisset. *Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus.* Venient in nomine sponsi, ut sponsae castitas tentata probetur. Nam sicut omnis mulier, quamdiu non admonetur a malis hominibus, non bene cognoscitur utrum sit casta: si vero admonita conscientiam vel fidem viro servaverit, tunc merito casta laudatur: sic Ecclesiae fides non bene cognoscitur, nisi Antichristi venerint ad eam. Sive de illis pseudochristis, qui praecesserunt antequam tentaretur Ecclesia, hoc convenit dicere. Quoniam sicut cum domus incendio comprehenditur, omnes latrones consurgunt, quaerentes unusquisque quod rapiat: sic quando casus specialiter tunc Judaeorum, aut generaliter, aut modicum Christianorum fieri coeperit, omnes daemones spirituales latrones insurrexerunt, per suos ministros quaerentes unusquisque quem perdant. Non audistis prophetam dicentem, quomodo in nocte omnes bestiae circuierunt militantes, hoc modo? *Posuit tenebras, et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae* (*Psal*. 103. 20), etc. Sic et daemones spirituales bestiae, quamdiu lux justitiae est super terram, in cubilibus suis latent, id est, in cordibus impiorum, et non se ostendunt: cum autem tenebras impietatis aspexerint dominari, tunc daemones procedunt, aut ministri eorum de latibulis suis, quaerentes quem valeant devorare. Ideo videte ne quis vos seducat. Homo circa mortem phantasias videt: sic et mundus in exitu suo multos patietur errores. Hoc puto, quod ad omnes Christianos dicebat, sive tunc, sive modo, praecipue tamen ad sacerdotes, *Videte ne quis vos seducat*. Vos estis luminaria, verbum

Commented [p287]: Col.902

vitae continentes, quasi candelabra lucentia; facile, vobis exstinctis, Ecclesia a latronibus praedam patietur in tenebris. Quomodo autem stet aedificatio domus, si columnae ceciderint? Et ne putes quia corporaliter jubet eos aspicere, cum dicit, *Videte*: sed spiritualiter mente considerare. Mente autem potest considerare, qui per bonam conversationem mentem habet illuminatam. Qui ergo bene conversatur, lucidam habet mentem, et intelligit qui sunt doctores: qui autem peccat, sensus ejus cum sit tenebrosus, non intelligit qui sunt servi Dei, et qui ministri diaboli. Sicut enim qui corporaliter oculos habet acutos, de longe prospicit venientem, an amicus ejus est, an adversarius: qui autem oculos habet infirmos, quamvis intenderit, non cognoscit an amicus sit, an inimicus: sic qui mentem a peccatis possidet mundam de longe considerat, homo Dei est ille qui venit, aut homo diaboli: in nomine Christi venit, aut in spiritu Christi. Aut putamus quod semper venturi fuerant novi Christi? Absit. Quod ergo dicebat, *Multi venient in nomine meo*, ad tempus apostolorum pertinet. Tunc enim sciens diabolus, quia adhuc novus erat Christus in mundo, quia veritas evangelii ejus adhuc erat ignota, quia apostoli ejus multis incerti, multos introducebant Christos in mundum, ut homines volentes venire ad Christum, per similitudinem nominis ejus errantes, transeant ad diabolum, et volentes ab eo exire, impingant in eum. Quemadmodum si rex in bello victus atque fugatus ab alio rege, indueret indumentum regis illius victoris, et in parte sua erigat simile signum signo regis illius, ut ille populus victoris schema sui regis aspiciens, et signum partis ipsius, dum putat se ad proprium currere regem, incurrat in manus adversarii sui: sic et diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, ut volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati ad diabolum vadant. Postquam vero notitia Christi in toto mundo praevaluit, et veritas evangelii ejus facta est manifesta, mandata discipulorum ejus implicare jam non poterat, sed submittere Christos. Neque aliquid agit etiam si submittat: quoniam omnibus manifestus est Christus, et evangelium ejus, et apostoli ejus: sed alio modo submittit Christos, ut verba diversorum haereticorum introducta, unumquodque eorum dicat, quia Ego sum Christus, unigenitum Verbum Dei. 6. *Audietis praelia, et opiniones praeliorum.* Tunc quidem corporaliter ea dicebat praelia audienda, quae contra Judaeam praeparabat Imperator Romanus. Nam sicut solet fieri in praeparatione belli dum eliguntur principes, dum deputatur et congregatur exercitus, auditio currit, maxime ad eos, adversus quos praeparatur. Sed postquam ingressus est exercitus Judaeam, sicut exponit Josephus, non statim ad Jerusalem applicavit, sed ad civitates singulas regionis illius, et diversa prius gesta sunt bella, et plurimae civitates captae, et sic novissime Jerusalem obsedit exercitus. Ideo mandabat apostolis, *Videte ne turbemini*, sed opus praedicationis vestrae implete. Illius Jerusalem corporalis typum gerit Jerusalem spiritualis Ecclesia. Nam nisi templum illud destructum fuisset, observantia legis non facile fuerat compescenda. Ideo autem destructum est, ut etiam si velint Judaei postmodum legem servare, non possint, aut de pascha, aut de sacrificiis, aut de caeteris festivitatibus. Ceciderunt ergo corporalia et figuralia, ut surgerent spiritualia et vera mysteria. Postea autem spiritualiter haeresum annuntiabat fore certamina, quae impiorum princeps Antichristus contra Christianos fuerat operaturus in fide. Nam excitans diabolus errorum scandala, non statim oppressit Ecclesiam, sed prius per varia loca schismata excitavit. Utputa, audiebatur quomodo in illa civitate Fotinus hoc praedicit. Item in illa alia civitate Acoluthus presbyter hoc sapere coepit. Sic audiebantur a Christianis schismata, et opiniones schismatum, donec omnium haeresum dux una eligeretur perversio omnibus. Sed in illis non opus erat Christianis turbari, quia oportebat fieri illa.

Commented [p288]: Col.903

Quod autem oportebat, docet Apostolus dicens: *Oportet inter vos haereses esse, ut probati manifesti fiant* (1. *Cor*. 11. 19). Et sicut in illis tunc auditionibus praeliorum non fuit finis gentis Judaeae, sed postea et Jerusalem debellata est, et Judaei quidam in gladio perierunt, quidam a bestiis, quidam in servitute venditi sunt, quidam per singulas gentes dispersi sunt: sic in illis auditionibus schismatum, tempore patrum nostrorum, non est factus finis, sed postmodum Ecclesia debellata est, multis ad praevaricationem aut seductis, aut coactis: modo jam restat ut fiat finis. Bene ergo ait, Vos nolite turbari. Sive enim tunc in auditione corporalium praeliorum, sive modo in auditione spiritualium praeliorum, nostri inturbabiles manent: quia ea, quae fiunt in mundo, non possunt nocere eis, qui sunt extra mundum: et quae fiunt carnaliter, non possunt nocere eis, qui sunt extra carnem: nec mendacia laedunt eum, in quo habitat Spiritus sanctus: sed mundus mundialibus nocet, et mendaces seducunt mendacia. Quemadmodum si quis in campo quodam tabernaculo circumdatus sit, si aliqua surrexerit tempestas ventorum, sonum quidem tempestatis audit, vexationes silvarum videt, ipse autem flatum non sentit: sic qui intra justitiam sedet inclusus, quando mundus concutitur, rumores turbationum audit, saecularium miserias aspicit, ipsum autem concussio mundi non movet. 7. *Insurget enim gens super gentem, et regnum super regnum.* In tempore illo omnes gentes, et omnia regna, quae videbantur esse sub imperio Romanorum, super gentem Judaeam sunt congregatae, et omnia pene regna super regnum ipsorum. Nec enim poterat aliquis parcere eis, quibus Deus irascebatur. Spiritualiter autem ita insurgit haeresis super haeresim, et episcopatus super episcopatum. Sicut enim tunc insurgens gens super gentem, et regnum super regnum, signum erat destructionis Jerusalem, sic postea insurgens haeresis super haeresim, et episcopatus super episcopatum, signum fuit expugnationis Ecclesiae. Et vere quod dicit, *Insurget gens super gentem, et regnum super regnum*, plus convenit ut spiritualiter intelligamus nunc de haeresibus, quam corporaliter tunc de gentibus. Tunc enim non gens super gentem insurrexerunt, nec regnum adversus regnum, cum pene omnes illae gentes et regna super unam excitatae sunt gentem Judaeam. Tunc enim gens super gentum, et regnum adversus regnum insurgere recte dicitur, quando invicem sibi gentes non sunt subjectae, sed adversantur. Nunc autem haeresis super haeresim insurrexit, et episcopatus super episcopatum. Nam omnis haeresis impia adversus eas haereses videtur insurgere, quae non sapiunt similiter. Utputa, haeresis Fotini non solum Christi Ecclesiae adversatur, sed omnibus haeresibus aliter sapientibus. Haeresis Homoousianorum, non solum Christi Ecclesiae adversatur, sed et omnibus haeresibus non similiter sapientibus. Ideo dicit: *Insurget gens super gentem, et regnum super regnum*; magis autem omnis haeresis super Ecclesiam veritatis. Quoniam sicut tunc omnes gentes, quamvis non essent ejusdem generis, aut ejusdem moris, tamen non sibi adversabantur, sed unam debellabant Judaeam: sic diversae haereses, quamvis non sint ejusdem pravitatis, tamen non sibi adversantur, sed omnes unam debellant Ecclesiam veritatis. Et quid? putas ideo diabolum multas haereses induxisse, ut invicem se mendacia ejus expugnent? Absit. Sed multiformes causas erroris induxit, ut multis modis Christi circumveniatur Ecclesia, ut pars pereat per illam sapientiam, pars per istam. Sicut qui multas etiam venationes praetendit, cogitans quia necesse est aut in haec, aut in illa retia venatio cadat. *Et erunt fames, et pestilentiae, et terraemotus per loca*. Quales pestilentiae, et qualis fames, et terraemotus praecesserunt Judaeam, antequam Jerusalem caperetur, cognoscere potest qui Josephum legit. Spiritualiter autem ita priusquam exspoliaretur Ecclesia, sine dubio praecesserunt in

Commented [p289]: Col.904

populo Christiano fames spiritualis verbi, pestilentiae diversorum carnalium vitiorum, terraemotus spirituales turbationum populi Christiani. Nec enim nata fuissent tam multa schismata in populo Christiano, nisi fuisset in eis fames verbi: *Pestilentiae*, id est, morbi carnalium passionum, nisi fuissent in eis commotiones turbationum, sicut significat Dominus in illa parabola, quam de seminandis zizaniis ab homine malo proponit, dicens: *Cum dormirent autem homines*, id est, cum negligerent in peccatis, *venit inimicus* homo, *et seminavit zizania* (*Matth*. 13. 25). Qui autem satiati sunt pane verbi divini, qui sani sunt a pestilentia passionum carnalium, qui stabiles sunt in fide et justitia, apud eos schismata non inveniuntur dogmatum. Omnia autem haec initia sunt parturitionis, id est, pseudochristi venientis, et auditiones praeliorum, et insurgens gens super gentem, et fames, et pestilentiae, et terraemotus. Sicut haec omnia corporaliter intellecta, initia fuerunt malorum Judaeis, incrementum autem desolatio fuit Jerusalem: sic spiritualiter haec intellecta, initia fuerunt Christianis, incrementum autem oppressio fuit Ecclesiae. Sicut ergo certamina haeresum initia fuerunt parturitionis: quomodo non intelligimus, quia ex quo haereses natae sunt, et discessio facta est multorum, ex eo consummatio coepit? 9. *Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*. Aestimo quod hic jam deficit expositio corporalis, ut de tempore illo dicamus, quo Jerusalem capta est a Romanis: ex eo quod dicit, *Tunc tradent in tribulationem*, quoniam apostoli et caeteri Christiani tunc coeperunt pati persequutionem, quando illa omnia coeperunt praeparari contra Jerusalem, et non potius ab initio, ex quo Christus ascendit, sicut Actus apostolorum testantur. Plane igitur spiritualiter intelligere convenit, quia quando haec omnia coeperunt fieri contra Ecclesiam Christi, id est, quando coeperunt esse dogmata falsa, quasi pseudochristi, quando coeperunt auditiones fieri, quando coepit insurgere haeresis super haeresim, et episcopatus super episcopatum, quando facta est fames verbi in populo Christiano, quando comprehenderunt eos pestilentiae vitiorum multorum, quando facti sunt eis terraemotus turbationum de rebus divinis: tunc traditi sunt patres nostri in multas tribulationes persequutionum in toto mundo, et occisi sunt, et quidam odio habiti sunt omnibus gentibus, id est, omnibus haeresibus. Nam si hoc, sicut dixi, non convenit de tempore apostolorum, quando erant adhuc multae gentes non cognoscentes Deum, sed de isto tempore dicitur quando haereses factae sunt: consequenter hae gentes, quibus odio facti sunt patres nostri, haereses sunt intelligendae: quia quando Ecclesia coepit periclitari, nescio si erat in circuitu aliqua gens, quae non cognosceret Deum, cui odio esset. Qua autem ratione gentes haereses appellentur, attende. Sic enim aliquando, destructa turre, filii Noe dispersi sunt, et in tot partes divisi, et super singulas quasque gentes praepositi sunt principes secundum propositum ipsorum, angeli maligni: sola autem gens Judaea in portione facta est Dei, sicut in Deuteronomii cantico scriptum est: *Cum divideret*, inquit, *Excelsus gentes, quando dispersit filios Adam: statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei, et facta est portio Domini populus ipsius Jacob* (*Deut*. 32. 8. 9). Numquam enim diceret, quia gens Judaeorum facta est portio Domini, nisi omnes gentes extra portionem factae fuissent. Postquam ergo venit Filius Dei in mundum, quod nulla saecula nec sperare potuerunt, nec promereri: ne tali misericordia gens aliqua fraudaretur, vocatae sunt omnes gentes ad fidem, mixti boni et mali: boni, ut salventur: mali, ut inexcusabiles fiant. Quando ergo Ecclesia ex mixtis voluntatibus erat repleta, sicut retia, quae dicuntur in Evangelio (*Luc*. 5. 6), repleta de piscibus mixtis: necesse erat, ut purgaretur Ecclesia, ut boni quidem pisces mitterentur in

Commented [p290]: Col.905

vasis, mali autem projicerentur foras. Ideo concessa est diabolo erroris seminandi licentia, et sic dispersae sunt per plurimas haereses, unusquisque secundum propositum suum, remansit autem una fides tantummodo apud Deum. Ideo ergo dicunt evangelistae, haereses gentes esse: quoniam sicut tunc, cum omnes homines essent una gens et lingua, divisi sunt per plurimas gentes: ita et modo cum esset totus populus Christianus una Ecclesia, et una fides, divisi sunt per multas haereses. Et sicut tunc omnes gentes factae sunt sub principatu principum malignorum, una autem gens sub principatu Michaelis: sic et modo omnes haereses factae sunt sub daemonum principatu, una autem sub principatu Christi remansit, de qua dicit propter Ecclesiam: *Una est columba mea, perfecta mea* (*Cant*. 6. 8). 10. *Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem*. Etiam ex his verbis ostenditur, quomodo haec non dicuntur de temporibus apostolorum, quamdiu Jerusalem fuerat capienda: quoniam tunc pauci scandalizabantur, pauci Christiani invicem se tradebant, quia nec odiebant invicem, sed *Erat omnium credentium cor unum, et anima una* (*Act*. 4. 32): sed de nostris dicit, in quibus plures scandalizati sunt, et scandalizantur a fide, quam confirmentur in fide. Nunc alterutrum et tradiderunt, et tradunt, quomodo et odiunt se alterutrum, ita ut nec in duobus sinceram invenias caritatem, non dicam in multis. 11. *Et multi pseudoprophetae exsurgent, et seducent multos*. Prophetae dicuntur, non solum qui de Christo annuntiaverunt, nec qui omnino futura loquuntur, sed doctores dicuntur prophetae. Ergo pseudoprophetas, pseudodoctores appellat haeresum diversarum, aut illos quos modo videmus diversis argumentis religionis speciem praetendentes. Alii enim se dicunt neque manducare, neque dormire, neque algere, neque aestuare, sed semper pendere in aere. Alii autem vestiti ciliciis, aut circumdati catenis, socia sibi daemonia commoventes: et quia gratiam Dei non habent, patrocinia daemonum commendant. Sed et haec talia rursum sunt, etsi insensatos fallunt, per haec tamen non seducuntur sapientes. Alii autem sunt, qui vehementer seducunt: quoniam etsi mendaciter, tamen Christum praedicant, fidem annuntiant: quoniam sic Ecclesias habent, sic ordines clericorum, sic fideles, sic lectiones legunt divinas, eadem dare videntur baptismata, eadem sacramenta corporis et sanguinis Christi. Similiter apostolos et martyres colunt. Per haec ergo valde tenebrescere faciunt mentes, non solum mediocrium hominum, sed etiam prudentum. Quem ex parte non moveat Antichristus faciens opera Christi, et ante Christianos officia universa explens Christianorum, nisi forte illum qui considerat quod Apostolus ait: *Cum enim ipse satanas transfigurat se in angelum lucis: quid magnum est si et ministri eius tranfigurentur, sicut ministri justitiae, quorum finis erit secundum opera eorum* (2. Cor. 11. 14), non secundum schemata Christianitatis eorum? *Multos*, inquit, *seducent*, non omnes: quia non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum. Si autem seducentium esset virtus, omnes seducerent: nunc autem ex eo, quod non omnes seducuntur, apparet quia seductorum negligentia est, non seducentium virtus. Nam sicut veritas allicit fideles ad se, et amicos veritatis: sic et mendacium infideles rapit ad se et amicos mendacii, non veritatis. Et veritas quidem interdum aut infideles trahit ad se, aut inexcusabiles facit eos. Mendacium autem nullo modo potest flectere ad se fideles: quoniam veritas habet in se et rationem manifestam, et firmam virtutem: mendacium autem nec rationem habet manifestam, nec virtutem aliquam. Deinde quia veritas et in sensu fidelium dominatur, mendacium autem in sensu fidelium nihil habet. 13. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Miror quomodo de Deo haeretici haec intelligant: aut enim legentes haec, quomodo ausi sunt perscrutationes facere: aut perscrutationes facientes, quomodo

Commented [p291]: Col.906

haec legere non erubescunt? Quibus dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem*? Numquid persequentibus seductis Chrsistianis? numquid seductoribus prophetis? Non. Sicut enim non sanis, sed infirmis apponitur medicina, sic et consolatio non periculum facientibus, sed periclitantibus datur. 14. *Et praedicabitur hoc evangelium in universo orbe*. Marcus manifestius addit: *Primum*, inquit, *praedicabitur evangelium* (Marc. 13. 10). Quando autem illa bella corporalia movebantur contra Jerusalem, adhuc initiabatur Evangelium. Nondum praedicatum erat in toto orbe. Ante haereses autem consummatum est Evangelium. Nam usque ad tempus Christiani regis, praedicantibus quibusdam, aut de gente in gentem notitia Christi currente, pervenit ad omnes. Vis scire, quia tunc completa est notitia Christi? Considera quia ex ea haeresum bella coeperunt, ut fieret electio meliorum. Nam quamdiu vocatio est, non potest esse electio: et quamdiu electio est, non potest facilis esse vocatio. Nam sicut impedimentum est vocationi electio, sic electioni vocatio.

Homilia xlix. ex capite xxiv. (col.906-21)

15. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele* (*Cap*. 9. *v*. 27) *propheta, stantem in loco sancto; qui legit intelligat*, etc. Quidam dicunt abominationem desolationis esse imaginem Caesaris, quam Pilatus posuit in templo. Verius autem quid sit abominatio desolationis Lucas evangelista interpretatur. Nam in quo loco Marcus et praesens Matthaeus ponunt, *Cum videritis abominationem desolationis* (*Marc*. 13. 14): in ipso loco Lucas sic ponit: *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia propinquavit desolatio ejus* (*Luc*. 21. 20). Et sic dicit, qui in Judaea sunt: videlicet ut per alteram similitudinem expositionis ejusdem loci ostendat, quid sit abominatio desolationis stans in loco sancto. Fuit enim exercitus alienigenarum et Romani Imperatoris stans circa Jerusalem, quae usque tunc fuerat sancta. Hoc et Petrus apud Clementem exponit. Denique hanc esse abominationem desolationis et ipse textus ostendit. Quasi enim replicans illa omnia quae superius dixit, breviter comprehendit, et dicit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis stantem*. Hoc est, Cum videritis ea ipsa praelia jam stantia circa Jerusalem, quae ante audiebatis. Similiter et in fine mundi, et in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando et haereses, et fames, et pestilentiae, et illa omnia ante praecesserunt: novissime autem abominatio desolationis stetit in loco sancto, id est, exercitus Antichristi. Exercitus autem Antichristi sunt omnes haereses, praecipue ista, quae obtinuit Ecclesiae locum, et stetit in loco sancto, ita ut videatur quasi verbum veritatis stetisse, cum non sit verbum veritatis, sed abominatio desolationis, id est, exercitus Antichristi. qui multorum animas reddidit desolatas a Deo. Et hoc est forte quod Apostolus dicit: *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat, ostendens se quasi sit Deus* (2. *Thess*. 2. 4). Et sic omnia illa mala haeresum diversarum, quae antea audiebantur tantum, postea steterunt in loco sancto desolantia Ecclesiam Christi. Ex quo data sibi licentia coeperunt omnes publice habere Ecclesias. Et nos quidem exposuimus hic auditiones praeliorum, et fames, et terraemotus, et pestilentias, auditiones haeresum, et inopias verbi, et concussiones Christianorum, rt corruptiones morum, quae ante praecesserunt a tempore Constantini, usque ad tempusTheodosii. Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam haeresim, quae occupavit

Commented [p292]: Col.907

sanctae Ecclesiae loca, et multos desolavit a fide, et ipsum exercitum Antichristi, et caeteras haereses, quae coeperunt publice habere Ecclesias, locum obtinentes Ecclesiae sanctum. Si quis autem auditiones quidem praeliorum, fames et tumultus, et pestilentias, intelligat esse omnia haec mala spiritualia, quae facta sunt tempore Constantini simul et Theodosii usque nunc, abominationem autem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, et obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi, et multos fidelium desolare: non irrationabiliter dicit. Nam sive ista haeresis, quae jam tenuit, sive populus ille qui postmodum cum ipso Antichristo est futurus: recte exercitus intelligitur esse Antichristi. Et sic prophetae verba significant magis de consummatione mundi: prophetia tamen, sicut docet Christus, ad utrumque est dicta. Sunt autem verba illa sic: *In dimidio septimi anni auferetur juge sacrificium, et abominatio desolationis stabit in loco sancto, usque ad consummationem temporis, et consummatio dabitur super solitudinem* (*Dan*. 9. 27). Illic exercitus Romanus dictus est abominatio desolationis, quia ad desolationem redacturus fuerat Judaicum cultum: hic autem Antichristus dicitur abominatio desolationis, quia multorum Christianorum animas facturus est desolatas a Deo. Nam antequam caperent Romani Jerusalem, in dimidio hebdomadis Christus per suam doctrinam tulit de medio juge sacrificium Judaeorum. Nam dicitur tribus annis et sex mensibus docuisse, qui numerus facit dimidium septem annorum, ut illud sacrificium, quod jugiter fuerat in usu, tolleretur de medio, et offerretur sacrificium laudis in voce, et sacrificium justitiae in operibus, et sacrificium pacis per eucharistiam. Usque ad finem autem saeculi tumultus est, quia Judaica consuetudo de sacrificiis offerendis numquam est reparanda. Item in dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis et sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta: non erit qui aut in ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis et sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multae scripturae significant, maxime tamen in Revelatione sua Joannes. Et solitudinem illam consummatio occupavit: *Nam usque in finem tenebit Antichristus: quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (2. *Thess.* 2. 7. 8). De hoc enim et Apostolus ait, dicens: *Nemo vos conturbet: quia nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deas, aut quod colitur, ita ut in templo Dei quasi Deus sedeat* (*Ibid*. *v*. 3. 4); et addit: *Jam enim mysterium iniquitatis operatur* (*Ibid*. *v*. 7). Legi quemdam sic exponentem: Quoniam omnia, inquit, quaecumque exposuit supra, signa fuerunt praecedentia diruptionem civitatis illius et templi. Hoc autem quod dicit, *Cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto*, et omnia quae dicuntur deinceps, signa sunt consummationis futurae, et venturi Filii Dei, qui et in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quod autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: Reaedificaturus est, inquit, sanctuarium, quod fuit in Jerosolymis quondam, et ibi staturus (*Dan*. 9. 25): ut videntes Judaei credant in eum, non solum propter signa ejus, sed etiam propter reparationem templi ipsius, aestimantes prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Jerusalem prophetaverunt: non intelligentes quomodo propheta de reparatione templi spiritualis loquutus est, quam Christus implevit, non de corporali quam Antichristus est impleturus. Et tunc, inquit, implebitur ibi quod prophetavit Jeremias in Juda. Quando non crediderunt, inquit, veritati, in tempore illo loquetur populo huic et Jerusalem in spiritu seductionis (*Jer*. 4. 11. 12). Hic excitabit tribulationem super sanctos, pro eo quod non glorificabunt eum, et multos occidet. Sed

Commented [p293]: Col.908

hoc de hac interpretatione dubitabile mihi videtur, si locus templi illius, ex quo dirutum est jam a Deo, postmodum sanctus vocatur sccundum quod et hic dicit: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. 16. Tunc *qui in Judaea sunt, fugiant ad montes:* 17. *et qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua:* 18. *et qui in agro, non revertantur retro tollere tunicam suam.* Tunc, quando viderimus abominationem desolationis stantem in loco sancto, quibus mandat fugere? Non solum illis, qui tunc fuerunt ante captivitatem Jerusalem, sed etiam nobis, qui videmus abominationem desolationis jam stantem in loco sancto: id est, populum Antichristi in locis Ecclesiae. Illi autem visibilem hostem fugerunt pedibus, nos autem invisibilem hostem fugiamus actibus bonis. Quamvis enim diabolus sit spiritus, et homo corpus: tamen numquam illos diabolus potest comprehendere, qui fugiunt eum per opera bona. Sine causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequitur eum peccatis. Sed ut sapienter intelligamus haec quae prophetice sunt dicta a Christo, breviter cognoscendum est, qualis est consuetudo prophetarum. Frequenter ex occasione carnali incipiebant et sic miscebant prophetiam. Utputa, David cum fugeret a facie Absalon, ex occasione suae tribulationis incipiens dixit: *Domine, quid multiplicati snnt qui tribulant me* (*Psal*. 3. 1)? Et introducens prophetiam dominicae passionis, addidit ita: *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (*Ibid. v*. 6). Illa ergo quae dixit, *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me*, et caetera, quae praecedunt, secundum historiam intelligamus. Haec autem, quae dixit, *Ego dormivi et soporatus sum*, si secundum historiam velis intelligere, nullum habent saporem, ut dicamus, David cum pateretur a filio dormivit et surrexit. Quomodo enim dormivit, ut surgeret? Quid ergo? Necesse habemus relinquere ordinem historiae, et spiritualiter intelligere de Christo. Tale est quod Petrus dicit in Actibus, interpretans, *Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Act*. 2. 27. *et Psal*. 15. 10): quia non poterat hoc intelligere de David, sed de Christo: quia David vidit corruptionem, Christus autem tertia die resurgens, non vidit corruptionem. Sic intelligenda est haec Christi prophetia. Coepit ex occasione corporalis fugae, et quae facta est tempore illo in Jerusalem, et prophetia magis de spirituali. Ecce enim hoc quod dicit, *Qui in Judaea sunt, fugiant ad montes*: corporaliter secundum historiam, et si vis intelligere, possibile est in tempore Romanorum: in tempore autem Antichristi de Judaea ad montes fugere corporaliter, non proderit. Primum, quia nec erit Antichristus tantummodo in terra Judaea, nec Judaei futuri sunt ante illum, sed ubicumque fuerint Christiani, ab illo aut a ministris ejus persequutionem passuri sunt: nec civitas alia tunc est circumsidenda, sed ubique Christianus populus indagandus. Hoc autem quod dicit, *Qui super tectum est, non descendat tollere aliquid de domo*: sive in tempore Romanorum, sive in tempore Antichristi, non potest habere corporalem intellectum: quia in tempore captivitatis, aut persequutionis, quid prodest homini, si sedeat super tectum, et non descendat deorsum? Sine dubio enim, aut quando non vult deponitur, aut cum ipsa domo succenditur. Quid ergo? Spiritualiter haec omnia magis sunt intelligenda, hoc modo: *Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes. Tunc cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*. Id est, Cum videritis haeresim impiam, quae est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiae, in illo tempore qui in Judaea sunt, fugiant ad montes: id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Sicut enim verus Judaeus est Christianus, dicente Apostolo, *Non qui in manifesto Judaeus est, sed qui in occulto* (*Rom*. 2. 28. 29): sic vera Judaea Christianitas est, cujus nomen intelligitur confessio. Montes autem sunt Scripturae apostolorum aut

Commented [p294]: Col.909

prophetarum, de quibus dictum est: *Illuminas tu mirabiliter a montibus aeternis* (*Psal*. 75. 5). Et iterum de Ecclesia dicit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal*. 86. 1). Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit haeresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse verae Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturae divinae. Antea enim multis modis ostendebatur, quae esset Ecclesia Christi, et quae gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quae sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? Quia omnia haec, quae sunt proprie Christi in veritate, habent et haereses illae in schismate: similiter Ecclesias, similiter et ipsas Scripturas divinas, similiter episcopos, caeterosque ordines clericorum, similiter baptismum, aliter eucharistiam, et caetera omnia, denique ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere quae sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tantae confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Item antea et per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani, et qui falsi. Quomodo? Falsi quidem aut non poterant facere, sicut veri Christiani: aut talia non poterant, qualia veri Christiani: sed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, utilitatem autem nullam habentia: sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solum admirationem facientia, sed etiam omnem utilitatem habentia. Et per haec cognoscebantur qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est: magis autem et apud eos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum est danda potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur Ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum, aut omnium, aut multorum erat sancta, quae apud impios non erat. Nunc autem aut tales aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt haeretici aut gentiles. Adhuc autem et major continentia apud illos invenitur, quamvis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere quae sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus esse futuram: ideo mandat, ut Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere fidei verae, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, et peribunt, non intelligentes quae sit vera Ecclesia. Et per hoc incident in abominationem desolationis, quae stat in sanctis Ecclesiae locis. *Et qui super tectum est, in tempore illo non descendat tollere aliquid de domo sua*. Domus nostra est corpus nostrum. Superiora ejus sunt cor, aut caput, quae intelliguntur domus tecta. Inferiora autem sunt venter, aut caetera occultabilia membra. Tamen ut melius intelligamus quae sunt tecta domus, historiam de Raab proferamus. Haec suscepit legatos Jesu Nave, et in superiori parte domus abscondit, ne inveniret rex Jericho (*Josue* 2). Haec est Ecclesia, quae aliquando meretrix fuit, quae legatos Jesu Christi, id est, apostolos et prophetas, hoc est, scripta eorum suscepit, et in superiori parte corporis sui abscondit: id est, in sensu, in memoria, et in corde, ut non inveniat eos rex mundi diabolus, ut confidenter dicere possit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi* (*Psal*. 118. 11). Quid ergo? Quicumque in tempore illo fuerit super tectum, id est, in rebus spiritualibus vivens, quae sunt aut in capite, aut in corde: quae tecta dicuntur corporis nostri, et fastigia prima: non descendat ad inferiores corporis sui partes, unde aliquid tollat: id est, non descendat ad aliquas res carnales, ut desideret aliquid quod est corporale. Alioqui comprehendet eum abominatio desolationis. Et vide quia quotquot pereunt de Christianis, propter aliquam corporalem causam pereunt

Commented [p295]: Col.910

constitutam deorsum. Alii propter avaritiam, ut ne perdant quod habent, aut inveniant quod non habent: alii pereunt propter gulam, paupertate coacti: alii propter uxores, aut propter maritos: alii propter alias causas carnales: quae omnia pertinent ad inferiores corporis partes. Sicut enim viventes in carne, relinquere videmur carnem, relinquentes opera carnis, et transimus ad spiritum, facientes opera spiritus, ut recte dicatur de nobis: *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu* (*Rom*. 8. 9): sic relinquere videmur inferiora corporis nostri, opera relinquentes carnis, et ascendimus ad cor et caput, viventes secundum illas virtutes, quae sunt in capite, aut in corde, aut in spiritu: quae omnia tecta domus nostrae dicuntur. Mandat ergo fidelibus viventibus in sanctitate, ne aliquid concupiscant carnale, quod est descendere, ne forte per occasionem desiderii illius diabolus inveniat locum, et trahat ad abominationem desolationis, et pereant. Item. *Qui est in agro*, id est, aut in Scripturis, aut in Ecclesiis, aut in Christo, *non revertatur retro tollere tunicam suam*, id est, aut conversationem, aut cultum priorem. Utputa, Judaeus fuisti, et factus es Christianus: in agro es, ne ad Judaicum revertaris cultum. Gentilis fuisti, et factus es Christianus: ne aliquid quod est gentilitatis resumas, ne per alias occasiones incidas in errores abominationis illius, quam haereses illae, si vis Judaismum, habent in se: si vis gentilitatem, invenies apud eos. Propterea facile cadunt in illas, qui non fuerint cauti secundum mandata Domini haec praemonentis. 19. *Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus*. Quia aut ventris, aut gremii pondere praegravati, non possunt expediti esse ad fugam. Si enim dimiserint infantes suos, viventium viscerum suorum patientur separationem: si autem bajulaverint, suscipient vitae periculum. Puto hoc melius intelligi posse spiritualiter ad tempus Antichristi, quae sunt spirituales praegnantes, et nutrientes Ecclesiae Christi in singulis quibusque gentibus constitutae. Ecclesiae, quando praedicant verbum veritatis, credentes in fide concipiunt, et habent eos in gremio suo, quasi in utero, donec formentur catechizati per singula membra pietatis et fidei. Cum autem formati fuerint sic, pariunt eos in baptismo: postquam autem pepererint, necesse eos habent lactare doctrinis assiduis. Sed primum videamus, quomodo Deo formant in utero Ecclesiae hominem conceptum in fide. Utputa, legis justitia est, abstinere a malis operibus tantum, non etiam facere bona opera: Christi autem justitia non est, abstinere a malis operibus tantum, sed etiam facere bona opera. Item legis justitia prima, et salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum; secundum, abstinere ab idolis; tertium, non perjurare; quartum, colere sabbatum spirituale; quintum, honorare patrem et matrem; sextum, non occidere; septimum, non adulterari; octavum, non furtum facere; nonum, non falsum testimonium dicere; decimum, nullam rem proximi concupiscere (*Exod*. 20): videlicet secundum mysterium nominis Jesu Christi, quod est in litera Iota: id est, perfectionis indicio. Omnis ergo Ecclesia, quae concipit hominem in utero suo per verbum in fide, prius debet eum formare omnibus his mandatis, quasi mensibus decem, ut discat prius abstinere ab omnibus malis, et sic eum maturum in baptismum parere Deo. Alioquin antequam discat ab his omnibus abstinere, si baptizaverit eum, non parit, sed immaturum projicit: sicut mulier, nisi completis novem mensibus et decimum tangens peperit, abortum facit. Propter quod nec est homo ille vitalis. Sicut et modo pene omnes non parit Ecclesia secundum ea quae diximus, sed abortos facit. Propter quod nec baptizantur in veritate a Spiritu sancto. Differt enim Deus dare eis baptismum Spiritus sancti, donec dignos se praebuerint illo tali baptismate. Sed et formatum in decem illis supradictis mandatis, et abstinentem a vitiis baptizans, bene parit; tamen adhuc parvulus est ille qui

Commented [p296]: Col.911

baptizatus natus est Ecclesiae filius, et tenere adhuc duorum Testamentorum quasi duarum mamillarum modica justitia est nutriendus, quasi tenero lacte secundum angustias faucium fidei suae, quam ipse cepit carnis natura, quam etiam gentes volentes laudabiliter vivere servant. Cum autem sic enutritur, paulatim incipit posse suscipere fortiora et spiritualia Christi mandata, quasi nutritorios et vivos panes: id est: *In lege scriptum est, Non occides: ego autem dico, Nec irascaris. In lege scriptum est, Non adulteraberis; ego autem dico, Nec usque ad oculum concupiscas. In lege scriptum est, Non perjurabis: ego autem dico, Non jures omnino. In lege scriptum est, Oculum pro oculo: ego autem dico, Non resistere malo omnino. In lege scriptum est: Amabis amicum, et odies inimicum: ego autem dico, Diligite inimicos vestros* (*Matth.* 5. 21 *sqq.*). Item, *Beati pauperes, beati mansueti, beati qui lugent, beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* 5. 3 *sqq*. *Luc*. 6). Nam adolescenti cuidam interroganti, *Quid faciam, ut vivam* (*Matth*. 19. 16. *sqq*.)? sic primum ei secundum legem mandavit, *Non occides, non adulterabis,* etc. Cum autem ille dixisset, *Haec omnia servavi a juventute mea,* secundum aetatem carnalem quam nos uterum dicimus: sic ei supermandatur: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me*. Qui ergo talis est, neque mori potest quasi abortivus, nec seduci quasi insipiens, nec vinci quasi infirmus, nec perire quasi parvulus: sed est vir perfectus, et adversus omnia invincibilis filius Dei. Qui autem parvuli sunt, scandalizabiles sunt. De quibus dicit Dominus in Evangelio: *Amen dico vobis, quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis credentibus in me, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo ejus et demergatur in profundum maris* (Marc. 9. 41). Et si parvuli in Ecclesia scandalizabiles sunt, quanto magis abortivi non sunt vitales? Si ergo haec ita se habent, quare non dixit, Vae iis qui in utero habentur, et vae iis qui nutriuntur adhuc: sed, *Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus*? Quia quando hujusmodi abortivi abstracti ab utero Ecclesiae, aut parvuli tales, nesciunt quid patiuntur: quando enim non sentiunt, sic pereunt. Adhuc autem ut de proprietate loquar parvulorum, gaudent seducti, ad interitum dicuntur, et rident illecti. Ideo dicit, *Vae praegnantibus Ecclesiis et nutrientibus,* quando ipsae de perditione illorum talium lamentabuntur et plangent. Ecce quantos videmus de Ecclesia hujusmodi abortivos, et parvulos ductos ad praevaricationis interitum! Numquid aliquis eorum lacrymavit? numquid aliquis tristatus est? Sed adhuc ex diverso abierunt gaudentes. Sed Ecclesiae dolorem perditionis eorum ipsae lamentantur et plangunt. Ideo dicit, *Vae* Ecclesiis *praegnantibus et nutrientibus in illis diebus*. Et si quidem negligentia Ecclesiarum aut immaturi fuerint nati, aut parvuli, non habentes qui aut informaret eos, aut postmodum consummaret in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi: dupliciter *Vae* Ecclesiis *praegnantibus et nutrientibus in illis diebus*: quia et in hoc saeculo dolorem patientur perditionis eorum, et in die judicii damnabuntur propter negligentiam et eruditionem eorum. Si autem Ecclesiae quidem competenter circa eos diligentiam impenderunt, illi autem audierunt, nec ante baptismum informati acquieverunt, elongantes se a conventu et ab omni auditu Scripturarum, et ab omni verbo doctrinae alloquentium sacerdotum, neque post baptismum proficere voluerunt: Ecclesiis quidem vae, quia sive hoc, sive illo modo patientur dolorem perditionis eorum: illis autem multipliciter vae, quia omnis causa perditionis eorum ab illis solis requiretur in die judicii. Quoniam corporis quidem profectus non est in potestate hominis, sed Dei: animae autem profectus voluntarius est. Videamus ergo, ne nos imperfectos inveniat aut nunc

Commented [p297]: Col.912

haereticorum dominatio, aut tunc ipsius Antichristi. Quoniam sicut opera bona in die tentationis praestant spei virtutem; sic opera mala desperationis operantur infirmitatem. 20. *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato*. Et carnaliter et spiritualiter legitur. Fugientibus enim et in via manere necesse est, et in silvis latere, et per deserta vagari. Fuga autem vestem portare non sinit, domum intrare non permittit, ignem accendere non concedit. In hieme autem quid faciat fugiens? Necesse est ergo, aut fugiens frigore pereat, aut manens gladio moriatur. Similiter in sabbato non licebat amplius ambulare, nisi certum spatium viae. Unde dictum est in Actibus apostolorum, *Sabbati habens iter* (*Act*. 1. 12). Quid ergo faciet fugiens Judaeus in sabbato? Necesse est ut aut legem praetereat fugiens, aut mortem suscipiat manens. Spiritualiter autem de Christianis talem habent interpretationem. Hiemem dicunt frigus infidelitatis spirituale. Qui enim non habet in corde suo ignem, de quo Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc*. 12.49). id est, verbum divinum, de quo calefiat in fide: ille semper in hieme est, etsi fuerit in media aestate: quia dubitationum incursus, quasi quasdam tempestates de fide Christi patitur anima ejus, et alget. Aut in hieme est, qui in persequutione est, et tempestatem patitur impiorum. Et ideo frigida fit fides omnium, et ad plenum gelat, nisi iterum calefecerit eos Spiritus sanctus. Item est corporale sabbatum secundum literas legis, quod Judaei intelligebant, et conservabant, dum a corporali opere abstinerent, non a corporalibus malis. Et est spirituale secundum quod gratia Christi manifestavit: quod intelligunt Christiani et observant, abstinentes se non ab opere corporali, sed a corporalibus malis. Qui ergo vacat ab opere malo, faciens opera bona, laudabiliter sabbatizat, et sancte secundum spiritum, et Dei consilium: qui autem recedit ab opere bono, faciens opera mala, culpabitur, et impie sabbatizat. De hoc itaque non bono sabbato loquitur Dominus in hoc loco admonens, ut ne dies ille inveniat eos in peccatis. Ideo ergo dicit, *Ne fuga vestra hieme vel sabbato fiat*, quia quicumque in hieme infidelitatis inventus fuerit, aut in deliciis hujus mundi sabbatizans, et otians ab opere bono, necesse est ut tribulationum tempore superatus, pereat credendo Antichristo, quoniam, sicut diximus, opera bona in persequutionibus ad fidem spei praestant virtutem. Quoniam autem de deliciis et peccatis loquitur locus iste, manifestius adaperit evangelista Lucas. Cum enim locum istum exponeret, ita subjunxit: *Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc*. 21. 34). Ex duabus ergo parabolis superioribus prior quidem docet ut festinemus perfecti esse in fide Christi: quod possumus adimplere, si Scripturis et doctrinae sacerdotum assidui fuerimus: quoniam qui in fide Christi et operibus bonis sunt imperfecti, ipsi sunt qui adhuc in utero habentur, aut adhuc parvuli sunt, qui facile periclitantur in tempore persequutionis, et pereunt, quia dubii sunt de fide Christi; sequens autem docet, ut ne vacui inveniamur ab operibus bonis, et ab exercitatione virtutum: quia qui sic inventi fuerint, ipsi sunt parvuli, qui in die persequutionis cito periclitantur a fide Christi: quia non habent opera bona confortantia eos in spe, nec exercitationem virtutum in sufferentia adversorum. Similiter et ex duabus parabolis sequentibus, prior quidem admonet, ne imperfecti inveniamur in fide: ipsi sunt quidem, qui dubitationis hiemem patiuntur; sequens autem, ut ne sine bonis operibus inveniamur in tempore illo, sabbatizantes ab opere bono. 21. *Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio saeculi usque modo*. Quoniam dixit, *Vae praegnantibus et nutrientibus*: et, *Videte ne fuga vestra hieme aut sabbato fiat*: nunc exponit quare, id est, quia *Erit tribulatio magna*. Usque ad Christum enim Judaei etsi peccatores fuerunt, tamen filii erant, non hostes: et ideo omnis ira quae veniebat super eos, castigatio erat de

Commented [p298]: Col.913

misericordia veniens, non condemnatio de ira descendens; crucifixo autem Domino desierunt esse filii, et sunt facti hostes. Propterea jam non castigatio venit corrigens, sed condemnatio eradicans. Capta est enim Jerusalem ab Assyriis, et iterum reparata est. Destructa est ab Antiocho, et iterum reaedificata est. Invasa est tertio a Pompeio, et iterum reparata est. Sicut enim homo, priusquam dies mortis ejus adveniat, languere quidem potest, mori autem non potest: sic et Judaea ante Christum vexata est quidem, perdita autem non est. Postquam vero horrendum patricidium commiserunt, crucifigentes filii patrem, mortem inferentes, a quo acceperunt vitam: et quod majus est, occidentes servi Dominum, homines Deum, tali eos plaga percussit, ut numquam sanentur. Sicut illi tale facinus commiserunt, quale numquam commissum est, nec est committendum: sic et super illos talis sententia venit, qualis numquam venit, nec veniet. Haec aptius est de consummatione mundi suscipere, cujus figura fuit tribulatio illa. Tunc vere talis erit tribulatio, qualis numquam fuit. Tunc dicent homines, Aperiat se terra, et glutiat nos. Usque tunc enim omnis ira quae fit a Deo, ideo fit, ut fideles quidem tentet, infideles autem emendet: cum autem Antichristus venerit, talis veniet ira, ut et infideles omnino pereant, et fideles plenius coronentur. Cum enim multi Christianorum, credentes Antichristo, signum nominis ejus in manu dextera, et in fronte susceperint: tunc exibunt angeli cum igneis curribus volantes per aera: et invisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inventum non fuerit signum Antichristi. Ex illo jam plagae, quae venturae sunt super terram, in quibus et finiendus est mundus, jam non tangent fideles, qui signati sunt, sed illos percutient, super quos Antichristi inventum fuerit signum. Erit enim tribulatio magna, qualis numquam fuit. Nonne major fuit tribulatio in diluvio, quando ab omni creatura nihil remansit, nisi solus Noe cum familia sua (*Gen*. 7)? Hic autem etsi multi occiduntur, tamen multi evadent. Sed in hoc pejor erit tribulatio ista, quia illic corporalis fuit perditio, hic autem spiritualis. Quis autem illic tormentis astrictus est, quia coluit Deum? Sed e contrario puniti sunt, quia noluerunt colere Deum. Hic autem tormentis afficiendi sunt, qui non transeunt ad diabolum, relinquentes Deum. Nonne major fuit tribulatio in Sodomis, ubi nullus evasit ab igne, nisi solus Lot (*Gen*. 19)? Sed illic fuit adversus peccatores justa Dei vindicta, hic autem erit adversus sanctos crudelis diaboli violentia. Quanto ergo pretiosior anima, quam corpus: tanto miserabilior perditio animarum quam corporum. Illic perditis iniquis, evaserunt justi: hic autem punitis aut fugatis justis, iniqui gaudebunt. Sed et si qui prudentes sunt, cum considerant non corporalem hujus mundi statum, qui adhuc quodammodo stare videtur, quamvis et ipse sit minoratus, sed spiritualem totius Christianitatis statum subversum: intelligunt quia numquam talis fuit tribulatio spiritualis, qualis facta est nunc ex tempore haeresum corrumpentium universa. Perierunt, sicut diximus, omnes in diluvio, sed corporaliter perierunt. Perierunt omnes spiritualiter ante Christum, praeter Judaeos, sed ignorantia perierunt: nunc autem in scientia perierunt, et pereunt. Multum enim interest inter illos, qui in ignorantia sunt, et in ignorantia perierunt: et inter istos, qui in veritate quidem nati sunt, propter aliquid autem mundiale scientes ad mendacia transierunt, et perierunt in eis, et pereunt. Illi enim forsitan aliquo modo habebunt remissionem; isti autem nullam remissionem habebunt, neque in hoc saeculo, neque in futuro: quoniam ipsi sunt qui blasphemaverunt, et blasphemant in Spiritum sanctum. Illi enim judicandi sunt, quia veritatem non quaesierunt: isti autem condemnandi, quia spreverunt. Levior enim culpa est veritatem non apprehendere, quam contemnere apprehensam. 22. *Et nisi Deus breviasset dies illos, non fieret salva omnis caro*. Abbreviabuntur dies, ut atrocitas

Commented [p299]: Col.914

tribulationum breviata compendio temperetur. Breviatos autem dies intelligimus, non mensura, sed numero. Sicut enim longitudinem dierum, quam dicit propheta, *Domum tuam decet sanctitas in longitudinem dierum* (*Psal*. 92. 5), non per longos dies intelligimus, sed multos: sic et breviati dies non breves dies sunt intelligendi, sed pauci. *Omnis caro*. Frequenter enim Scripturae pro hominibus animas ponunt: sicut ibi, *Septuaginta animae intraverunt in Aegyptum* (*Deut*. 10. 22). Frequenter pro hominibus dicitur caro, sicut ibi, *Orationem meam exaudi, ad te omnis caro veniet* (*Psal*. 64. 2). Quando ergo et animas appellat, spirituales et perfectos homines vult ostendere: ubicumque autem carnem, carnales homines et infirmos. Ergo dicendo, *Non fieret salva omnis caro*, vult nobis ostendere, quia non solum spirituales homines et perfecti, sed etiam mediocres homines et infirmi de illo persequutionis periculo sunt liberandi, non virtute fidei, aut merito operum suorum, sed velociter subveniente Christi adventu. Non enim propter peccatores dimittit diutius, ut etiam electi periclitentur, sed propter electos festinaturus est, ut neque mediocres deficiant: quia promptior est Deus ad liberandos bonos, quam ad perdendos malos. Nam et aurifex, si invenerit aurum sordibus mixtum, non propter sordes etiam aurum contemnit, sed propter modicum aurum contentus est etiam sordes accipere. Sed et semper dies mali sanctorum abbreviantur. De iniquis scriptum est: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal*. 54. 24). De justis autem: *Non dabit in aeternum fluctuationem justo* (*Ibid*. *v*. 23). Accipe autem mihi ad documentum ipsa tempora anni. Ab aequinoctio vernali duodecimi mensis incipiunt paulatim tepescere aeres per singulos dies, usque ad mensem tertium, et dies fieri noctibus longiores; item ab aequinoctio autumnali mensis septimi incipiunt paulatim iterum frigescere aeres per singulos dies, et noctes fieri longiores diebus usque ad mensem nonum, quando celebratur Christi natalis; et sic inveniuntur novem quidem mensibus aeres quidem temperati, et dies prolixiores, tribus autem mensibus aeres glaciales, et dies breves. Vides quomodo Deus misericorditer dispensavit, ut dies quidem mali inveniantur et pauci, boni autem plures et longi. Si ergo statum mundi hujus, qui ad usum omnium hominum communis habetur, sic Deus misericorditer dispensavit: quanto magis statum vitae eorum cum majori dispensat misericordia, ut et voluntas eorum in malis tentata clarescat, et virtus voluntatis eorum velociter Deo subveniente non patiatur defectionem? Secundum quod et Apostolus dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis sustinere, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis evadere* (1. *Cor*. 10. 13).

23. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Qua ratione supra quidem, priusquam de abominatione desolationis exponeret, sic dicit: *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia Ego sum Christus* (*Matth*. 24. 4. 5); hic autem, postquam de abominatione desolationis statura in loco sancto loquutus est, ita dicit: *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Si memor es quia abominationem desolationis interpretati sumus staturam in loco sancto hanc impiam haeresim occupaturam loca Christianorum, intelligis quoniam eleganter est dictum. Per hanc enim significabat quomodo et priusquam haeresis ista abominationis loca sancta obtineret, et priusquam diversarum haeresum constituerentur Ecclesiae, seductio quorumdam erat futura: sicut et factum est. Et postquam obtinuisset, et haeresum diversarum Ecclesiae constitutae fuissent, eo amplius seductio quorumdam erat futura: sicut et fit. Nam prius nudi dogmatum sermones faciebant errorem, nunc autem multarum haeresum ipsae Ecclesiae constitutae. Ideo tunc uniuscujusque dogmatis

Commented [p300]: Col.915

nudum verbum dicebant: Ego sum verbum veritatis, Ego sum Christus. Nunc autem singulatim professores haeresum diversarum dicunt, *Ecce hic est Christus*, id est, Ecclesia, *et illic*, id est, Ecclesia: quia jam non audiendo dogmatum verba, sed videndo eorum Ecclesias, Christiani scandalizantur infirmi. Adhuc autem de Antichristo ostendit per haec verba, quia in illo tempore sancti in multis tribulationibus constituti, fortiter desiderabunt Christi adventum, jam non sustinente carnis natura. Aliquoties diximus, quod diabolus non ingerat genus tentationis in hominem, sed desiderium uniuscujusque considerat, et secundum quod viderit hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi. Unde et Christum cum esurientem sensisset, tentavit in fame. Et Adam et Hevam cum vidisset divinitatis amorem habentes, divinitatis promissione seduxit. Et Judam cum invenisset avarum, pecuniae cupiditate ad proditionem Salvatoris attraxit. Sampsonem cum invenisset amatorem feminarum, per mulierem praecipitavit (*Judic*. 16). Sic ergo et tunc diabolus videns sanctos in angustiis constitutos, et fortiter desiderantes Christi adventum, primum quidem propter intolerabiles persequutiones, deinde propter repromissionem temporis illius de adventu Christi, quae facta fuerat in Scripturis, ideo sub nomine Christi et prophetarum tentabat seducere sanctos. Et quos diversis cruciatibus non potuit superare, victus in sua crudelitate, armabat se fraude, dicens per suos ministros: *Ecce hic est Christus, ecce illic*. Nam quando aliqua rerum conturbatio fit, tunc abundant mendacia. Unusquisque enim dum aut timet adversa, aut desiderat prospera, ipse sibi novas generat famas. Et ita diabolus suspensas animas hominum inventa occasione deludit, hoc nuntians in auribus hominum, hoc ostentans ante oculos eorum, quod unumquemque aut timere aut desiderare cognoverit. Sicut enim aegrotus in doloribus positus, omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium, facile credit, non dijudicans personas medicantium, neque discutiens artificia eorum: ipsa enim doloris anxietas omnia omnibus credere cogit: sic et tunc sancti in necessitate persequutionum positi, et quasi aegroti, desiderantes refrigerium Christi, omnibus referentibus aliquid de Christo, facile credent. Ipsa enim pressurae necessitas credere cogit. 24. *Exsurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna*: non inutilia, neque vana, quae ministri diaboli facere solent: sed *magna*, id est, utilia et plena, quae sancti facere solebant. Nam in tempore quidem apostolorum et postmodum, ministri quidem Christi utilia et plena signa faciebant ex parte dextra: qualia sunt, caecos illuminare, et alia hujusmodi facere: ministri autem diaboli inutilia faciebant, et vana ex parte sinistra, quae admirationem quidem videntibus excitarent, ad utilitatem autem nullius proficerent. Et erat inter ministros Christi et ministros diaboli ex hoc judicare, qui inutilia, et qui utilia facerent signa. In fine autem temporis concedenda est potestas diabolo, sicut in historia Clementis Petrus exponit, ut faciat signa utilia, et ex ea parte qua prius facere consueverant sancti, ut jam ministros Christi non per hoc cognoscamus, quia utilia faciunt signa, sed quia omnino non haec faciunt signa. Qua autem ratione hoc ordinavit Deus, attende: quia non semper tempus vocationis est, sicut ait Sapientia: *Tempus congregandi lapides, tempus dispergendi* (*Eccle*. 3. 5). Tempus ergo fuit congregandorum lapidum, quando lapides vivi, id est, fideles, ab infidelitate vocabantur ad fidem. Tempus autem erit dispergendi lapides, quando Ecclesia tradetur ad tentationem, ut lapides, id est, Christiani, qui non proficiunt in aedificationem corporis Christi, foras projiciantur. Donec ergo fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa et servi Christi: quia signa divinae vocationis testimonia sunt, ut praedicationis veritas miraculis commendetur; cessante autem vocatione, incipiet seductio revocans homines a

Commented [p301]: Col.916

fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adjutoria diabolo, id est, potestas faciendorum signorum, ut signis et prodigiis mendacia sua pro veritate commendet. Sed forte dicis: Si Deus concessit diabolo virtutem faciendorum signorum, quomodo ipse mandat, ne seducantur sancti? si ergo non vult ut seducantur, ut quid diabolo dat seducendi virtutem? si autem vult ut seducantur aliqui, quare omnibus mandat ne seducantur? Audi. Concedit diabolo seducendi virtutem, ut ne mali inter bonos remaneant apud Christum: mandat autem, ut ne boni inter malos transeant ad diabolum. Nam sicut crudele est fideles cum infidelibus perire, sic indignum est fideles cum infidelibus glorificari. *Ita ut in errorem mittant, si fieri potest, etiam electos*. Non dixit, Ut seducant, si fieri potest, etiam electos, sed, *In errorem mittant*. Frequenter enim sancti videntes aliquas operationes diaboli absconditas sub specie pietatis, dum non possunt intelligere profundas insidias inimici, conturbantur in corde suo, ac scandalizantur, et dicunt: Quid sit hoc quod ita fit? Non tamen cito flectuntur, ut credant: et si sensu vincuntur quasi homines, fide autem stant quasi invicti. Magnitudinem autem signorum ostendere volens, ideo dicit, *Ut, si fieri potest*: quoniam quantum ad magnitudinem signorum illorum potest fieri ut seducantur etiam electi: sed ideo non seducuntur, quia perire non possunt, quos Deus praeordinavit ad vitam. Dum ergo signorum magnitudinem praedicit, in conservandis fidelibus, Dei potentia demonstratur. Et de tempore haeresum nihilominus conveniunt intelligi haec. Falsi enim Christiani sunt falsae veritates haeresum: falsi autem prophetae, praedicatores veritatum falsarum. Dant autem signa, eadem facientes in simulatione, quae faciunt fideles in veritate. Nam et castitati student, et jejunia celebrant, et eleemosynas faciunt, et omnem ecclesiasticum canonem supplent. Aut non tibi videntur magna esse signa seductionis, cum videas diabolum facientem opera Dei? 25. *Ecce praedixi vobis*. Contestationis verba sunt haec, ut ne aliquis dicat, Vidi eum talia facientem signa, qualia ipse Christus fecit, et ideo credidi, existimans illum esse Christum. Propterea dicit, *Ecce praedixi vobis*: ut excusationem ignorantiae tollat ab hominibus, et praecedens contestatio justam faciat poenam sequentem. Misericordia enim est, mandatis praevenire periculum. Non enim vult quempiam perire, qui omnibus monstrat perditionis adventum. 26. *Si autem dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere*. Hoc nunc tertium de cavendis seductionibus dat mandatum. Primum est, *Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus*. Secundum, *Tunc dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere*. Tertium, praesens, dicens: *Si dixerint vobis, Ecce in solitudine est, nolite exire: ecce in domibus, nolite credere: Ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Matth*. 18, 16), ut trina denuntiatio inexcusabilem faciat negligentem. Primum ergo mandatum dedit de seductionibus futuris, priusquam abominatio desolationis constitueretur in loco, et priusquam haeresum aedificarentur Ecclesiae. Secundum autem de seductionibus post futuris, sicut jam diximus supra. Tertium vero manifestissime de tempore furentis Antichristi, dicens: *Si quis vobis dixerit, Ecce in solitudine est, nolite exire*. Seducere enim vos volunt. Sed dicat aliquis, Quid enim? si fideles tunc non exierint in desertum, aut non intraverint in domos: numquid per hoc ipsum poterunt declinare periculum, maxime cum tunc Antichristus universa ubique contineat, et intus et foris, et in civitate et in deserto? Sed vide quoniam haec dicens ostendit, quia tunc fideles latentes erunt in locis quibusdam secretioribus, Deo eos abscondente potius quam loco, sicut scriptum est: *Abscondes in abscondito vultus tui a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum*

Commented [p302]: Col.917

(*Psal*. 30. 21). Praemonet ergo eos, ne forte tunc audito Christi adventu, per homines seductores procedant ad palam, et aut in deserto comprehendantur egressi, aut in domibus concludantur ingressi. Quid enim faciat in solitudine Christi adventus? numquid magis amat solitudines locorum, quam congregationes hominum? aut numquid homines timet, ut in solitudine lateat? Si enim quando passurus advenit, non timuit reges aut judices, sed inter impios populos praedicavit pietatis sermonem: quomodo tunc timebit, cum venerit judicare peccatores? Si quis vobis dixerit, *Ecce in domibus, nolite credere*. Injuriam enim facitis Divinitati, si in domibus illam quaeritis, quae implet caelum et terram: aut si latere putatis qui venit superbis resistere, et humiles exaltare. In primo enim adventu ideo celatus venit corpore, ut probaret fideles: in secundo autem adventu veniet manifestus in gloria, ut remuneret fidem eorum. Ideo tunc necessarium erat ut quaereretur: nunc autem non est quaerendus ut credatur, sed quaerit ipse a quibus creditus est. Spiritualiter autem de novissimis temporibus haec ita sunt exponenda. Sunt haereses, quae mendacia sua quodammodo Scripturarum colorant auctoritatibus: quaedam autem, quae omnino ita contra Scripturas habentur, ne colorare valeant mendacia sua de Scripturis divinis. Solitudines ergo appellat haereses illas, quarum dogmata omnino deserta sunt a Scripturis. Domus autem, haereses quae Scripturarum colorantur exemplis, quamvis non sint domus verae, tamen vel videntur. Aut ita: Domus dicit haereses, solitudinem autem Judaeam, secundum quod scriptum est de illa: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth*. 23. 38). Aut ita: Solitudines dicit omnes haereses desolatas a veritate, domus autem Ecclesias Christi: ac si dicat: Non dico, Si dixerint vobis. Ecce in haereticis Ecclesiis illis, vel in illis apparuit Christus, sed etiamsi in ipsis veris Ecclesiis, quae et Dei sunt, id est, domus vestrae, dixerint vobis Christum apparuisse, nolite eis credere dicentibus ista de me, quia non est digna divinitatis meae notitia haec: ostendens per haec, quomodo ex ipsis Ecclesiis veris frequenter exeunt seductores, propterea nec ipsis omnino credendum est, nisi ea dicant vel faciant, quae convenientia sunt Scripturis. Vos ergo nolite exire, nolite credere. Non mandat illis, ut ne exeant de domibus, vel civitatibus. Nec in domo enim, aut in civitate sedentibus sanctis, ista dicenda sunt: sed, Nolite exire de regula veritatis, quam tradidi vobis: nolite credere: quia sicut fumus ante ignem praecedit, ante victoriam pugna: sic et ante gloriam Christi, tentatio Antichristi. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, ita erit adventus Filii hominis*. Manifestum et velocem adventum Christi ostendere volens, fulguris similitudinem introduxit. Sicut enim cum exierit fulgur, non solum videtur ab hominibus, sed adhuc secundum qualitatem fulgoris sui non digne aspicitur: sic et cum venerit Christus, non solum eum omnes aspicient, sed secundum mensuram gloriae ejus neque poterunt eum sufficienter aspicere. Et non solum magnitudo ejus omnem locum implebit, sed adhuc magnitudine ejus deficiet omnis locus, sicut scriptum est: *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Alluxerunt fulgura ejus orbi terrae; vidit, et commota est terra* (*Psal*. 96. 3. 4). Quem ergo peccatores videbunt, etiam nolentes: quomodo non videbunt eum sancti desiderantes? Et sicut in ictu oculi fulgur universa pertransit, sic et Filius Dei, non veniens adhuc, sed etiam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacumque parte caeli fuerit, ubique appareat quasi praesens: quanto magis Sol spiritualis Christus, cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur? Apostolus autem ait: *Quem suis temporibus ostendet beatus, et solus, et potens* (1. *Tim*. 6. 15): non dixit, Quem mittet. Christus enim, cum sit ubique, non venit ab loco ad locum,

Commented [p303]: Col.918

sed ubique ostenditur, qui erat celatus ubique. 28. *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilae*. De vulturibus enim dicit Scriptura in Job, quoniam ubicumque fuerit corpus, illic invenientur vulturum pulli (*Job* 39. 30). Hoc enim naturale est vulturum, sicut dicunt quidam, ut etiam transmarina cadavera sentiant. Quoniam ergo turpes aves sunt vultures, ideo vulturinis quidem moribus aptavit nomina aquilarum, ut in moribus quidem vulturum, sanctorum congregatio ostendatur ad Christi adventum, in aquilis autem regalibus, regalis sanctorum dignitas ostendatur. Ideo enim sancti aquilis assimilantur, quia sicut filii aquilarum ad solem probantur, ut siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios solis, intelligantur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscantur adulterini: sic et filii Dei ad Christi justitiam comprobantur: si enim potuerint pleno corde justitiae verba suscipere, intelliguntur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo*. Patrefamilias moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis: sic et humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa caeli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosis tenebris vestientur. Nam *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum*: aut propter indignam persequutionem sanctorum dolentes, aut super impiorum pessima opera indignantes, aut novissimam in eis Dei iracundiam demonstrantes, ut adhuc viventibus impiis super terram, jam gustus detur infernalium tenebrarum. Sive hoc, sive illo modo, merito nox interveniens inter diem et diem, praedicet, quia post modicum nova dies resurrectionis est nascitura. Dividetur enim, ne istius saeculi et illius una videatur esse natura. Sicut enim omnes carnales morimur, ut surgamus: sic et illa dies tenebris interciditur quasi quadam morte, ut nova iterum renascatur. Aut certe quia spiritualiter iniquitas nox intelligitur, justitia autem dies. Ex nativitate autem Christi lux orta est, dicente propheta: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia* (*Psal*. 29. 6). Mane Christi tempus vocatur. Haec dies justitiae in exitu mundi finitur, iniquitatum et errorum tenebris obscurata. De qua et Dominus ad apostolos dicit: *Ambulate dum lumen habetis, ne vos tenebrae comprehendant* (*Joan.* 12. 35). *Sol obscurabitur*, id est, notitia Christi silebit. *Luna non dabit lumen suum*, id est Ecclesia sanctitatis suae claritatem non demonstrabit. *Stellae cadent de caelo*, id est, qui videntur sancti transgredientur, et cadent de dignitate caelesti. Nam quod de diabolo dictum est, *Quomodo cecidit Lucifer de caelo, qui mane oriebatur* (*Isai*. 14. 12)? sic interpretantur apostoli, vel sancti, non de altitudine caeli ad terram, sed de angelica dignitate ad ignominiam tenebrarum. Quomodo autem multi transgredientur Christianorum, significat Daniel: *Et de eruditis*, inquit, *cadent multi* (*Dan.* 11. 35). Sicut ergo tempestas suscitat nubila, nubila autem cooperiunt solem: sic impiorum persequutio suscitabit transgressionem, transgressio autem Christianitatis obscurabit candorem. Unde propheta dicit in alio loco: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem* (*Joel* 2. 31): id est, Ecclesia, aut propter assiduam occisionem sanctorum, aut quia ipsi Christiani contra justitiam Christianitatis inter seipsos furentes bellabunt. Hoc et si de tempore haeresis hujus scriptum intelligatur, expositionem habet convenientem. Quomodo? Ex quo obtinuit haeresis ista sanctum Ecclesiae locum, quasi abominatio desolationis, et Antichristi exercitus constituta, Christi solis veritas est obscurata: Ecclesia fidei suae splendorem non potuit dare clarum, et Christiani multi, qui erant stellae rationabiles, ceciderunt a firmamento Scripturarum sanctarum. 30. *Tunc apparebit signum Filii*

Commented [p304]: Col.919

hominis in caelo. Quidam putant crucem Christi ostendendam esse in caelo: verius autem est, ipsum Christum in corpore suo habentem testimonia passionis: id est, vulnera lanceae et clavorum; ut impleatur illud quod dictum est, Et videbunt in quem pupugerunt (*Apocal*. 1. 7). Denique in quo loco praesens evangelista ponit, dicens: *Apparebit signum Filii hominis*: alii evangelistae hoc solum dixerunt: *Et videbunt Filium hominis venientem* (*Marc*. 13. 26. *et Luc*. 21. 27): videlicet ostendentes signum Christi esse ipsum corpus Christi, qui in signo corporis sui cognoscendus est, a quibus crucifixus est. Unde in Actibus ad apostolos angelus sic dicit: *Hic Jesus, qui receptus est a vobis, sic veniet iterum, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum* (*Act*. 1. 11). Non sic portatus in tali nube: nec enim cum tali gloria ascendit, cum quali venturus est judicare: sed, *Sic veniet*, hoc est, similiter cum hoc corpore, cum quo ascendit. Vides ergo, quia quasi signum datur apostolis corpus ejus, dicens: *Sic veniet*.

Vulnera Christus quare servavit. – Vis autem scire quia ad signum passionis suae vulnera corporis sui servavit? Audi post resurrectionem dicentem ad Thomam: *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas: et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan*. 20. 27). Qui mortuum corpus suum suscitavit, qui tulit costam de latere Adae, et supplevit carnem: numquid etiam non potuit corpus suum sanare, et integrum suscitare? Sed corpus quidem suscitavit, vulnera autem ejus servavit, ut in die judicii proficerent ad testimonium passionis contra Judaeos, et omnes, qui denegantes Filium Dei crucifixum in corpore, judaizant. Propterea quasi manifesto signo convenienter subjungit, dicens: *Tunc plangent se omnes tribus terrae*. Plangent enim se Judaei, videntes viventem et vivificantem, quem quasi hominem mortuum aestimabant, et convincentes se corpore vulnerato, scelus suum denegare non poterunt. Plangent se et gentiles, qui vanis philosophorum disputationibus decepti, irrationabilem stultitiam putaverunt esse, Deum colere crucifixum, et detulerunt creaturae gloriam Creatoris. Lugent et Christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quam Christum, cum audierint eum haec verba dicentem ad se: Ego propter vos homo factus sum. Propter vos alligatus, et delusus, et caesus, et crucifixus sum. Ubi est tantarum mearum injuriarum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum. Ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei debetis? Ego super gloriam meam vos habui, cum essem Deus, apparens homo, et viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terrae amplius dilexistis, quam justitiam meam et fidem. Plangent se haeretici, qui purum hominem crucifixum dixerunt, cum viderint ipsum esse judicem, in quem compunxerunt Judaei. Quomodo enim arguat Judaeos quasi interfectores Filii Dei, si non Filius Dei, sed purus homo est crucifixus? Et tunc plangent se omnes tribus terrae, quia nec resistendi virtus est contra eum, et fugiendi nulla facultas ante faciem ejus, nec poenitentiae locus: ex angustia omnium rerum nihil eis remanet praeter luctum. Merito plangent se, quia tunc neque pecuniae divitibus prosunt ad eleemosynam faciendam, neque parentes justi pro parentibus intercedunt, neque ipsi angeli pro hominibus, sicut solebant, faciunt verbum: quia non recipit natura judicii misericordiam, sicut nec tempus misericordiae judicium, dicente propheta: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal*. 100. 1). Misericordia in priori adventu, judicium in secundo. In priori adventu, volentibus apostolis ignem de caelo deponere, dixit: *Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim hominis non venit judicare mundum, sed salvare* (*Luc*. 9. 55. 56). De secundo autem sic dicit: *Nam Filius hominis veniet in majestate Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Et videbunt*

Commented [p305]: Col.920

Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria multa (*Matth*. 16. 27). 31. *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis*. Si quando rex terrenus quando processum aliquem aut expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, et exercitus exercitatur, tota civitas fervet: quanto magis Rege caelesti exsurgente judicare vivos et mortuos, virtutes angelicae commoventur? Terribiles ministri terribiliorem Dominum procedentes: Cherubim et Seraphim praeparentur ad sedem unius, et rationabilis thronus vivam sapientiam portaturus. Nec enim potest esse res mortua, quae bajulat vitam. Ante ipsum pro candelabris fulgura viva praecedent, et pro tubis horrenda tonitrua. Qualis rex, talis est praeparatio regis. Vere magna vox tubae terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, quae petras scindit, inferos aperit, clausuras tenebrarum pertransit, portas aereas conterit, vectes adamantinos et ferreos confringet, vincula mortis dirumpet, et de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat. Haec omnia citius consumet in opere, quam sagitta transit in aere, dicenteApostolo: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Tuba enim canet, et mortui resurgent incorrupti* (1. *Cor*. 15. 52). In illa voce pulvis jam dissolutus corporum mortuorum in nova membra constringitur. In illa voce quasi una persona obnoxia totum mare discutitur, ut si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat. In illa voce a quatuor partibus mundi spiritus congregatur, qui resuscitet populum dormientem. 32. *A ficu autem discite parabolam*. Quare non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem aestatis? Quia postquam aliae arbores vernare coeperint, frequenter evenit ut accedens frigus praecidat aestatem, et iterum arbores indurescunt: ficus autem, quia pene post omnes arbores vernat, difficile post ficum frigus intervenit. Ideo ergo sic comparata est Ecclesia illi tempori, propter indubitabilem saeculi novi adventum. Sed quae est ista assimilatio rei, videamus. Ficus bono verni temporis temperamento mollescit ad folia, Ecclesia autem miserabili persequutione afflicta compellitur ad mortem. Sed Dominus hanc assimilationem jucunditatis ex ficu non ad afflictionem corporalem retulit, sed ad spiritualem profectum animarum. Nam quando carnalia hominis affliguntur, tunc spiritualia ejus florent, sicut ait Apostolus: *Et vos suscepistis verbum Dei in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti* (1. *Thess*. 1. 6). Sicut enim vernali flatu arbores laxantur in folia et fructus: sic persequutionibus excitantur animae ad virtutem. Ideo autem semper ficus Ecclesiae similatur: quia sicut ficus sub uno cortice plurima grana intra viscera dulcedinis inclusa constringit: sic Ecclesia sub uno corpore multos Christianos intra viscera suae caritatis congregatos complectitur. Deinde et alia ratione. Omnis arbor pene in uno tempore fructum praebet: nam intra paucos dies et maturescunt, et cadunt; ficus autem ex quo coeperit fructus afferre, usque ad hiemem fructificare non cessat: nam alii colliguntur maturi, et alii hinc procedunt. Sic Ecclesia ex quo coeperit sanctos offerre, usque ad finem saeculi non cessabit. Nam per singula tempora alii dormiunt, alii autem nascuntur. De hac autem ficu sub alia specie interpretationem fecimus apud Marcum, aestimantes ubique quod verum est, non affirmantes: ut secundum quod visum fuerit unicuique, hoc probetur. 34. *Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant*. Res dubia semper facit hominem negligentem. Nam quod sine dubio venturum nobis esse cognoscimus, ad id nosmetipsos magnanimiter confortamus. Ne ergo audientes apostoli, certum periculum pro incerto suscipiant, et dubitantes de ejus adventu, semetipsos in negligentia ponant ideo sermonem suum juramento confirmans dicit: *Amen dico vobis, non transibit generatio haec, donec omnia fiant*. Quia contra magnum periculum magna

Commented [p306]: Col.921

praeparatio est necessaria: magna autem praeparatio assiduam admonitionem requirit, et cautam. Et sciendum est, quia non illud vult Christus apostolis suis ostendere, quia jam in continenti futura est tentatio illa, sed quia omnino futura est. Ergo non illos homines dicit, qui illo in tempore fuerant nati, sed familiam gentis ipsius. *Generatio ista*: id est, aut facientium hanc tentationem, aut patientium, aut peccatorum hominum, aut daemonum qui operantur in eis. Nam utrique non cessabunt esse in saeculo, donec consummatio fiat, ut dicat illis, *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth*. 25. 41). Necesse est enim, ut quamdiu fides tentatur, tentatio reservetur. Aut certe Christianorum generationem dicit, id est, Generatio ista mortalis non transibit ad immortalitatem: *Donec*, id est, nisi haec fuerint consummata, ut postea immortalis et impassibilis fiat. 35. *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Quia caelum et terra ad ministerium vestrum creata sunt, verba autem mea ad gubernationem vestram disposita. Caelum et terra vanitati subjecta sunt, dicente Apostolo: *Vanitati enim creatura subjecta est* (*Rom*. 8. 20). Naturaliter autem veritas nescit mentiri, nec potest aliquando perire.

Homilia l. ex capite xxiv. (col.921-4)

36. *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, neque Filius, nisi solus Pater*. 37. *Sicut enim in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.* 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam,* 39. *et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis*. Usque nunc exposuit signa consummationis, praecedentia ante consummationem: nunc docet, quia subitus veniet novissimus mundi interitus hominibus nihil adhuc tale fieri suspicantibus, secundum quod dicit et Apostolus: *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus* (1. *Thess*. 5. 3). Et de die illo incerto ad cumulum etiam seipsum ponit dicens: *De die autem illa et hora nemo scit*. Id est, non solum aliquis hominum, sed neque angelorum quisquam, *nec* ipse *Filius, nisi solus Pater*: ut nemo ferat moleste, quia diem illum Deus posuit in incerto, cum de ipso sit Filius incertus. Simile aliquid scriptum est et in Actibus apostolorum. Nam cum interrogassent eum discipuli ejus, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel* (*Act*. 1. 6. 7)? respondit eis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate*. Opportune ex hoc loco convenit admonere, cum multi homines, maxime qui videntur docti, cum interrogati fuerint aliquam quaestionem, si contingeret eos ignorare quod quaeritur: erubescentes ne videantur aliquid ignorare, quia totum scire putantur, colorant falsa pro veris, et dicunt aliis, quod non audierunt a Christo. Propterea considerantes hunc locum, non deberent erubescere aliquid mysteriorum Dei se ignorare, cum legant, ipsum Christum non erubescentem suam ignorantiam confiteri ad respondendum, quia *De die illa et hora nemo scit, neque angeli, neque Filius*: maxime cum sit mysteriorum Dei multa profunditas: nec tamen mentitur, quando ipsum quod scit, a Patre accepit. Merito suam scientiam denegat, quae non ex eo: sicut et alibi cum esset bonus, bonum se denegavit, quia bonitas ejus erat ex Patre. Et ne propter dispensationem humanam aestimetur scire se negasse, non dixit, Neque Filius hominis: quia secundum divinitatem dixisset, non secundum humanam naturam. Nam inter Filium Dei et Filium hominis nihil interest. Ecce

senectutis signa cognoscimus, diem autem ultimum ignoramus: sic et labentis signa scimus, finem ejus non agnoscimus. Sicut enim quando videmus hominem senem, scimus quia propemodum moriturus est, quando autem, nescimus: sic et mundum quando perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diem autem ignoramus. Mysterium Dei scire expedit quidem hominibus. Nam et servus fidior fit circa obsequium domini sui, cum coeperit secreta sua committere. Sed illud scire bonum est, quod proficit ad aedificationem scienti: hoc autem scire, quod nihil nobis prodest, magis nocet, et superfluum est. Deus ergo, quia non omnia mysteria dicit hominibus, non invidet scientiae nostrae: sed quia non omnium mysteriorum scientia nobis prodest. *Sicut enim in diebus Noe, sic erit et adventus Filii hominis. Sicut erant in diebus ante diluvium manducantes et bibentes, et nubentes, et nuptui tradentes*. Quod dicit, Sicut fuit in diebus Noe, manducabant et bibebant, nubebant et nuptui tradebant: non vetat manducare, aut bibere, aut nubere. Nec enim fas est ut destruat quod ipse constituit: sed jubet nos, ut quod carnaliter facimus, ad Dei gloriam facientes, spiritualiter faciamus, ut carnalia nostra propter spirituale propositum spiritualia fiant. Quis est, qui ad gloriam Dei manducat et bibit? Qui de manu Dei accepisse aestimat quod manducat et bibit. Quis autem de manu Dei se accepisse aestimat? Qui operatur justitiam, et Deum timet offendere. Nam et servus ille quasi servus fidelis manducat in domo, qui considerat ideo accepisse a domino, ut opus domini operetur. Nam qui Deum non timet offendere, ille sine dubio non aestimat a Deo se accepisse quod bibit; sed propter hoc solum manducat, quia caro est. Quis autem est, qui ad gloriam Dei nubit? Qui nubit aut propter desiderium bonorum filiorum, aut periculum peccati timens. Quis est, qui propter desiderium bonorum filiorum nubit? Qui postquam habuerit filios, circa Dei disciplinam continet eos. Alioquin qui filios negligit, ille non desideravit Deo generare, sed diabolo. Quis est, qui propter periculum peccati nubit? Qui postquam nupserit, matrimonium caste conservat. Qui autem propter matrimonium indifferenter abutitur amoribus suis, ille non propter tutelam animae nupsit, sed propter abundantem lasciviam carnis. Qui ergo sic manducat et bibit, non tantum manducare et bibere videtur, quantum Dei gloriam operari: quia non sibi servit, sed Deo. Et qui sic nubit, non tantum videtur nubere, quantum Dei gloriam operari: quando non sibi, sed Deo multiplicat, et sine peccato conservat. Hoc ergo dicere vult. Sicut ante diluvium, recedente ab hominibus Dei timore, nihil faciebant homines ad gloriam Dei, sed omnia propter solam carnem: sive enim manducabant aut bibebant, non ad gloriam Dei manducabant aut bibebant, sicut mandat Apostolus (1. *Cor*. 10. 3. 4), sed propter solam voluptatem carnalem: sic erit circa saeculi finem. Sicut enim homines, qui in totum carni subjecti sunt, quamvis habeant animam, tamen solummodo carnes dicuntur, testante Scriptura: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam sunt carnes* (*Gen*. 6. 3). In quibus autem pars animae praevalet, quamvis sint carnales, spirituales dicuntur, sicut dicit Apostolus: *Vos autem non estis in carne, sed spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis* (*Rom*. 8. 9). Sic opera hominum, quamvis sint spiritualia, si facta fuerint propter causam carnis, utputa, si quis opus bonum propter homines faciat, invenitur esse carnale: et quamvis sit carnale, si propter causam spiritualem fuerit factum, id est, propter gloriam Dei, invenitur spirituale esse propter causam spiritualem. *Sicut fuit in diebus Noe* (*Gen*. 7). Id est, sic erit generalis interitus, sic subitaneus. Sicut tunc omnis creatura deleta est, sola autem area evasit, de trabibus quadratis facta, octo animas bajulans: ita et in consummatione omnes haereses interibunt, una tantummodo arca salvabitur, id est, Ecclesia Christi, de justis hominibus congregata.

Commented [p307]: Col.922

Sicut tunc quicquid fuit extra arcam, periit, sic et in fine quicumque fuerit extra unam Ecclesiam veritatis, peribit. Quae Ecclesia habet octo rectores, septem spiritus, quos enumerat Isaias (*Cap*. 11. *v*. 2. 3), et unigenitus Deus: sic et Salomon dicit: *Sapientia aedificavit sibi domum, et suffulsit columnis septem* (*Prov*. 9. 1): et ipse qui suffulsit, octavus. Subitaneus autem, non ante nuntiatus, sive ab ullo creditus. Et quid mirum, si periturum mundum audiunt et non credunt? Ecce morituros se esse quotidie audiunt homines, quotidie alios mortuos vident, et tamen non credunt se morituros. Si autem se crederent morituros, non facerent ea pro quibus moriuntur, id est, morte digna non facerent. Si ergo illud, quod quotidie fieri vident in aliis, de se futurum esse non credunt, quomodo illud credent futurum, quod adhuc numquam factum est? 40. *Tunc duo erunt in agro; unus assumetur, et alter relinquetur*. Aestimo neminem dubitare sensatum, haec praecipue in parabolis esse dicta, et spiritualiter ea intelligi oportere. Et prima quidem parabola posita est de popularibus justis, et peccatoribus. Secunda de doctoribus piis et impiis, quando omnes homines aut discentes sunt, aut docentes. Et Lucas quidem evangelista exponit de duobus in lecto, et de duobus ad molam: praesens autem Matthaeus de duobus in agro, et de duobus ad molam. Ubi enim Lucas (*Cap*. 17. *v*. 34) posuit duo in lecto ibi Matthaeus posuit duo in agro. Ex quo intelligere nobis datur, quoniam lectum et agrum ambo evangelistae id ipsum intelligere voluerunt; quoniam qui in corpore sunt, et in mundo sunt: et qui in mundo sunt, in corpore sunt. Mundus enim nihil aliud intelligitur, nisi homo; propter quod agrum intelligere convenit mundum hunc, sicut Dominus interpretatus est supra in parabola zizaniorum seminatorum in agro (*Matth*. 13. 38). Duo ergo in agro, omnes Christiani in mundo viventes eodem, non tamen iisdem actibus conversantes. Et justi quidem assumentur, peccatores autem derelinquentur. Omnes justi in uno homine figurantur, et omnes peccatores in uno. 41. *Duae molentes ad molam; una assumetur, et una relinquetur*. Quae sunt istae mulieres molentes? Puto, Ecclesiae, quarum una est, de qua Dominus dicit: *Simile est regnum caelorum fermento, quod accipiens miscuit in tribus fermenti mensuris* (*Matth*. 13. 33). Sicut enim, quamvis multi sint justi, et peccatores, tamen quoniam omnium duae sunt partes, in duabus ponuntur personis: sic et Ecclesiae haeresum quamvis multae sint, tamen omnium haeresum una Ecclesia dicitur, et una Christianorum. Una ergo mulier molens est Ecclesia Christi. Mola est orbis terrarum, propter rotunditatem suam, sicut scriptum est de ea: *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal*. 76. 19). Lapis superior est verbum veritatis, quod descendit de caelo, ut terrena omnia complectatur, et protegat simul, et premat, et molat: dicitur autem lapis, propter fortitudinem suam. Subterior autem lapis est omne verbum impietatis, quod lapis dicitur propter duritiam suam, quod de spiritu mundi a deorsum ascendit, ut suscipiat omnia desursum venientia grana, et adversetur verbo veritatis. Haec ergo Ecclesia molens, id est, praedicans, circumducit verbum veritatis, id est, superiorem lapidem caelestem; et circumducit per orbem terrarum, et circumducit super omne genus humanum, ut quotienscumque sub gremio verbi desuper miserit Deus, molat eos, id est, catechizet, et cogat eos deponere corticem veteris hominis inutilem et insuavem: ut exuti fiant pura medulla et spiritus, id est, ut jam non sint caro, sed spiritus: et fiat similago mundissima, et digna ad sacrificium Dei, secundum quod admonebat Apostolus, dicens: *Exuite vos veterem hominem, qui corrumpitur in concupiscentiis, renovamini autem spiritu sensus vestri* (*Ephes*. 4. 22. 23). Sicut ergo grana in cortice, nisi molita fuerint, et deposuerint cortices, et furfures, et processerint secundum quod sunt abintus, quamvis aquam acceperint, non conjunguntur ad alterutrum, ut fiat ex omnibus

Commented [p308]: Col.923

unus panis, quamvis et fermentatum acceperint, non fermentantur, sic et homines, nisi moliti fuerint sub verbo, id est, catechizati, ut depositis corporibus, spirituales efficiantur, quamvis et aquam baptismatis acceperint, quamvis verbum fidei fuerit missum in eos, sicut fermentum: non conveniunt in idipsum, nec possunt sapere unum, ut unum corpus efficiantur, quia moliti non sunt. Sicut ergo inter duos lapides molares teritur triticum, et separatur a cortice suo, et fit similago munda: sic fideles in medio desuper quidem urgente se verbo Dei ad fidem et justitiam, inde autem verbo impio se compellente ad infidelitatem atque peccatum conteruntur, et carnalia sua universa deponunt, et spirituales efficiuntur. Sed et illa mulier videtur molere, et verbum mendacii leve et fragile circumducit: propterea neque molet, quia non habet virtutem divinam verbum eorum, nec est lapis superior. Quomodo enim mendacium mendacio adversatur, aut iniquitas iniquitati, ut molatur aliquis inter eas? Propterea populus eorum molitus non est. Considera autem et intelliges. Si deponunt carnalia, fiunt spirituales, et moliti sunt. Si sunt in idipsum fidei, omnes moliti sunt. Si autem secundum veterem hominem sunt, si altera iterum sapiunt, quomodo moliti sunt? Desuper enim verbum veritatis non compellit eos ad fidem, quasi lapis superior; nec enim habent eum: desubtus autem verbum impietatis non tribulat eos, quia volentes requiescunt in eo. Quomodo ergo molantur, quando non stringit subterius verbum, nec premit superius? Haec ergo sumetur, quae et videtur Ecclesia, et est: illa autem relinquetur, quae videtur, et non est. Quidam autem et hoc modo exponit. Molentes sunt filii Israel, mola autem est verbum legis: quod volvunt et molunt, sunt Dei mandata in lege, quae quasi tritici grana minutatim quidem molentes, id est, quantum ad se diligenter mandata Dei tractantes, numquam tamen ex eis panem nutritorium proferentes. Panis autem nutritorius est unigenitus Deus Verbum, qui intus in mandatis Dei habetur secundum prophetiam inclusus, quem filii Israel carnaliter interpretantes numquam proferebant ad manifestum. Filiorum autem Israel molentium, una videtur quidem esse synagoga, vere autem duae sunt. Una quidem iniquorum, et secundum carnem Judaeorum: altera autem sanctorum, et secundum spiritum Judaeorum. Hanc ergo sanctorum Judeaorum et spiritualium synagogam molentem, et supervacuam, et sine profectu molam legis trahentem, assumet Deus in fine saeculi hujus jam occumbentis, et liberabit eam de mol; illam autem alteram secundum meritum infidelitatis et perversitatis ejus relinquet.

Commented [p309]: Col.924

Homilia lj. ex capite xxiv. (col.924-8)

42. *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, etc. Qua enim ratione homini absconditus est dies mortis ipsius? Videlicet, ut semper benefaciat, semper mortem suam sperans. Eadem ratione et ab omnibus hominibus absconditus est dies adventus Christi, videlicet ut non una generatio salvetur, sciens adventum ipsius, sed omnes, dum in singulis quibusque generationibus Christi adventus speratur. Ideo et interrogantibus se discipulis suis, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate* (*Act.* 1. 6. 7). 43. *Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.* Paterfamilias est unusquisque secundum animam in domo Patris sui, fur autem diabolus est: domus autem, nostra corpora: januae sunt, os et aures: fenestrae autem, oculi. Sicut ergo per januas et

fenestras cito ingreditur latro, et spoliat patremfamilias: sic per os et aures et oculos hominis facile invenit diabolus occasionem ad animam, et facit eam captivam: sicut et in Jeremia tale aliquid scriptum est: *Quia mors intravit per fenestras nostras* (*Jer*. 9. 21). Si vis ergo esse securus, pone seram januae tuae, id est, legem divini timoris ori tuo, ut dicas cum propheta: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal*. 38. 2). Item Sapientia docet: *Obstrue aures tuas spinis, ne audias verba maligna* (*Eccli*. 28. 28). Sed quoniam fragiles sunt nostrae serae, nisi Deus illas servaverit: quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam* (*Psal*. 126. 1): rogemus Deum pariter cum propheta: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiae* (*Psal*. 140. 3. 4). Pone seras super fenestras oculorum tuorum, ut dicas cum castissimo Job: *Posui testamentum oculis meis, ut non sentirem in virginem* (*Job* 31. 1). Item, *Si concupivi agrum proximi mei, ego seminem, et alii metent* (*Ibid*. *v*. 8). Item quia fragiles sunt serae fenestrarum nostrarum, Dominum invocemus cum propheta dicentes: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Averte oculos meos ne videant vanitatem* (Psal. 118. 36. 37). Quid ergo? nescit anima quando per istos introitus fur ingreditur super eam? Vere nescit. Et quidem quando ducitur ad peccatum, scit: quando autem ingreditur, nescit. Ideo vigilare debet, et claudere omnes istos introitus: os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus piis, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare caelestibus. Non enim sufficit, ut non loquatur, vel audiat, vel videat vel cogitet mala. Qui enim haec agit, clausit introitus suos, et implevit, et oppilavit malis adversus bona, ut ne locum habeat introeundi bonus spiritus: qui autem mala quidem deponit ab eis, bona autem non suscipit, ille dicitur apertos habere introitus. Propterea vacantes eos inveniens inimicus, intrat ad animam. Propter quod opus est, ut justi introitus non solum vacent a malis, sed etiam ut sint clausi, et pleni, et oppilati bonis adversus mala, ut malus non inveniat locum introeundi. Unde et sapienter Petrus dicit apud Clementem, quomodo debet quis incessanter quae Dei sunt cogitare et loqui: quoniam si mens fuerit in his occupata, malus non invenit locum ad mentem. Consequentur Propheta non dixit tantum: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit*; sed addidit: *sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal*. 1. 1. 2). Et Paulus cum diceret, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, non dixit tantum, Deponite mala: sed, *Suscipite omnem armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (*Ephes*. 6. 12. 13.), id est, Omnia opera bona facite. Sicut enim vas quamdiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum: si autem vacuum fuerit, recipit omne quod mittitur: sic homo quamdiu occupatus est malis, non recipit bonum: et si occupatus fuerit bonis, repellit malum: si autem nec isto, nec illo se occupaverit, id est, si neque bonis, neque malis intenderit, omnis spiritus intrat in eum. Intrans autem, non statim ducit eum ad peccatum, sed primum delectat eum in malis, et sensum desideriis carnalibus alligat, et postea ducit ad peccatum, quando jam, etsi intelligit malum esse quod facit, non potest resistere contra malum. Si ergo, te negligente domum corporis hoc modo servare, ingressus fuerit fur diabolus, et furatus fuerit vestimenta justitiarum, quibus te renatum in baptismo induit Deus: si furatus fuerit aurum intellectus tui, si divinorum eloquiorum argentum, quod forsitan cum multo fabricasti labore: si linteamina gratiarum quae tibi dedit Deus, cum te adoptaret in filium, caeterasque divitias spirituales tollens, te dormiente, feceritque te mendicum et nudum, sicut serpens Adam: quid facies? quomodo

Commented [p310]: Col.925

nudus ante conspectum Domini tui accedes (*Gen.* 3). Et ille quidem nudatus abscondit se inter ligna paradisi: tu autem sub qua scissura petrarum te abscondes a facie Domini, cum venerit confringere terram? Et Adam quidem a Deo quaesitus est et inventus, tu autem abjicieris et peribis: quia ille ignorans serpentis versutiam, per simplicitatem nudatus est suam: tu autem sciens, tot Scripturis admonitus, per negligentiam factus es nudus. Propter quod ille quidem mortalitate vestitus est ad tempus, tu autem in aeternum ipse tradendus es morti, maxime si te comprehenderit finis, priusquam tibi per poenitentiam altera texes vestimenta. Nam prima gratis praestatur a Deo: secunda autem vix, et cum nimio reparatur labore et luctu, quomodo haec parabola est. Veniamus itaque ad ipsam parabolae causam. Omnis homo, si sciret, quando dies Domini venturus est super eum sicut fur (sed insperate veniens sicut fur), praeveniret, et non sineret perfodi domum suam. Non dico quia repelleret a se furem, sed faceret justitiam, ut veniente sententia Dei, non perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi jam praeparatus ad exitum. Quando animae peccatrices delectantur in corpore, et tamquam in suo proprio domicilio gaudent, veniens cum sententia Dei angelus mortis perfodit corpus, et animam violenter divellit ab eo: animae autem justae, quae non delectantur in corpore, sed quasi in exsilio sunt, in eas veniente sententia, non perfodiuntur, sed vocantur gaudentes. 45. *Quis enim fidelis servus et prudens, quem constituit dominus ejus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Cum de vigilante et non vigilante super domum suam Dominus loqueretur, sciens quoniam plerumque sacerdotes mali populum obdormire faciunt in peccatis, boni autem excitant a negligentiae somno, et faciunt vigilare in operibus bonis: quasi assidua tuba doctrinae suae excitans ad bona opera animas auditorum, consequenter de bonis et justis sacerdotibus introducit sermonem, dicens: *Quis est fidelis servus et prudens?* Si enim paterfamilias super possessionem suam villicum ponit, ut non cum singulis colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exigat rationem: si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio fuerit foeda, unusquisque pro suo delicto reus efficitur, villicus autem pro omnium delictis; et si bene reditum suum reddiderint, unusquisque quidem pro sua fide laudatur, villicus autem pro fide omnium remuneratur: sic et Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, ut actuum eorum ipsi discutiant rationem. Ideoque peccante populo unusquisque quidem pro suo peccato punitur, sacerdos autem pro peccatis omnium. Et bene agente populo unusquisque quidem pro suo bono remuneratur, sacerdos autem pro bonis omnium. *Quis est servus fidelis et prudens?* Rem quidem laudabilem proponit, rarissimam autem, ut quis fidelis inveniatur et prudens. Ecce si quaeras fideles, id est, Deum timentes: et ipsos quidem non multos invenies, tamen adhuc facile invenis; item si prudentes quaeras, invenies multos: fidelis autem et prudens difficile invenitur: quomodo qui fideles sunt, id est, Deum timentes, difficile sunt et prudentes: et qui prudentes inveniuntur, difficile sunt et Deum timentes. Quanto ergo rarior invenitur fidelis et prudens, tanto qui inventus fuerit, beatior est. Prudentem autem dic, non scientem et doctum, sed sensatum et mente acutum, qui potest rerum ponderare naturas, et secundum quod potest, rationabiliter omnia agere. Plerique autem sunt habentes scientiam multam, sed nec se sapienter regunt, nec scientiam suam sapienter dispensant. Et omnis quidem prudens potest et scientiam habere ex parte, non autem et omnis sciens sapientiam potest habere: quoniam sapientia uniuscujusque in actu probatur, scientia autem in sermone. Fidelis quidem quaeritur propter Deum, ut timeat Deum: prudens autem propter homines, ut populum Dei sapienter gubernet. Quoniam ergo Deo non tantum prudentia hominis, quantum conscientia placet: hominibus autem non tantum conscientia, quantum sapientia

Commented [p311]: Col.926

prodest: si fuerit tantum quis fidelis, laicum quidem facit, sacerdotem autem non facit, nisi fuerit fidelis et prudens. Ergo fidelis quaeritur, ut faciat priusquam dicat: prudens autem, postquam fecerit, dicat, et dicat intelligens cui qualis doctrina conveniat, et quando. Item fidelis quaeritur, ut memor sit pauperum, sicut Paulus (*Rom*. 15. 26): prudens autem, ut intelligat cui et quomodo debeat dispensare. Et hoc est quod dicit, dare cibos in tempore et spirituales et corporales: spirituales quidem animabus, corporales autem corporibus. Quoniam autem in Ecclesia non solum sunt pauperes in corporalibus rebus, sed etiam in spiritualibus multo pauperiores: *Ut det cibos in tempore*, id est, in tempore opportuno. Quid est, in tempore opportuno? Quasi est aliquod tempus, quando non est opportunum docere, cum dicat Salomon: *Doctrina et flagella in omni tempore* (*Eccli*. 22. 6). Sed puto hoc intelligendum tempus opportunum doctrinae, quomodo dicit et propheta: *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isai*. 49. 8). Quando misericordia Dei non est acceptabilis? Sed praecipue tunc est acceptabilis, quando necessitatis et angustiae tempus est: sicut et semper pluvia bona est, maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum semper suavis est, multo tamen suavior in tempore luctus: sic doctrina et consolatio sacerdotis semper opportuna est, maxime autem in tempore persequutionis. Sciens ergo Christus sanctos suos sine tentatione numquam futuros, ideo dicit, In tempore opportuno: quia qui semper aegrotat, semper illi ars medici opportuna videtur. Nam sicut navis tunc praecipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur: quando autem prosperata est, ipsa se dirigit: et miles tunc praecipue necessariam habet annonam de rege, quando bellum et periculum instat: quando autem pax est, undecumque possunt se milites sustentare: sic Ecclesiae praecipue in tempore persequutionis doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annonam: quando autem securitas est, unicuique naturalis sufficit intellectus. Nam in persequutionibus, quando naturalis ille intellectus deficit in timore carnali, necessarius est sermo doctoris: ut quod deficit in timore periculi, reparetur per exhortationem doctrinae. Sicut autem tubicen, commisso bello, pugnantem exercitum circuit, et bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem: sic et sacerdos, persequutione imminente, exponens in populo fortissimorum martyrum gloriosa pericula, et inenarrabiles regni caelestis coronas vincentibus praeparatas, Christianum populum ad virtutem patientiae vehementer accendit. Aut ita: In tempore opportuno, ut in persequutione magis instanter de veritate fidei doceamus, quam de justitia conversationis: in pace autem magis assidue de justitia conversationis, quam de veritate fidei. Quoniam in persequutionibus quidem plus necessaria est doctrina fidei, quam conversationis: in pace autem plus necessaria est doctrina conversationis, quam fidei. Quoniam in persequutionibus non propter conversationem suam bonam aut malam veniunt Christianis in periculum, sed propter fidei confessionem: in pace autem non propter fidem suam veram periclitantur Christiani, sed propter conversationem: quoniam in persequutione fides Christianorum periclitatur, in pace autem justitia. 46. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.* Quomodo? Sicut superius diximus, in fide, in sapientia, in tempore opportuno. In fide, ut credamus sic esse, sicut docemus. Ille autem credendo docet, qui facit quod docet: qui autem non facit bonum, non credit bono. Qui non credit in bono, non docet in fide: qui autem cum fide non praedicat, non solum non est beatus ille servus, sed multum infelix: quia alios quidem docet, se autem negligit. Sic prudenter, quia non semper omnia, neque omnibus omnia sunt dicenda. Frequenter illa, quae alios aedificant, alios destruunt. Sicut infantibus esca mutatur secundum

Commented [p312]: Col.927

aetatem, sic in populo secundum virtutem doctrina temperatur, praemonente Apostolo: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (1. *Cor*. 3. 1. 2). In tempore, ne importune oblata doctrina non prosit, sed noceat, sicut esca cruciat aut extra tempus accepta. 47. *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculate custodiat. Nam si super omnia opera sua pretiosiores existimat Deus animas hominum: quanto magis credibile est, ut super omnia bona sua constituat eum, qui confert Deo lucrum animarum? Non solum autem omnibus bonis suis meliorem judicat hominem, sed etiam sui ipsius impassibilitati praeposuit salutem humanam. Ideo magnus est, qui bene regit hereditatem ejus, quam proprio sanguine acquisivit. 48. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire*: 49. *et incipiat percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis*. Percutere est injuste percutere: qui autem propter justam causam percutit, etsi percutiat, percutere non videtur. Percutit enim, non ut suum dolorem vindicet, sed ut illius animam salvet. Si autem propter Deum percutere percussio esse videretur, numquam diceret Deus, *Qui parcit baculo, odit filium suum* (*Prov*. 13. 24). Nam et alibi non absolute dicit: *Qui iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio* (*Matth*. 5. 22): sed, *Qui sine causa iratus fuerit*. Sicut justa ira non est ira, sed diligentia: sic justa percussio non est percussio, sed correctio. Manducare et bibere sic intelligendum est, sicut supra interpretati sumus de manducantibus et bibentibus ante diluvium, id est, male manducare et bibere. Propter quod non simpliciter dicit manducare et bibere, sed, *Cum ebriis*: id est, cum peccatoribus, qui tenebrosorum actuum vitio ebrii sunt, de quibus et Paulus dicit: *Nam qui dormiunt, nocte dormiunt: et qui inebriantur, nocte ebrii sunt*. (1. *Thess*. 5. 7). Vides ergo, quia manducare et bibere sacerdotibus non est peccatum, sed cum ebriis manducare et bibere: id est, sic manducare, quomodo ebrii illi desiderant. Non enim jubet nos Scriptura malorum personas abominari, sed voluntates. Nam et Christus cum publicanis et peccatoribus manducavit, sed non sic quomodo publicani et peccatores volebant. Nec vitium suum aliquis Scripturae illius auctoritate defendat, quae jubet sacerdotem hospitalem esse debere. Hospitalitas enim non circa deliciosos cibos et magnos ostenditur, sed circa assiduas susceptiones impotentium peregrinorum, ut hospitalitas nostra non ab hominibus laudetur, sed a Deo sentiatur. Nam deliciosa convivia magis luxuriam accusant, quam humanitatem commendant. Dicit enim Salomon: *Ne delecteris in multa epulatione, nec in turpibus et modicis* (*Eccli*. 37. 32). Ergo nec multum permittitur, nec modicum et pretiosum. 50. *Veniet dominus ejus hora qua nescit*, 51. *et dividet eum, partemque ejus cum hypocritis et infidelibus ponet. Dividet eum*, id est, de consortio Christianorum, ut neque cum sanctis glorificetur, neque cum iis, qui mediocriter deliquerunt, mediocriter puniatur: sed junget eum cum hypocritis et infidelibus, ut quorum imitatus est mores, ipsorum puniatur interitu. Quomodo sacerdos super per omnem populum glorificatur, si benefecerit, non solum propter suam justitiam, sed propter omnium, quia causa est ipse justitiae universorum: ita et peccans super omnes punitur, non solum propter suum peccatum, sed etiam propter omnium: quia ipse causa fit omnibus ad peccandum. Ideo autem non solum hypocritas dixit, sed etiam infideles: quia si omnes quidem hypocritae infideles sunt, non tamen omnes infideles hypocritae sunt. Ecce enim gentiles infideles quidem sunt, hypocritae autem non sunt: quia non se fingunt colere Christum, cum non colant, sed manifestum sequuntur errorem. Hypocritae autem

Commented [p313]: Col.928

sunt Judaei et haeretici: illi autem, quia dicunt se Judaeos, cum non sint, sed sunt synagoga satanae: isti autem, quia fingunt se esse Christianos, cum sint Antichristi, id est, contra Christum. Item si quis videtur in Ecclesia esse, et agat contra Ecclesiam: et ille talis hypocrita dicitur esse.

Homilia lij. ex capite xxv. (col.929-34)

Commented [p314]: Col.929

1. *Tunc simile est regnum caelorum decem virginibus*, et reliqua. Notandum quod priorem quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus: tamen etsi spiritualem intellectum habeat parabola, nihil nocet interpretari cum etiam carnaliter. Tunc simile erit, cum diebus suis completis solutus fuerit mundus, cum venerit Judex omnium occultorum. Modo autem interim omnes homines nobis invicem mentimur. Alii fingunt se justos, cum sint iniqui; alii humiliant se ut peccatores, cum sint sancti: alii autem turpes actus suos usque ad mortem abscondunt, amplius homines erubescentes, quam Deum timentes, et semper sunt in vulnere, dum pro tempore nolunt apparere vulnerati. Qui autem Deum timet, homines non erubescit. Nec enim pejor potest esse timor terrenus, quam poena caelestis. Quibus simile erit? *Decem virginibus*. Quidam putant hic virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, *Ut sint sanctae et corpore et spiritu* (1. *Cor*. 7. 34). Et sapiens quidem virgo est, quae et corpore et animo virgo est, ut neque habeat virum neque habere desideret. Quid enim si aut parentes ejus propter votum suum in virginitate eam tenuerunt, cum ipsa tamen post votum nubere voluerit? quid si pro aliqua occasione quaesita non est talis? Haec si non est nupta, voluntatem tamen nubendi habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta: quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate. Quamvis frequenter, occasione necessitatis carnalis, Deus praestet hominibus misericordiam spiritualem: si tamen postea voluntas necessitati consentiat, non solum autem ut non concupiscat, sed etiam abstineat se ab omni re mala, ut neque faciat, neque loquatur, neque cogitet quod displiceat Deo: quia corpus fornicatur, quando cum viro conjungitur: anima autem, quando diaboli voluntatibus sociatur. Quae haec non servat, fatua est ipsa virgo. Et vere fatua est, quae per solam virginitatem corporis putat se Deo placere. Ecce enim quemadmodum cum manducas et bibis, non anima manducat, sed corpus: res enim incorporalis corporali cibo non pascitur: sic cum vir mulieri, aut mulier viro conjungitur, non anima copulatur, sed corpus. Propterea frequenter fit, ut nupta si alias non peccet, melior sit, quam illa, quae virgo est, et alias peccat. Quoniam si illa non peccat quae nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est. Quae autem alias peccat, et virgo est: corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Sed ne desperare faciamus etiam virgines bonas, quia diximus per concupiscentiam animas fornicari, sciendum est quod aliud est concupiscere, aliud velle. Concupiscere, passionis est, velle autem arbitrii. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Si ergo concupiscentiae non consentit voluntas, concupiscentia sola non damnat, magis autem et gloriosiorem facit virginitatis coronam. Nunc veniamus ad spiritualem ejus narrationem. Decem virgines omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus, et quinque spiritualibus; omnium enim hominum duae sunt partes. Aut enim peccatores sunt, aut justi. Peccatores, qui secundum carnales ambulant sensus: justi, qui secundum spirituales. Ergo et omne genus peccatorum in quinque dividitur, et omne genus justorum in quinque, secundum

numerum sensuum, non secundum numerum hominum. Has autem virgines dividendas profert Christus, quando et justi ab injustis et sancti a perversis per verbum suum dividendi sunt: ut quinque quidem ponantur ad dexteram justi Judicis, hoc est, sapientes: quinque autem ad sinistram, id est, fatuae. Secundum autem mysterium et Moses in duabus tabulis legem suscepit decem verborum: quinque quidem mandata in tabula una, quinque autem in tabula altera. Sicut ergo tabulae testamenti illius in uno quidem haerebant, tamen non poterat fieri ut ambae fierent ad dexteram legentis: sed necesse erat ut una quidem cum quinque esset ad dexteram, altera autem cum quinque aliis esset ad sinistram: sic omnes Christiani in una tenentur vocatione. Non est autem possibile, ut omnes ad dexteram fiant sedentis: sed necesse est, ut justi quidem fiant ad dexteram, id est, quinque sapientes: injusti autem ad sinistram, id est, insipientes. Quidam putant hanc parabolam ad omnes pertinere, et ad haereticos, et ad Judaeos, praeterquam ad gentiles: quoniam illi idolorum cultura corrupti sunt, et virgines dici non possunt. Vere autem nec ad Judaeos pertinet, nec ad haereticos: quia non possunt Judaei dici virgines, qui projecto et crucifixo sponso, adulterum super se diabolum susceperunt. Neque haeretici virgines dici possunt, qui et ipsi adulterino sensu corrupti sunt, et virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Sed ad Christianum tantummodo populum pertinet, de quibus scriptum est: *Statui vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Hevam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri a castitate, quae est in Christo Jesu* (2. *Cor*. 11. 2. 3). Fatuae autem virgines sunt, quae fidem quidem Christi integram habent, opera autem justitiae non habent. Judaei vero et haeretici neque fidem habent, neque opera possunt habere. Sed et si operum oleum habeant, nihil eis prodest: quia lampades fidei non habent, quas accendant. *Tunc simile erit*. Bene, *Tunc*: quia interim non apparet quae prudentes sint, quae fatuae: quousque tunc multae fatuae fient prudentes, et multae quae videntur prudentes, fatuae efficientur. *Quae acceperunt lampades suas*. Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum in qua est, sic fides illuminat animam cujus est. Accenditur autem haec lampas igne divini verbi. Verbum enim Dei ignis est, sicut dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram.* (*Luc*. 12. 49). Item dicente apostolo: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (*Rom*. 10. 17). Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum, per sacerdotes accipiunt traditam sibi veritatis doctrinam. Aut sicut alius putat, verbum Dei, quod accepimus accedentes ad Christum, lucerna est, secundum quod est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Psal*. 118. 105). Oleum autem doctrina sacerdotum, aut caeterarum Scripturarum. Quoniam sicut lucerna, nisi ei subministraveris oleum, exstinguetur: sic verbum fidei nostrae, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus Scripturarum, exstinguitur, et non satis illuminat animam. Aut oleum dicitur opus misericordiae. Quia sicut oleum lumen lampadis fovet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, et vigorem accendunt. *Et venerunt obviam sponso et sponsae*. Bene ait, *Venerunt*, quando ex illa die, qua homo credit Christo, quasi de seipso egressus, et de mundo, ire videtur obviam Christo: quia quotidie Christi exspectat adventum. Sicut enim qui obviam vadit alicui, in via stat, et exspectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet vivere in hoc saeculo, quasi peregrinus, et non in suis, sed in transitu positus. Propterea et Judaei exituri de Aegypto, expediti et praecincti agnum jussi sunt manducare (*Exod.* 12): et ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri Agni eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. Nec mireris, quia dixit ire obviam sponso et

Commented [p315]: Col.930

sponsae, cum Ecclesia inter nos habeatur sponsa. Sicut enim Christus cum sit inter nos, tamen venturus dicitur, cum apparuerit in gloria: sic et Ecclesia quamvis sit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloria sua. Propterea dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* 3. 3). 3. *Fatuae autem accipientes lampades suas, non sumpserunt oleum secum.* Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, et nisi oleum ei subministraveris, exstinguitur: sic et fides non ex operibus nutritur, vel accenditur, sed ex verbo Dei, sicut ait Apostolus, tamen per bona opera nutritur: et nisi subministraveris ei opera bona, deficit. Sicut enim non potest in Deum sperare, nisi qui aliqua opera bona facit: sic non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo. Inde est, quod peccatores non credunt Deo, sive cum de gloria sanctorum quis eis loquatur, sive de poena peccatorum: et dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de bono futuro delectantur, neque de malo terrentur. Vere fatui sunt omnes homines, qui aut solum existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credunt in Christum, et Christiani dicuntur, et non festinant semetipsos bonis operibus commendare: nec audiunt Jacobum dicentem, *Quia fides sine operibus mortua est* (*Jacobi* 2. 20). 5. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes virgines, et dormierunt*. Hoc significat sermo, quia tardante consummatione non solum peccatores, sed etiam justi et spirituales ad negligentiam sunt revolvendi, et relicta via virtutis, ad carnalia delectamenta sunt aliquatenus transituri, ut et illud impleatur quod propheta dicebat: *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuti sunt fideles a filiis hominum* (*Psal*. 11. 2). Et hoc est quod Christus dicebat: *Putas, cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram* (*Luc*. 18. 8)? Nam vigilare est justitiam facere, dormire autem negligere est eam, sicut dicit: *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora veniet Dominus* (*Matth.* 24. 42). Et vere non tardat, sed quantum ad nostram inconstantiam tardare videtur. Nam si consideremus, ex quo Christus in caelum ascendit, et quantum vivebant homines ante diluvium, et prope tantum spatium est, quanto tempore erat vita uniuscujusque eorum. Si quis autem oculos habet apertos, intelligit quia mysterium hujus verbi in nobis impletum est. Omne enim studium spirituale relinquimus, et ad carnalia delectamenta transimus. Quem enim invenies modo, non dicam laicum, sed aut presbyterum, aut episcopum, qui ad perfectum contemnat saeculi bona, credens consummationem esse propinquam? Unusquisque enim dicit in corde suo, infidelitatis spiritu praevalente: Ecce ex quo Christus fuit in terris, semper dicitur, Consummatio veniet, et ecce nondum venit. Ne forte non praeparandi causa, sed terrendi ista Scripturae loquuntur? Qui autem non vere credit consummationem esse propinquam, non ex verbis quae dicit, aut audit, sed ex operibus quae agit, cognoscitur. Qui enim vere credit consummationem esse propinquam, nihil curat de mundo, nec in posterum aliquid servat: quia nec peregre exiturus aliquid secum portat in via, nisi forte panem, quem necessarium habet in via. 6. *Media nocte clamor factus est*, quasi clamor praecurrentium et praetubantium angelorum. Qui clamor? *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Unde putas jubet exire? de domibus, de civitatibus? Non; nec enim est ratio: sed ut exeant de mundo, exeant de iniqua carnis natura. Ex eo quod Apostolus (1. *Cor*. 15. 52) ait, in novissima tuba mortuos suscitandos: datur nobis occasio aestimandi, clamorem illum esse, de quo Dominus dicit: *Ecce clamor factus est*. Aestimemus clamorem esse tubarum praecedentium, quas Joannes in Revelatione sua (*Apoc*. 1. 10. 4. *et c*. 8 *per totum*) exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quae fiunt ab eis. Qui ergo intelligit

Commented [p316]: Col.931

illa signa clamantia saeculi finem, ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis auris audit, sed animae intellectus. 7. *Tunc surrexerunt omnes virgines illae*. Hoc est, cum clamor factus fuerit, non solum justi, sed etiam peccatores de somno negligentiae surgent. Tunc incipient timere et festinare, tunc credent quia vere finiendus est mundus. Nam quemadmodum securitas etiam diligentes homines negligentes facit: sic timor praesentis periculi etiam negligentes homines exhibet diligentes; sed nihil eis proderit diligentia illa, quam generat timor, non fides. Tunc intelligent, quia nihil est quod vixerunt in mundo. Tunc incipient sapere, quando nihil eis proderit sapuisse. *Et composuerunt lampades suas*. Id est, tunc incipient omnes aspicere et discutere fidem suam: tunc considerabunt singuli opera sua, qui bene fecerunt, qui male, et interrogabunt conscientias suas. Quemadmodum enim superventuro sponso festinat se sponsa componere, ne forte ex aliqua parte displiceat sponso: ita singuli semetipsos judicabunt apud se. Hoc est enim praeparare fides suas. Quod si semper nos ita judicaremus, quemadmodum tunc judicaturi sumus, numquam peccaremus in Deum. Sicut ergo virgo deformis et debilis sine causa se componit, sic et tunc peccatores sine causa se praeparabunt. Naturalem rem loquitur. Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspicere exercitum, et considerare arma illorum, jubet mitti tubam, ut fiant admoniti; tunc omnes milites festinant arma sua aspicere, ubi sit gladius ejus, ubi lorica sit posita, ubi jacet scutum: et qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus et laetus currit ad inspectionem: et qui tempore securitatis gladium suum aeruginare dimiserit, aut loricam sordescere, scutum frangi aut rumpi, cum audierit tubam, et ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, detergere loricam, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam, quia urgens necessitas non permittit longi temporis opus implere: sic et domino absente servus non aspicit opera sua, quod facit, quid non facit, aut quomodo credit: nec cogitat, quia venturus est dominus ejus, et opera perspecturus, et fidem: sed cum viderit eum venientem de longe, tunc aspicit opera sua, tunc incipit festinare, sed nihil ei proderit festinatio ejus, quia multorum dierum negligentia non potest una hora expleri. 8. *Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur*. Extinguitur lampas hominis, quando fides ejus deficit ac desperat. Sicut enim qui bene sibi conscius est, fiducialiter et magnanimiter agit: quemadmodum si quis infuso oleo addat lumen lucernae, sic et ille consideratione operum bonorum suorum semetipsum confortat, et fidei suae addit audaciam. Qui autem sibi male conscius est, semper pusillanimis ac timidus est. Et quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernae, sic et ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, et infidelitati suae adhuc diffidentiam addit. Ideo ergo timentes peccatores ad sanctos dicturi sunt: *Date nobis de oleo vestro*: hoc est, Vos sancti, qui habetis opera larga justitiae sufficientia vobis non solum ad evadendam poenam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum: id est, Intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum, quia justitia vestra sufficiens est et vos glorificare, et nos excusare. 9. *Responderunt autem prudentes, dicentes: Ne forte nec nobis, nec vobis sufficiat*. Ostendit in iis verbis, quod ita futurum est terribile judicium illud, ut nulla innocentia sibi confidat. Et vere quis est homo natus de muliere, qui credit justum se esse inveniendum in conspectu illius, de quo beatissimus Job dicit: *Stellae in conspectu ejus non sunt mundae, et caelum sine crimine non est* (*Job* 25. 5). Si ergo impeccabilis natura stellarum et caeli, quantum ad justitiam Dei, invenitur esse peccatrix:

Commented [p317]: Col.932

quomodo ante eum homo appareat justus, cujus et sine voluntate peccandi natura ipsa peccatum est? dicente Apostolo: *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud ago; et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom*. 7. 11-17). Tantus timor tunc erit omnium, etiam sanctorum, ut nemo speret se justum inveniendum, sed adhuc timeat ne forte reus exsistat. Quis enim potest ad perfectum dijudicare conscientiam suam, et cognoscere cor suum, cum scriptum sit, *Quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem* (*Matth*. 12. 36)? Quomodo ergo pro peccatoribus tunc intercedant sancti, cum timeant ipsi de se? Nam sicut tempus misericordiae judicium non suscipit, sic et tempus judicii misericordiam non recipit. Ideo in primo adventu, cum tempus esset misericordiae, dicentibus apostolis super inhumanitatem civitatis alicujus: Vis dicamus, ut descendat ignis de caelo? respondit Jesus: *Nescitis cujus spiritus estis. Non enim veni judicare mundum, sed salvare* (*Luc*. 9. 54, 56): ostendens quia cum venerit in secundo adventu, judicii tempus similiter locum misericordiae non habebit. Ubi autem misericordia locum non habet, nec intercessio valet. Aut haec ideo dicit, *Quoniam indignae sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom*. 8. 18). Si ergo major erit gloria, quae praeparata est sanctis a Deo, quam quod unusquisque sanctorum meretur: quomodo sufficiat et aliis ad salutem uniuscujusque opus eorum, cum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam justo judicio consequendam? *Ite potius ad vendentes, et emite vobis*. Venditores operum bonorum, vel doctrinae, sacerdotes sunt, qui praecepta justitiae in populo dant, quasi pretium aliquod accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per poenitentiam solvunt, pretio confessionis eorum placati. Aut certe hoc pretium doctrinae accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. Populus quidem per obedientiam suam mercatus est sibi salutem, sacerdotes autem, qui docuerunt et laboraverunt circa eos, recipient a Deo doctrinae suae labores. Bonum ergo est consilium sanctorum ad peccatores, ut eant ad sacerdotes, et fideliter audiant eos: et cum audierint, faciant, et habebit virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus. 10. *Abeuntibus autem eis, ecce venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo, et clausa est janua*. Ostenditur nobis per haec verba, quod illo in tempore inter angustias diversorum terrorum videntes se peccatores, anxiabuntur, et current huc et illuc ad sacerdotes, doctrinam et poenitentiam sibi quaerentes. Alii autem interrogantes, quid eos oporteat facere, sed festinante judicio, et necessitatibus aliis super alias venientibus, cum non sit docendi licentia, nec tempus faciendae justitiae, aut agendae poenitentiae, festinatio eorum vacua erit. Hoc enim et in quotidiano usu videmus fieri. Quotidie enim sacerdotes clamant in ecclesia: Qui peccavit, poenitentiam agat: qui non peccavit, permaneat in Deo. Neque seducant vos honores et divitiae temporales: quia tempus vestrum prope est, et si consummatio vestra tardaverit, mors vestra non tardat. Et nemo credit, nemo obaudit. Cum autem venerit super illos mors, festinant et anxiantur, vocant sacerdotes, poenitentiam volunt agere, quando jam poenitentiae locus non est. Itaque dum exponunt peccata sua, dum accipiunt poenitentiae tempus, et praecepta justitiae, capitur anima eorum, et vadunt vacui, magis autem ligati justo judicio Dei: quia non propter odium peccatorum displicentes sibi volebant poenitentiam agere, sed propter mortis timorem. Adhuc enim si vivere potuissent, non sibi displicuissent. Alius autem venditores olei, id est, boni operis, pauperes dicit. Hortantur ergo prudentes virgines fatuas, ut eant ad pauperes, si patitur eas tempus, ut facientes eis bona justitiae, misericordiam consequantur ab eis: quoniam per misericordias factas in eos, olei, id est,

Commented [p318]: Col.933

misericordiae merces acquiritur. Illae autem dum vadunt, volentes tunc aliquid boni facere, propter quod possint cum fiducia occurrere Christo, venturus est Christus repente, et nihil eis proderit anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. 11. *Novissime autem venerunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis*. Nihil prodest ex necessitate repetita confessio ejus, qui ex voluntate nec semel confessus est. Nam voluntaria confessio et modica sufficit Deo: ex necessitate autem, neque magna. 12. *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos qui estis*. Signa spiritus mei in vobis non video. Sicut enim qui immundum spiritum habet, bona opera facere non potest: sic qui Spiritum sanctum habet, opera non facit mala. Quare igitur vos opera non facitis bona, sed mala? Imaginem meam non cognosco in vobis. Imago autem mea est fugere malum, et sequi bonum: vos autem econtra fugistis bonum, et operati estis malum. Non potestis meorum militum praemia accipere, qui tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

Commented [p319]: Col.934

Homilia liij. ex capite xxv. (col.934-41)

14. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos*, etc. Homo peregre profectus, Christus est, post victoriam passionis ad Patrem iturus: voluntate misericordiae homo, non necessitate naturae. Commendat autem Christus dilectionem suam, quam habet in sanctis. Ad regna enim caelestia ascensurus, et ad Patrem suum iturus, unde descenderat, peregre se iturum dicit, propter caritatem sanctorum, quos relinquebat in terris, cum magis peregre esset in mundo, sicut ipse testatur dicens: *Incola enim ego sum in terra apud te* (*Psal*. 118. 19). Quando enim venit in mundum Jesus, adhuc peregrinus erat, neminem habens sui nominis confessorem: postquam autem venit, et discipulos acquisivit, jam paterfamilias erat: et ideo proficiscens de mundo, peregre proficiscebatur. Vis autem scire quantum diligat fideles suos? Considera quid passus est pro eis. Si enim magis quam gloriam suam illos amavit, quasi homo moriens propter eos: quid mirum, si majore dilectione tenebatur sanctorum, quos relinquebat in terris, quam dilectione gloriae, quam habebat in caelis? *Et tradidit illis bona sua*. Non invidens aliis plus dedit, aliis minus, sed considerans diversitatem fidei eorum. Qui autem invidus est, aut parcus, omnibus est parcus et invidus. Neque quasi acceptor personarum fecit differentiam gratiarum. Vis scire? Considera quomodo pene aequaliter remuneravit eum, qui minus obtulit, et eum, qui amplius. Si enim acceptor personarum fuisset, utique non tantum in danda gratia, quantum in reddenda mercede esset aequalis ambobus. Manifestum est, quod in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem uniuscujusque consideravit: ne supra virtutem opus injungens, ipse occasio offensionis exsisteret, et non esset reus qui peccavit, si supra virtutem pondus imposuisset. Volens ergo Dominus socios nos habere in regno caelesti, opera nobis diversarum justitiarum commisit: non quia non habeat potestatem et sine operibus nos glorificare, sed ideo opus praemisit, quia sicut opera sine praemiis vacua sunt, sic praemia sine operibus sunt ingrata. 16. *Statim autem abiit qui quinque talenta acceperat, et acquisivit alia quinque*. De talento agnitionis Christi acquisivit unam justitiam bene vivendo. De presbyterio autem ipso acquisivit justitiam sollicite praesidendo Ecclesiae. De verbo acquisivit justitiam, verbum veritatis sinceriter praedicando. De baptismo lucratus est secundum Christi regulam baptizando, et dignos filios cum judicio Ecclesiae acquirendo. De sacrificio acquisivit justitiam, tam mundum

et immaculatum sacrificium populo offerendo, et pro peccatis populi exorando. 17. *Similiter et ille qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo*. Id est, duas justitias. Unam bene vivendo, quam acquisivit a fide Christi: alteram sinceriter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. 18. *Qui autem unum accepit, abiens fodit in terram.* Primum videamus, ut quid neque ille, qui duo talenta habuit, abscondisse talenta sua proponitur, cum multi diaconi inveniantur inutiles: neque ille, qui accepit quinque, cum multi doctores inveniantur inutiles, sed ille tantum qui unum accepit, id est, populus? Attende. Deus secundum praescientiam suam, licet sciat qui justi futuri sint, et qui injusti: tamen omnes vocat ad fidem, dans eis gratiam credendi in Christum, quod est talentum bonis quidem ad salutem, malis autem ad praejudicium, ut inexcusabiles fiant. Diaconis autem et doctoribus secundum praevidentiam suam, illis videtur Deus injungere ministerium diaconatus aut presbyteratus, qui sunt justi: qui autem inveniuntur injusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur qui a Deo ordinatus est, et qui ab hominibus. Qui enim ministerium suum bene consummaverit, apparet quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummaverit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidem sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeste in libro octavo Canonum apostolorum dicitur. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est diaconus aut sacerdos. Ergo in sacerdotibus quidem et diaconis non est inventus ut perdat talenta, qui secundum praescientiam ordinatur a Deo. In popularibus autem evenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, a Deo accepit fidei gratiam. Secundum haec ergo quae diximus, si presbyter aut diaconus peccator inventus fuerit: quoniam quantum ad praescientiam Dei (sicut jam diximus) non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter aut diaconus, quasi laicus invenitur inter eos qui unum talentum fidei acceperunt. Ac per hoc nemo ordinatus a Deo peccat, nisi ut qui unum talentum accepit a Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus a Deo praestatur, gratia autem clericatus non omnibus, sed dignis: quia in illa causa salutis est, in ista autem dispensatio mysterii. Nam et paterfamilias annonam quidem omnibus servis praestat, negotia autem sua non omnibus committit. Abscondit autem talentum suum in terra, qui accipiens notitiam Christi, contemnit vitam spiritualem, et in terrenis actibus et deliciis conversans, obruit illud in carne sua, et sollicitudinibus mundi quasi spinis suffocat fidei suae bonum, et non facit fructum. Hoc est enim, talentum in terra abscondere, quod est semen verbi inter spinas suffocare. Sciendum est autem quod ille, qui fodit gratiam suam in terram non peccare proponit, sed justitiam non facere. Qui enim peccat, non abscondere videtur gratiam, sed corrumpere. Si ergo in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei, carnaliter vivendo, fructum justitiae non fecerunt: putas in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei suae peccando perdiderunt? Iste qui fodit talentum suum, similis est virginibus fatuis, quae habentes lampades, oleum non habebant: tam enim illae, quam iste putaverunt sibi ad salutem hoc solum, quod credebant in Christum, posse sufficere. Nam vere talentum non perdidit, id est, domini sui, tamen reus est damni. Non enim propter hoc solum unusquisque fit Christianus, ut sit Christianus, servans talentum fidei suae, sed ut operetur justitiam Christo. Sicut enim qui seminandi causa accipiens semen, tempore seminationis non seminaverit, damnum facit domino suo: etsi non perdiderit semen, est tamen tantum damnum, quantum poterat lucrum facere, si opportuno tempore seminasset: sic qui accipit fidem Christi, et in hoc saeculo seminationis non fuerit operatus justitiam, etsi fidem suam non perdiderit, tamen tantum videtur peccasse, quantum potuit justitiam facere, si non neglexisset. 19. *Post multum vero temporis venit dominus servorum*

Commented [p320]: Col.935

illorum. Primum videamus quare interim Dominus ascendit in caelum, post modicum iterum reversurus, et semper cum sanctis futurus? Ut videlicet absente eo fideles gloriam sibi et vitam aeternam acquirant per fidem et opera. Praesente enim Christo nec tentari fideles poterant, nec probari, si essent veri fideles: quoniam si sit praesens, non creditur, sed videtur: cum autem absens fuerit, non videtur, sed creditur, dum timetur. Christo igitur praesente, etsi tentationem aliquam sustinerent propter eum, aut justitiam facerent, opus tamen eorum non videbatur esse in fide, sed in oculis. Ideo nec poterant sibi mercedem fidei per justitiam acquirere, nisi ascendisset ab eis. Nam servus fidelis domino absente probatur: praesente autem domino quicquid fecerit non est laus servi, sed domini.

Commented [p321]: Col.936

Christus propter utilitatem nostram ascendit. – Vides ergo quia non propter suam utilitatem Christus ascendit, sed propter nostram. Tempus autem differt largum, ut longior detur hominibus justitiae faciendae licentia. 20. *Et accedens qui quinque talenta acceperat, dixit: Domine, quinque talenta tradidisti mihi*. Vide, bonus servus, non quasi glorians in opere suo, non primum lucri talentorum memoriam facit, sed primum memorat quae accepit, postea quae invenit: ut ostendat non studii sui aut laboris esse quod acquisivit, sed beneficiorum domini sui, quibus acquisivit. Tamquam si dicat: Domine, ego, quantum ad meum studium et laborem, nec modicam quidem justitiam facere potuissem, nisi gratia tua fuisset mecum. Sicut dicebat ille qui dicit: *Sed plus omnibus laboravi; non autem ego, sed gratia Dei mecum* (1. *Cor*. 15. 10). 21. *Ait ei dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui*. Pauca sunt admodum. Si quis de magna massa tritici modicam dederit drachmam, aut de magno vase vini modicum dederit gustum: sic de magno thesauro regni caelestis modica nobis per Spiritum sanctum arrha praestatur. Propter quod dicebat Apostolus: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, destruentur ea quae ex parte sunt* (1. *Cor*. 13. 9. 10). Non dixit, Intra ad gaudium domini tui: sed, *In gaudium domini tui*, ut possessor sit gaudii tui, non tantum spectator, et jam non quasi minister domini, in gaudio ejus, sed particeps gaudiorum. Sicut et alibi ipse dicebat: *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum, ut videant gloriam meam quam mihi dedisti* (*Joan.* 17. 24). Quid ergo dignum facimus in hoc saeculo, ut participes Domini nostri in regnis caelestibus fieri mereamur? Ideo juste dicit Apostolus: *Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* 8. 18). 22. *Accedens autem et qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo*. Et si minor in opere, non minor in voluntate. Videns autem dominus quia servo illi non voluntas operandi minor fuit, sed virtus fidei; nam et ille voluit similiter amplius operari, sed magis desideriis ejus non suffecit modica fides: ideo justus judex, etsi non similia lucra suscepit ab illo, quemadmodum ab isto, tamen sic benevolentia istum suscepit, quemadmodum et illum: quia Christus non magis operum remunerator est, quam voluntatum. Nec putet ergo diaconus, quod ex eo quod diaconus est, beatior erit, quam laicus studiosus: non enim dignitas apud Deum honorabitur, sed voluntas. Nec diacono se beatiorem debet putare presbyter ex eo quod presbyter est, quam se, si fuerit bonus diaconus: quoniam gradus ministerii ex Deo est, perfecta autem voluntas ex nobis. Propterea non sumus judicandi, quia non fecimus quod in parte nostra non est: sed ex eo sumus judicandi, quod in nobis est posse, si volumus. 24. *Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et*

congregas ubi non sparsisti. O malitia peccatorum, quae neque futuri judicii terrore mutatur! Qui enim peccatum suum debuerat simpliciter confiteri, ut dominum, quem male agendo irritaverat, simpliciter confitendo leniret: econtra non solum non confitetur, sed adhuc excusat. Et dum vult unum excusare peccatum, addit et alia duo. Primum, quia peccavit: secundo, quia excusat: tertio, quia et injuriam domino facit. Propterea sciens propheta quam mala sit excusatio peccatorum, dicit: *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem* (*Psal*. 140. 4). Dic ergo, serve mendax, quomodo metit Christus, ubi non seminavit? Quis enim hominum est, vel gentilium, vel Judaeorum, quem non sufficienter spiritualibus et corporalibus sensibus adornavit, cui non dedit scientiam boni et mali, cui non dedit posse fugere malum, et apprehendere bonum, si vult? Sicut enim nullus est homo, cui aliquid corporis membrorum minus sit ad usum corporalem: sic non est, cui minus sit aliquid sensus aut potentiae ad intelligentiam boni et mali, et ad omne opus bonum faciendum quodcumque voluerit. Si igitur etiam in gentibus seminavit gratiam suam, ex quibus nullus justitiae colligitur fructus: quomodo in te metit quod non seminavit, quem quasi aratro spirituali crucis suae verbo aravit, quem doctrina justitiae seminavit, quem Spiritu sancto irrigavit? Tot semina suscipiens gratiarum, vel unum fructum justitiae non debuisti offerre? Nam Deus hominem ex duplici creans natura, corporis et animae: in corpore quidem creavit quinque sensus, et motus quosdam concupiscentiarum, nascentium ex occasione sensuum praedictorum: in anima autem creavit judicia et virtutes, ut intelligat malarum rerum et bonarum discretionem, ut possit resistere motibus suis corporalibus. Qui ergo secundum delectationes carnales vivere elegerunt, neque considerant in anima sua judicia et virtutes esse creatas: nec enim experiuntur ea si sint, sed tantum sensus carnales, concupiscentiarum nascentium ex occasione sensuum praedictorum exsequuntur, ex quo fit, ut sic arbitrentur et dicant, quia omnia bona carnalia et mundialia ideo creavit Deus, ut omnibus eis utamur. Nam si vere non sunt creata in nobis secundum animam judicia et virtutes, quibus possumus resistere motibus concupiscentiarum nostrarum carnalium: certum est, quia ideo creata sunt bona carnalia, ut utamur illis. Si autem creatum est in nobis, et intelligere eos, et posse resistere eis: sine dubio non ideo creata sunt corporalia bona et mundialia, ut eis utamur, sed ut resistentes eis, meliori studio acquiramus nobis mercedem. Nam nec intelligere malum et bonum in nobis esset creatum, nisi prius creatum fuisset et posse resistere malo. Ut quid enim homini datum fuisset intelligere, si non fuisset ei datum et posse facere quod intelligit melius esse? Numquid animalibus Deus creavit intelligere, quod honestius et laudabilius est? Non, quia nec creavit in eis posse facere aliquid quod melius est. Sic nec homini creasset intelligere, nisi creasset ei et quod intelligit facere posse. 26. *Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve nequam et piger, sciebas quia meto ubi non seminavi, et congrego ubi non sparsi*. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris*. Nequam dicitur, quia contumeliam reddidit domino pro honore: piger, quia talentum non duplicavit. Et ideo pro eo quidem quasi superbus, pro hoc autem quasi negligens condemnatur. Vere nequam, quia largitatem domini quasi violentiam accusavit. Nec enim Deus ideo gratiam intellectus, aut notitiam sui homini dedit, desiderans gloriam sibi acquiri per eum: sed ut per gratiam Dei ipse sibi vitam aeternam et gloriam mereatur, et societatem caelestis regni cum Deo. Hoc sine dubio intelligitur ex ipsa praecedentium remuneratione justorum. Si enim propter se dedisset gratiam hominibus, numquam, a servis pauca suscipiens, redderet multa. Sed malitia

Commented [p322]: Col.937

excaecatus, dum voluit sapientiam Dei fallere, majoribus se iratus vinculis alligavit, dicens: *Metis ubi non seminasti*. Si enim vere talem scivit dominum suum, eo magis debuit festinare, ut per diligentiam suam avaritiam domini sui faceret, ne per negligentiam injustitiam ejus magis ad iracundiam provocaret: quia austeritas non contemnitur, sed timetur. Qui autem timet, non contemnere, sed placare festinat, sciens quomodo qui metit, ubi non seminat, magis vult metire, ubi seminavit. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem eam cum usuris*. Quidam putant tres istos omnes doctores esse, differentes autem gratias habuisse: et hunc tertium ideo argui, quia non docuit alios gratiam scientiae, quam habebat. Et quamvis omnis homo rationalis constitutus numularius dici possit, tamen nescio si habeat rationem, qui sic minimus est, ut unius talenti gratiam habeat. Qui numularius est, non indiget ejus: si autem est qui illius magisterio opus habeat, ille sine dubio numularius non est. Cauti enim hominis est, numularium esse, qui differentias pensat verborum. Ergo necesse est hunc tertium intelligere popularem, sicut diximus supra. Mensa est omnis Scriptura divina, sicut et alibi exposuimus, sccundum quod dicit propheta de Scriptura Veteris Testamenti Judaeis scandalum facta: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum* (*Psal*. 68. 23). Non enim mensa eorum corporalis facta eis in scandalum, sed Scriptura legis eorum. Legentes enim in lege, *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut*. 21. 23): et videntes Jesum crucifixum, contra legem aestimaverunt credere in Jesum crucifixum, quem lex maledictum annuntiabat: non intelligentes, quia nostram maledictionem in ligno susceperat, ut nos liberaret a maledictione, quam susceperamus per lignum: et sic facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Item videntes eum in sabbatis operantem, leprosos tangentem, a quibus omnibus abstinere lex diligenter praecipiebat, scandalizati sunt in eum, dicentes: *Hic homo non est ex Deo, qui sabbatum non custodit* (*Joan*. 9, 16): non intelligentes, quia corporale quidem solvebat, spirituale autem implebat. Et hoc modo facta est eis mensa eorum, id est, Scriptura legis eorum, in scandalum. Ergo mensa est omnis Scriptura divina, in qua panis verbi nutriens animas positus est, supra quam omnes Christiani recumbunt, et epulantur in spiritu. Numularii autem praesidentes mensae illi sunt sacerdotes fideles et prudentes: qui cum viderint fidem et actus Christianorum, accipiunt judicium de Scripturis, quasi de mensa, et ponderant eos, et aestimant, et intelligunt si digni sunt Deo, aut non. Et si habent charagma, id est, figuram et imaginem mundi, sunt ipsius, et oportet eos abjicere. Huic mensae qui commiserit fidem suam, quam baptizatus suscepit a Christo, ut in Ecclesia permaneat, Scripturas aut legat, aut audiat incessanter ex fide, ut alloquutionibus sacerdotum numquam fraudetur. Impossibile enim est, ut non multiplicetur fides ipsius. Paulatim enim de die in diem timor Domini generatur, sensus ejus illuminatur, scientia ejus crescit, confirmatur in fide, excitatur ad desiderium regni caelestis, apprehendit eum zelus antiquorum sanctorum quos legit, excitatur et ipse plerumque ad easdem virtutes. Vides quantam usuram facit augmentata fides, data ad mensam Scripturarum sanctarum. Sicut enim pecunia haec corporalis quidem, si sit in saeculo, inclusa ipsa est semper; si autem fuerit agitata de manu in manum, usu ipso multiplicatur, unde usura dicitur ab usu: sic et fides Christi, siquidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet quae fuit, sed adhuc minoratur in otio, et torpescit, et segnis efficitur, et paulatim per actus carnales exinanita ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit Scripturis, et loquutionibus assiduis suscitata, operibus bonis vivificata, non solum dico, multiplicabitur, sed numquam desinet crescere, donec

Commented [p323]: Col.938

vivet homo. Numquid nos ex nobis hoc dicimus? Ipse denique propheta in principio Psalmorum suorum hunc annuntiat esse beatum. Nam cum dixisset, *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit*: addit, *Et in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal*. 1. 1. 2). Et quod sit lucrum meditationis hujusmodi, subinfert, dicens: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur* (*Psal*. 1. 3). 28. *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta*. 29. *Omni enim habenti dabitur, et abundabit*. Peccator agnoscens Christum, habet hanc ipsam gratiam, quod cognoscit Christum: sed cum venerit in judicium Christi, dividitur a consortio cognoscentium Christum: et sic tollitur ab eo, quod videbatur habere, quamvis vere non habebat. Quomodo qui cognoscit Christum, et peccat, videtur quidem habere scientiam Christi, vere autem non habet: et ipsa notitia Christi additur homini justo qui habebat. Ille vere habet scientiam Christi, qui justitiam facit. Et quomodo ei additur scientia Christi super scientiam? Ut qui videbat per speculum in aenigmate, videat facie ad faciem: et qui cognoscebat ex parte, cognoscat sicut cognitus est (1. *Cor*. 13. 12). Sed aliter intelligitur. Qui fidem habet, et bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus in opere quasi habuerit, nihilominus remuneratur a Judice bono: qui autem fidem non habet, aut bonam in Domino voluntatem, etiam caeteras virtutes, quas videtur naturaliter possidere, perdit. Eleganter ait: *Quod videtur habere, auferetur ab eo*. Quicquid enim boni sine fide Christi est, non ei imputatur, qui male usus est eo. Sicut sunt multi, qui videntur quidem aut mansueti, aut humiles esse: sed quia non sunt hoc propter Deum, licet videatur esse aliquod bonum eorum, non autem est: quia quod non est ex fide, peccatum est. 30. *Et hunc nequam servum projicite in tenebras exteriores*. Considerandum est, ut quid non dixit, Mittite eum in tenebras inferiores: sed, *In tenebras exteriores*. Quidam dicunt non tantum esse infernum deorsum, sed extra mundum istum esse aliqua tenebrosissima loca et ignea, in quibus puniuntur qui digni sunt. Forte ergo ideo dixit exteriores tenebras, et non inferiores. Qui considerat quomodo sequens parabola parabolae huic praecedenti conjuncta est, et quomodo pars est parabolae hujus: nec enim alterius rei parabola est, nisi ipsius: non sine ratione requirit: quia quod ait: *Post multum temporis veniens dominus servorum illorum, posuit cum eis rationem*: non de secundo dicit adventu, quando venturus est cum majestate: sed de adventu, qui frequenter solet venire ad omnes Christianos, quibus gratiam dedit suae cognitionis: et discutit eos, et ponit rationem cum eis, ut judicet eos, et justos ab iniquis discernat, sicut exposuimus supra in parabola ubi dicit: *Simile est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis* (*Matth*. 18. 23). Habet autem alia parabola sic: 31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae*, 32. *et congregabuntur ante eum omnes gentes*. Ac si dicat: Interim quidem sic veniet, sic ponet rationem cum servis suis, sic discutiet eos, sicut exposui in ista parabola. Cum autem venerit Filius hominis in majestate Patris sui cum angelis suis, tunc sedebit super sedem majestatis suae, tamquam non semper veniens cum majestate Patris veniat, nec cum angelis suis, nec semper veniens sedeat in sede majestatis suae, sed tunc tantummodo fiet hoc. Sed et illud vide, quomodo in hac parabola peccatorem non in ignem, nec in aliquam poenam, sed tantum in tenebras exteriores mitti praecepit: in illa autem, cum venerit in majestate Patris, jam non tantum in tenebras exteriores, sed et in ignem mittet, et poenas. Item in hac parabola justum in gaudium jubet intrare, in illa

Commented [p324]: Col.939

autem in regnum. Adhuc autem quod ait, *Accedens autem et qui unum talentum acceperat ait: Sciebam quia homo durus es, metis quod non seminasti, et congregas quod non sparsisti*: putas in secundo adventu, cum venerit sic terribiliter cum gloria suaq, stabit peccator ante eum, et talia dicet? Absit. Maxime cum nec aestiment viri prudentes personale tunc fore judicium, ut per singulos homines Christus quidem interroget, peccator autem respondeat, et gesta narrationum conficiantur: sed verius est quod ait Apostolus, quia in cogitationibus suis judicabitur unusquisque dicens: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente sibi conscientia eorum, et in se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, cum judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum per Jesum Christum* (*Rom*. 2. 15. 16). Ergo in hoc saeculo, quamdiu sunt Christiani in corporibus suis, venit Christus ad eos, et ponit rationem cum eis invisibiliter, et interrogat eos in cogitationibus eorum, et audit eos in ipsis loquentes, sicut scriptum est de utroque. De hoc quidem, quia *In cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sapient*. 1. 9); de illo autem, *Quia cogitatio hominis confitebitur* (*Psal*. 75. 11). Utputa, dicit in Psalmo: *Viduam et pupillos interfecerunt, et advenam occiderunt, et dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob* (*Psal*. 93. 6. 7): non quia talia fuerunt specialiter verba illorum, sed quia tales sunt cogitationes hominum facientium mala. Nec enim facerent mala, si cogitarent, Deum aut intelligere aut videre quae faciunt. Sic et hic, non quia talia specialiter sint dicta hominis justi, aut peccatoris: sed quia tales sunt cogitationes eorum, et cogitationes eorum quasi dicta ponuntur. Omnis enim vir justus, qui facit opera bona solum propter Deum, cum venerit in recordationem actuum suorum bonorum, necesse habet venire frequenter, aut Deo movente cogitationes cordis ejus in eo, aut diabolo, praetermisso Deo: nescio tamen, cum venerit considerans intra se et actus suos bonos, et naturam carnis suae malevolam, sic loquitur in cogitationibus suis: Non ego haec feci. Nec enim credibile sine Deo naturam carnis injustam facere opus justum, sed virtus gratiae Christi, quam dedit hominibus per fidem nominis sui. Et talis cogitatio ejus fit confessio ante Christum, audientem tacitas cogitationum loquentium voces. Item omnis peccator, qui fecit opera mala, cum venerit in recordationem actuum suorum malorum: necesse enim habet venire frequenter, sive ipso Christo movente cogitationes cordis ejus in eo, sive diabolo, Dei permissione: scio tamen, veniens numquam seipsum reprehendit in cogitationibus suis, numquam seipsum accusat, numquam se judicat reum, sicut solent facere si deliquerint justi: alioquin et compunctus emendaretur; sed excusat se semper in cogitationibus suis, et absolvere se festinat a reatu peccatorum suorum. Aut enim naturalibus necessitatibus imputat quod peccavit, aut plus ab omnibus Deum exigere dicit, quam ipsa patitur hominum habitudo. Non potest enim bona cogitare, qui mala opera facit: sicut nec mala cogitare potest, qui facit bona propter Deum. Et bonus quidem forsitan interdum mala cogitat: quoniam omnis homo etsi secundum voluntatem animae bonus est, tamen secundum naturam carnis malus est. Malus autem impossibile est ut cogitet bona, quoniam et secundum naturam carnis malus est, et secundum animae voluntatem perversus, et talis cogitatio maligna fit. Quando enim peccator nihil boni posse facere arbitratur, impediente natura, nisi tantum cognoscere Deum et Christum Filium ejus: nonne cogitationibus suis hoc dicere videtur ad Christum? Quia nihil boni posse facere creasti me, nisi solum cognoscere: ecce habes beneficium tuum. Et hoc ipsum quasi nihil aestimans dicit, quod Christum cognoscit. Similiter et judicia Christi, et occulta de hominibus aut bonis, aut malis, quasi responsa ponuntur: id est, non quia specialiter sic Christus respondit, sed

Commented [p325]: Col.940

quia talia sunt judicia Christi invisibiliter judicantis. Congratulatur autem justus apud seipsum: primum, quia talia opera fecit: deinde, quia nihil eorum sibi imputavit, sed omnia Christo; propter quod superadditur ei gratia Spiritus sancti, et introducit eum in suum gaudium, ut sic gaudeat in futurae spe gloriae suae, sicut gaudet et Christus. Nam quantum largior fuerit spes hominis, tantum cordis ejus gaudium plenum est. Sicut in alio loco Dominus dicit discipulis suis: *Haec loquutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur* (*Joan*. 15. 11), id est, spes vestra. Spes enim plena hominis, plenum est gaudium cordis ipsius. Peccator autem qualia diximus cogitans, graviter fert: primum, quia mala fecit: deinde, quia ingratus est, nullam virtutem se aestimans accepisse ad faciendum opera bona, nisi nudam notitiam ejus. Propter quod jubet tolli ab eo etiam hoc ipsum quod cognoscat Christum, et mittit eum in tenebras exteriores. Jubet autem, sicut arbitror, malignos spiritus ministrantes sibi ad mala, qui obscurantes mentem ejus et obligantes opera ejus, et consilia simul, quod est manus et pedes, ut nihil ulterius boni aut consiliari possit, aut agere, mittunt eum foras. Ubi foras? Extra Ecclesiam Christi, extra fidem veritatis, extra conventum sanctorum, in haereses tenebrosas, ubi non apparet lux veritatis, sol justitiae numquam splendet. Non enim dixit, In tenebras inferiores, ut infernales intelligamus: sed, *In tenebras exteriores*, ut haereses intelligamus prae caeteris plus tenebrosas. Aut certe quamdiu quidem peccator mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tenebris propinquioribus: quando autem in haeresim quamdam projicitur, tunc projicitur in tenebras exteriores.

Commented [p326]: Col.941

Homilia liv. ex capite xxv. (col.941-6)

31. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae*, etc. Criminosas personas judex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se constituit vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, unde tribus digitis mortem hominum scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinate consistunt, in medio secretario ponuntur genera horrenda poenarum, quae non solum pati, sed et videre tormentum est. Stant juxta parati tortores, crudeliores aspectu quam manibus. Tota judicii facies cujusdam schematis terrore vestitur. Et cum ad medium productae fuerint criminosae personae, ante interrogationem judicis ipsius, judicii terribili discutiuntur aspectu. Similiter et Dominus se ad judicium venturum promittit similiter cum tremore, non cum simili terrore. Nam et bona et mala similiter ordinata sunt in terra sicut in caelo, non tamen similia. Ergo videntes in terra poenas, et glorias, non similes putare debemus in caelo: sed cum sint talia super terram, multo majora suspicari debemus in caelo. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum caeleste judicium a terreno. Istius enim judicii splendor in schemate, illius autem judicii majestas in veritate, testante propheta: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal*. 49. 3). *Manifeste*, inquit, non jam celatus in corpore, sicut antea, ut vix eum etiam boni cognoscerent: sed manifestus in gloria, ut etiam mali eum confiteantur inviti: ut qui contempserunt eum, in humilitate, cognoscant eum in potestate. Et qui scire noluerunt quam dulcis est misericordia ejus, sentiant quam gravis est ira ipsius. *Deus noster, et non silebit*. Non dixit, Et silebit, ostendens quia ipse quidem de se tacebit, sed ipsa gloria ejus de ipso loquatur. Aliquando transfiguratum eum in monte videntes apostoli, acceperunt

mandatum ne cui dicerent (*Matth.* 19. 9), ne videretur Christus per potentiam subjugare sibi populum, et non per fidem. Tunc autem jam nemo tacebit, quia non est venturus adhuc tentare fideles, sed jam perdere infideles. Tunc praedicatores necessarii non erunt. Nam etsi vox omnium taceat, visio ipsa clamabit, sicut ipse de secundo suo adventu dicit: *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, sic erit adventus Filii hominis* (*Matth.* 24. 27). *Tunc sedebit super sedem majestatis suae*. Scimus certissime, quia sedes Christi homines sunt. Cum ergo de primo adventu et ascensu Christi dicat propheta, sedisse eum super sedem sanctam suam, hoc modo: *Ascendit Deus in strepitu, Dominus in voce tubae: Deus sedet super sedem sanctam suam* (*Psal.* 46. 6. 9): quomodo hic secundum suum adventum exponens, dicit, *Tunc sedebit super sedem gloriae suae*? Sed vide quia in primo adventu sedem Christi sanctam dixit, in secundo autem gloriosam. Quomodo? in primo adventu mundavit nos per verbum, lavit per aquam, sanctificavit per Spiritum: in secundo autem glorificabit per resurrectionem, cum transformaverit corpus humilitatis nostrae, ut fiat conforme corpori gloriae ejus (*Phillipp.* 3. 21): cum seminati fuerint homines in infirmitate, et surrexerint in gloria: cum seminati fuerint corporales, et surrexerint spirituales (1. *Cor.* 15. 43. 44): tunc sedebit in sede gloriae suae, cum sedes eius hoc modo facta fuerit gloriosa. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*. Quia omnibus gentibus cognitionis suae gratiam condonavit, judicans juste in utroque, ut nec boni, sine doctrina veritatis, bonitatis suae fructus amittant: nec mali, propter excusationem ignorantiae, malitiae suae poenas effugiant. Nam sicut in nocte rerum facies non apparet, sed et gemma lapis videtur, et lapis quasi gemma existimatur: sic et ante adventum Christi humanorum cordium differentia non apparebat, sed et mali quasi boni sustentabantur, et boni quasi mali contemnebuntur. At ubi illuminatio Evangelii ad omnes gentes praedicata pervenit, tunc manifestata qualitas omnium voluntatum, tunc omnes gentes inexcusabiles factae sunt. Et ideo tunc juste ad judicium congregabuntur omnes, quia qui mandatum praemittit, tacite judicium futurum esse denuntiat. *Tunc segregabit eos ab invicem, sicut segregat pastor oves ab haedis*. Tunc enim homines mixti sunt, et non solum mixti, quomodo in iisdem locis simul conversentur justi cum impiis, sed etiam confusi sunt, quomodo inter justos et impios, quantum ad homines discretio non apparet. Sicut in tempore hiemis inter virides et aridas arbores discretio non est; cum autem venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur: ita nunc unusquisque secundum fidem suam et secundum opera sua manifestabitur, impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructum: sancti autem et foliis vestientur vitae aeternae, et fructibus onerabuntur gloriae. Et hoc modo segregabuntur a Domino caelesti pastore. Et pastor quidem corporalis segregat secundum naturas corporum, Christus autem secundum genera animarum segregat homines. Oves sunt homines justi, propter mansuetudinem, quia ipsi neminem laedunt: propter patientiam, quia cum ab aliis laesi fuerint, sustinent. Et sicut oves, quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate balant: sic et sancti, cum laeduntur, aut tacent, aut certe in benignitate probati, preces transmittunt ad Deum. Et sicut ovis ad mortem ducitur, et non clamat; vita ejus tollitur, et mansuetudo ejus non immutatur: sic et sancti maledicuntur, et non remaledicunt: percutiuntur, et non repercutiunt: bona eorum diripiuntur, et illi non contradicunt: dolorem sentiunt, et clamorem non emittunt. Et quid opus est clamoribus, cum ille qui nocet, non miseretur, etiamsi clamaveris? ille autem qui misericors est, miseretur, etiamsi non clamaveris, audit et videt? Haedos autem homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter haec insunt vitia: libido prae caeteris animalibus, superbia rixa. Semper enim se percutientes incedunt

Commented [p327]: Col.942

et modo humero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item invidi sibi alterutri invident: sicut significat Salomon de invidis, dicens: *Sicut capra, sic aspicit ruinam proximi sui* (*Eccle*. 11. 32). Item jactantes sunt et gloriantes, sicut idem significat Salomon, dicens: *Tria sunt, quae securiter ambulant, leo inter jumenta, gallus inter gallinas, et hircus praecedens capras* (*Prov*. 30, 29-31). Item caprae multum trahuntur concupiscentia gulae. Propter gulam namque suam per saxa et praecipitia ambulant, et super praecipitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia garrulae. In omnibus his vitiis peccatores abundant, et ideo haedis sunt assimilati. Adhuc quaero, quare non eorum similes introduxit aetates, dicens: Ita separabit eos, sicut oves ab hircis: aut ita, sicut agnos ab haedis? Sed videte quomodo volens ostendere, sanctos perfectos in omnibus, ponendos ad dexteram: et impios omnino infructuosos, ad sinistram: ideo sanctos, oves: impios autem haedos vocavit. Quomodo agni, etsi natura mansueti sunt, tamen non sunt omnino fructiferi propter aetatem: fructum enim adhuc non habent lactis et lanae. Item caprae etsi malignae sunt ex natura, tamen ex aliqua parte fructiferae sunt per aetatem; lactis enim abundantiores exhibent fructus. Haedi autem et mali sunt ex natura, et omnino infructuosi sunt ex aetate. 33. *Et statuet oves ad dexteram suam, haedos autem ad sinistram*. Quando aliquis ante conspectum regis aut judicis introducitur, ex ipso loco, ubi stare jubetur, intelligit, si propter bonum introductus est, aut propter malum. Si enim propter bonum, statim vocatur in proximo: si propter malum, longe stare jubetur: sic et istos, Deus justos quidem ad dexteram constituet, et peccatores ad sinistram: ut unusquisque meritorum suorum conditionem ex ipsius loci qualitate cognoscat, et ante judicii sententiam poenam confusionis excipiat. Merito justos ad dextram collocat, quia numquam cognoverunt sinistram: merito impios ad sinistram, quia numquam cognoscere voluerunt dexteram partem. *Vias enim, quae a dextris sunt, novit Dominus; perversae autem sunt, quae a sinistris sunt* (*Prov*. 4. 27). Ecce enim, si tu consistas in publico pariter cum amico, et veniens aliquis illum salutet, et te contemnat, aut separans illum a te, cum illo loquatur, aut familiariter cum illo jocetur: nonne tu relictus solus, stas aporiatus in publico, et graviorem existimas illam confusionem, quam mortem? Et quomodo putas impios confundendos in die judicii, quando ante conspectum angelorum, segregatis justis, fuerint derelicti? Nonne, etsi nihil ulterius paterentur, illa sola verecundia sufficeret eis ad poenam? Apostolus autem dicit sanctos jam collocatos esse ad dexteram virtutis per ascensionem et sessionem Domini Salvatoris (*Ephes*. 1. 20). Nam sicut in carne sua omnem carnem suscepit, et crucifixus omnem carnem crucifixit in se, et resurgens omnem resuscitavit in se: sic ascendens, et sedens ad dexteram Dei, omnes ad dexteram collocavit. Quomodo hic dicit, quia tunc statuet oves quidem ad dexteram, haedos autem ad sinistram? Sed vide quia nunc nos collocavit ad dexteram, ad agendum ea, quae sunt dexterae partis: postea autem statuet ad dexteram suam, ad conregnandum. 34. *Tunc dicet illis qui ad dexteram*. Et quare non illis ante, qui sunt ad sinistram? Quia paratior est Deus semper ad benefaciendum, quam ad malefaciendum. Nam bona bonis secundum propositum suum praestat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit invitus, quia judex est. Quicquid autem homo contra naturam suam agit, pigrius agit. Si enim Christus delectaretur in poena peccatorum, numquam seipsum pro peccatoribus tradidisset. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Quia dedistis quae semper habere non poteratis, recipite quae in perpetuum possideatis. Merito centuplum super caelum, qui unum seminastis in terra. Non enim quantum justitia hominum potest mereri, tale creatum est regnum caelorum:

Commented [p328]: Col.943

sed quale Dei virtus potuit praeparare. Si enim secundum angustias humanae justitiae regnum caelorum creare voluisset, utique post opera hominum illud creasset: nunc autem, quoniam non secundum mercedem hominum, sed secundum suam largitatem constituit mercedem sanctorum: ideo antequam sanctos crearet in saeculo, regnum caelorum praeparavit in caelo. Propterea et quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tantis eos laboribus onerat, et tamdiu laborare facit, donec digni efficiantur regno caelesti, quia non secundum modicitatem hominum regnum Dei exinanitur, sed secundum magnitudinem regni homines sublevantur. 35. *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, et caetera quae sequuntur. Hodie si amicus tuus, aut colonus, aliquod tibi offerat munus, verbi gratia, aliquod vestimentum: tu autem despiciens illud, eo ipso vidente, des illud uni ex circumstantibus tibi servis, nonne munus vilescere facis, et confundis graviter offerentem? Si vero suscipiens munus illius, statim vestieris te, et processeris cum ipso vestimento, magnificas munus, et nimis laetificas offerentem. Putas, quanto gaudio extolluntur sancti, quando in conspectu omnium angelorum, quod fecerunt hominibus, ipse Dominus fatetur se accepisse? Jam tale videtur opus eorum, non quale datum est, sed qualis persona illius aut accepit. 37. *Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine*, 38. *quando te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te? Quando autem te vidimus esurientem, et pavimus: aut sitientem, et potavimus?* 39. *Quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?* O humilitas, quorum nec post mortem deficiet! Homo enim malus etiam falsis laudibus delectatur, vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce si per errorem personae veniens aliquis, pro altero alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam, quamvis in conscientia sua cognoscat se nihil tale fecisse, tamen tacet et congaudet, audiens quae non sunt sua: si vero bono alicui gratias agit, quamvis bonus ille intelligat verum esse quod de se dicitur, tamen refugit, et repellit audire etiam ea quae sibi debentur. Sic et sancti debitam sibi laudem tunc repellentes dicunt: *Quando te vidimus esurientem?* 40. *Et respondens rex, dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis.* O bonitas Christi! Esto, quamdiu in corpore contemptibilis erat in mundo, fuerat verisimilis ratio, ut propter similitudinem visionis fratres suos homines appellaret: quid autem dicamus, quod in illa gloria constitutus, adhuc contentus est eos dicere fratres, quibus sufficeret ad laudem, si bonos servos illos vocaret? Detrahet sibi quod habet, ut illis praestet quod non habent. Ecce homo si ex humili generatur, et Deo praestante ad aliquam ascenderit dignitatem, erubescit generationem suam audire. Si quis dixerit eum illius esse filium, indignatur seipsum confiteri quod est, ut appareat quod non est. Et Christus adhuc gloriabitur, fratres suos dicendo, sedens in majestate. Et merito: quia veniens in judicio gloriae, non mutavit voluntatem priorem. Hoc potest intelligi et de doctoribus, qui esurientibus justitiam dederunt cibum doctrinae, quo nutrirentur, et pinguescerent in actibus bonis: qui sitientibus Dei agnitionem, potum veritatis ministraverunt. Aut certe cibaverunt eos, in verbo docentes: potaverunt autem, in Spiritu sancto baptizantes animas peregrinas in mundo. Omnes enim animae rectae peregrinae sunt in hoc mundo, quae possunt dicere: *Quoniam advena sum ego apud te in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Psal*. 38. 13). Verbum enim fidei praedicantes, colligunt animas ex dispersione alicujus erroris, et faciunt eas domesticas et cives sanctorum. Ipsum colligunt Christum, qui nudos, et adhuc sine aliquo indumento justitiae, docendo justitiam, vestiunt, sicut scriptum est: *Induite vos viscera misericordiae, fidem, pacem, caritatem* (*Coloss*. 3. 12), aut Christum, baptizantes eos in

Commented [p329]: Col.944

Christo, sicut scriptum est: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal*. 3. 4). Et qui tales infirmos et morbo carnalium vitiorum languentes visitat, et medicamento curat doctrinae, Christum curat in eis: quia sicut in integris animabus Christus integer est, sic in languentibus languet. Sed et qui venit ad eos, qui vivi descenderunt in infernum, opera infernalia facientes, id est, qui sunt in carcere, et sunt jam sub custodia daemonum, sicut dicit Scriptura: *Descendant in infernum viventes* (*Psal*. 54. 16): veniens autem per verbum educit eos de illo carcere infernali, ut liberet de custodia daemonum ut possint dicere gratias agentes: Domine Deus, clamavi ad te, et sanasti me: *Domine, revocasti ab inferis animam meam* (*Psal*. 29. 4. 4): ad Christum venit in carcere. Si enim haec omnia corporaliter corporibus ministrare debemus, et magnae beatitudinis est, quae omnino post modicum sunt moritura: putas, quantae beatitudinis est, haec omnia spiritualiter animabus periclitantibus ministrare, quae vivificatae possunt vivere in aeternum? Quanto melior est anima quam corpus, tanto meliora sunt quae ad salutem animarum, quam quae ad sustentationem corporum ministrantur. 41. *Tunc dicet illis, qui ad sinistram sunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*. Quasi qui non sufferat praesentiam illorum vel aspicere, sic dicit, *Discedite a me*. Nam sicut carnales saeculi carnalem speciositatem videndo delectantur, si qua autem dissipata vel deformia videamus, quasi vulneratus est aspectus noster, sic et Deus, qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens, quasi gravatus non suffert. Tamquam si dicat eis: Quasi putredo et spurcitia estis, nec tamdiu vos sustineo, quamdiu statis in judicio meo. Ut quid superius dicit: *Venite, benedicti Patris mei*: et hic non dicit, Discedite a me, maledicti Patris mei? Quia benedictio quidem ex Deo est, maledictio autem ex diabolo est: sicut ostenditur in illa parabola patrisfamilias, qui seminavit bonum semen in agro suo, homo autem malus seminavit zizaniam. 42. *Esurivi et dedistis mihi manducare*, et caetera quae sequuntur. Ex isto loco sciendum est, quod non tantum pro eo, quod peccaverunt, homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo, quod bene non faciunt. Si autem pro eo, quod bene non faciunt, sic condemnantur: putas quales poenas exsolvent pro eo, quod peccant? Et digne: Deus enim ideo hominem fecit, ut benefaciat, et ad gloriam Dei pertineat: non ideo tantum, ut non peccet. Nam si non faciat bonum, nec est causa quare creatus est. Sine dubio enim et si creatus non fuisset, peccatum non fieret super terram. Nam qui intelligit mysterium divinae dispensationis, quare factus est homo, cognoscet quia merito quasi peccans condemnetur, qui justitiam non facit. Ideo Deus creavit hominem corruptibilem et infirmum, quasi ad certamen contra diabolum, ut qui gloriabatur esse se similem Deo, per corruptibilem naturam evacuatus et victus, ostendatur non solum non esse quasi Deus, sed omni fragilitate fragilior. Unde cum istud propositum suum Christus impleverit per hominem, id est, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem, tunc tradet regnum Deo Patri. Ideoque qui suo arbitrio et negligentia diabolo locum dat, confundit eum, qui propter gloriam suam contra diabolum, eum quasi in expeditione creando transmisit: et victus, ostendit diabolum potentem esse, cum nihil possit. Quemadmodum si quis a rege suo contra hostem transmissus, colludit cum eo, et factione habita, fugam petit: prodit causam regis sui, et confundit virtutem ipsius. 44. *Tunc respondebunt et ipsi dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem, aut sitientem?* O inconvertibilis inobedientia peccatorum! Quis non intelligat hoc, quia omne malum facimus, non quia homines corruptibiles sumus, sed quia malum propositum possidemus? Ecce enim tunc hominum peccatorum corruptibilitas carnis mortua erit, et adhuc malitia vivet. Numquid non audierant

Commented [p330]: Col.945

Commented [p331]: Col.946

Dominum supra dicentem ad justos, *Quando uni minimorum istorum fecistis, mihi fecistis?* Et utique intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non facit, nec Christo facit. Sed audientes adhuc contradicunt, intelligentes fingunt se non intelligere: in judicio stant, et adhuc peccare non cessant. Et hic consequenter et de doctoribus malis intelligi potest, qui sic esurientibus et sitientibus cibum justitiae, aut potum agnitionis Dei, aut Spiritus sancti non praestiterunt; qui sic nudos non vestierunt, aut justitiam docentes, aut in Christo baptizantes; qui sic peregrinos in mundo non collegerunt per verbum, nec in Ecclesiae domum per fidem introduxerunt; qui sic infirmos non curaverunt sermonibus; qui in tali carcere impietatis sedentes non eduxerunt per poenitentiam. Si enim haec corporis corporibus non praestare tantae impietatis est, quae, et si accipiunt ea, non possunt vivere semper; putas, quantae impietatis est, haec omnia spiritualiter animabus periclitantibus non ministrare, quae poterant vivere in aeternum, si haec eis ministrata fuissent? Quanto enim melior est anima quam corpus, tanto gravius peccatum animabus laborantibus spirituales eleemosynas non praestare, quam corporibus corporales. In Ecclesia ergo non solum sunt pauperes corporaliter, esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini secundum corpus: sed etiam spiritualiter pauperes, sine cibo justitiae, sine potu agnitionis Dei, sine vestimento Christi. Maxime spiritualiter pauperes sunt, qui corporaliter videntur divites esse: quoniam plerumque in abundantia rerum inopia justitiae invenitur. Sunt peregrini corde, sunt debiles animo, sunt mente caeci, inobedientia surdi, et caeteris passionibus spiritualibus aegrotantes, quorum animae omnem escam spiritualem abominantur, *Et appropinquaverunt usque ad portas mortis* (*Psal*. 106. 18). Qui ergo non habet unde faciat eleemosynas corporales, faciat spirituales ex gratia verbi, quam accepit a Deo, et inveniet retributionem dignam a Christo: qui omnia tam corporalia quam spiritualia data quasi in se facta commemorat, quaecumque in hominibus facta fuerint. Haec diximus, ut sciant doctores et quantum beatitudinis sibi acquirant, si diligentes fuerint circa verbum Dei: et quantum damnationis, si fuerint negligentes.